DE PULCHRITUDINE DIVINA

LIBRI TRES.

AUCTORE

HENRICO KRUG,

SS. THEOLOGIAE DOCTORE.

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEPISCOPI FRIBURGENSIS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.

SUMPTIBUS HERDER,

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.

MCMII.

VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI AMERICAE.

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 3. Aprilis 1902.

‡ **Thomas**, Archiepps.

Omnia iura reservantur.

Typis C. A. Wagnerianis Friburgi Brisgoviae.

BT
153
.B4
K7
1902

Memoriae parentum meorum

sacrum.

Praefatio.

Licet, quidquid pulchrum est, ab omnibus diligatur atque laudetur, tamen ex innumeris proprietatibus Dei vix est ulla, quae adeo neglecta a theologis videatur, ut pulchritudo divina; tantum enim abest, ut haec in speciali ac diligentiore opusculo adhuc disputata sit, ut quasi nimis spinosa ne dicam indissolubilis a quibusdam theologis recentioribus ferme desperetur, inter quos nuperrime Christianus Pesch S. J. in suis „Praelectionibus dogmaticis" (tom. II. De Deo uno, ed. 2. Friburgi Brisg. 1899, p. 83, nota) scribere non dubitavit: „De pulchritudine Dei," inquit, „non disputamus. Deum posse vocari pulchrum inter omnes convenit. Sed utrum Deus pulcher sit formaliter an eminenter tantum, pendet ex definitione pulchritudinis, de qua theologice non possumus quicquam decidere; philosophica autem disputatio supponitur." Equidem vero non philosophice tantum tractari posse de pulchro et pulchritudine divina arbitror, sed etiam theologice haud parva disceptari, quae tamen, in quantum mihi provenerint, benevoli lectoris iudicio permittuntur. Ceterum anno iam praeterito totum hoc opusculum manu scriptum exhibueram ad iudicandum rev. theologorum catholicorum ordini in alma litterarum universitate Viadrina florescenti, cuius consensu et auctoritate librum primum typis exscribendum curavi ut dissertationem inauguralem, cui titulus est: „De pulchritudine generatim spectata praesertim secundum documenta Patrum Ecclesiae (25. Nov. 1901)"; integros autem tres de pulchritudine divina libros nunc tandem iuris publici facio. Quodsi fortasse contigerit, ut ex eis scientia sacra utilitatem quandam et fructum capiat, satis mihi erit laudis ac praemii.

Scribebam Vratislaviae die 12. Martii 1902,
in festo s. Gregorii M.

Dr. Henricus Krug.

Index.

Liber secundus.
De pulchritudine Dei.

Pars prima.

Pars secunda.

Liber tertius.

De pulchritudine divina, quatenus Filio Dei appropriatur.

Prolegomena.

Quaestio de pulchritudine divina ad illam theologiae dogmaticae pertinet partem, in qua de attributis Dei tractari solet.

I. Theologorum primus, qui Ecclesia antiqua adhuc vigente de pulchritudine divina ex professo disseruit, Dionysius fuit Pseudo-Areopagita[1]. Is enim in opere, quod „De divinis nominibus" inscribitur, c. 4, § 7 tradit, „quomodo Deus dicatur pulcher et pulchritudo, et unde ac qua ratione sic appelletur; et quomodo anticipet rerum omnium pulchritudinem ut causa, et ex hac eius pulchritudine omnes exsistant congruentiae."[2] Satis obscurus in verbis, sequitur in re Platonem, quocum etiam pulchrum a bono aegre discernit ne dicam confundit. Nihilominus hac in quaestione maximam vim in theologos saeculorum succedentium exercebat. Reliqui Patres Ecclesiae, quamquam nihil ex professo de pulchritudine divina scripserunt, occasione tamen data in operibus suis sparsim mentionem illius fecerunt. Inter quos facile eminent S. Basilius Magnus et S. Gregorius Nazianzenus et S. Gregorius Nyssenus et S. Cyrillus Alexandrinus, si Graecos quidem respicimus, si vero Latinos, S. Hilarius et S. Ambrosius et maxime S. Augustinus.

II. Schola aetatis mediae, nescio an quaestionem de pulchritudine divina multum promoverit. S. Thomas Aquinas, qui Dionysii librum De div. nom. commentatus est[3], pulchrum a bono quidem distinguit, sed non item a vero. Porro, quidnam in sese pulchrum sit, neque proprie definit, neque ubi „elementa pulchri" enumerat, constans sibi est. Quodsi „claritatem" in numero horum elementorum iterum iterumque habet[4], auctores non pauci ad nostram usque aetatem eum secuti sunt.

---

[1] Inter omnes fere theologos aetatis nostrae constat hunc Dionysium ab illo Act. 17, 34 prorsus alienum esse: unde a nobis quidem Dionysius Pseudo-Areopagita citatur.

[2] *Migne,* Patr. gr. 3, 694 (i. e. Patrologia Graeca, volumen 3, columna 694).

[3] Thom. in libr. Dionys. Areopag. de divin. nomin. expos. Cf. *Ios. Jungmann,* Ästhetik (ed. 3, Freiburg i. Br. 1886) 1, 24.

[4] S. th. 1, q. 39, a. 8 c; item 2. 2. q. 145, a. 2 c.

III. Postquam sub finem medii aevi litterae antiquae et studia classica refloruerunt, Dionysius Petavius S. J. († 1652) et Ludovicus Thomassinus, Congr. Oratorii presbyt. († 1695), quemadmodum generatim ad originalia documenta Patrum Ecclesiae redierunt, ita specialem quoque de pulchritudine divina quaestionem diligentius tractaverunt: ille uno capite, hic capitibus tribus. Petavius quidem in opere „De theologicis dogmatibus, tom. I (Venetiis 1745) de Deo Deique proprietatibus" lib. 6, c. 8 agit: „De Dei pulchritudine; ac primum pulchritudinis natura consideratur, quam sit affinis bonitati ac perfectioni, adeo ut quae de illa dicuntur, eadem pulchritudinem conveniant; velut aptum et congruens; item modus, ordo et species." Petavium aliquatenus ab auctoritate Dionysii Pseudo-Areopagitae pendere, satis iam apparet ex illis verbis: „quam sit affinis bonitati" scil. pulchritudo. Thomassinus vero „Dogmatum theologicorum de Deo Deique proprietatibus" tom. II (Venetiis 1730) lib. 3 disserit c. 19: „De pulchro et pulchritudine quid Plato senserit, quid ceteri Platonici." Deinde c. 20: „De pulchritudine Dei et Deo quid Ecclesiae Patres senserint. Item de pulchritudine a Deo in animas effluente." Postremo c. 21: „De pulchritudine a Deo per mentem in animam, per animam in corpora defluente, sive naturalia, sive artefacta."

Uterque theologus fortasse plus aequo Platonicos sequitur, nulla ratione habita eorum, quae sacra Scriptura de pulchritudine divina habet; ita tamen alter ab altero discedit, ut dum Petavius naturam pulchritudinis definire conatus est, Thomassinus e contra hanc difficultatem nullatenus attingat. Praeterea hic quaestionem de pulchritudine divina post eam, quae est „de Deo ut est veritas (ubi de ideis)", posuit; ille vero quaestioni „de Dei bonitate" alteram „deque eius perfectione ac pulchritudine" subiungit[1].

IV. Theologi denique nostrae aetatis, quotquot de pulchritudine Dei scripserunt, fere omnes e Petavio et Thomassino hausisse videntur: alteri quidem e schola praecipue Thomistarum (ut Stöckl, Vallet etc.) Thomassinum vel potius S. Thomam sequentes pulchrum ad notionem veritatis („claritatis", „splendoris") referunt; alteri vero (ut Kleutgen, Ios. Jungmann, Stentrup etc.) Petavii potius vestigia prementes notionem pulchritudinis revocant ad notionem bonitatis, vel etiam ad notionem perfectionis (ut Janssens, Gietmann etc.). Unde iam liquet quaestionem de pulchritudine et pulchritudine divina hucusque esse controversam.

V. Nobis ergo eandem quaestionem tractaturis in id incumbendum imprimis erat, ut illa Patrum Ecclesiae documenta, e quibus et Petavius et Thomassinus plurimum hauserunt, iterum perquireremus ac

[1] Mirum videri potest, quod *Leonardus Lessius* S. J., qui „De perfectionibus moribusque divinis" (Antverpiae 1620) ex professo disseruit, pulchritudinis divinae mentionem non facit, ne verbo quidem, licet Patres Ecclesiae hac de re saepe ac diserte locuti sint.

perlustraremus. Neque sine magno labore fere omnes de pulchritudine et pulchritudine divina locos, qui per innumera opera Patrum Ecclesiae dispersi sunt, investigavimus atque in unum quoddam corpus collegimus. Quibus deinde locis addidimus eos, quos sacra Scriptura eadem de re exhibet. Nec vero Platonem, qui apud plurimos Patres haud parvae auctoritatis fuerit, praetermittendum esse putavimus. Hunc tandem in modum praemuniti, illam de pulchritudine divina quaestionem perdifficilem rursus aggredi ausi sumus et, Deo iuvante, ad finem — utinam felicem! — perduximus.

Quod ad Patres Ecclesiae citatos attinet, „Patrologiae cursu completo", quem I. P. Migne accuravit, utebamur; latinam tamen versionem Patrum Graecorum, praecipue S. Gregorii Nysseni, etiam atque etiam ubi opus erat emendavimus, ut infra ex adnotationibus adiectis apparebit. Verum quia loci Patrum in toto hoc opere adhibiti plus sunt quam sexcenti, futurum non est, quin illos „laudemus viros gloriosos et parentes nostros . . . divites in virtute, pulchritudinis studium habentes" (Eccli. 44, 1. 6).

Introductio.

De pulchritudine divina subtiliter et copiose disserere non poterimus, nisi prius cognitum habuerimus atque perspectum, quid generatim sit pulchritudo: quae quidem quaestio tam difficilis tamque obscura est, ut non solum indocti, sed etiam eruditi in diversissimas abeant sententias et opiniones.

Unde nova utentes methodo non tam philosophica quam theologica, imprimis definitionem pulchritudinis ex iisdem fontibus, e quibus totum hoc opus elaboratum est, scilicet e sacra Scriptura et documentis Patrum Ecclesiae, deducere ac derivare studebimus. Quod si ita nobis fortasse contigerit, ut quid sit pulchritudo, post tot vanos labores recte tandem definiamus, de divina quoque pulchritudine nos ad amussim tractaturos esse sperandum est. Verum cum Deus non modo unus sit secundum naturam, sed etiam trinus secundum personas, tertia denique orietur quaestio, nimirum: cuinam Trinitatis personae pulchritudo divina proprie sit tribuenda. Totum igitur hoc opus in tres dividimus libros, quorum

I° agendum erit de pulchritudine generatim spectata;

II° de pulchritudine Dei in se spectata et relata ad creaturas;

III° de pulchritudine divina, quatenus Filio Dei appropriatur.

Liber primus.

De pulchritudine generatim spectata.

„Pulchra dicuntur, quae visa placent."
S. Thomas Aqu., S. th. 1. qu. 5, a. 4.

„Omnis pulchritudinis forma unitas est."
S. Augustinus, Epist. (18) ad Caelestin.

Si pulchritudinem in genere consideramus, duo praesertim quaerenda sunt: primum quidem, quomodo pulchritudo definiatur; deinde, quomodo eadem dividatur. Itaque hic liber in duas dispescitur partes, quarum una de definitione, altera de pulchritudinis divisione agit.

Pars prima.

Quomodo pulchritudo definiatur.

Plato in „Cratylo" haec habet: „Vetus est proverbium, difficilia esse pulchra." [1] Unde Socrates Hippiam sophistam alloquens: „Opportune venis", inquit, „iam me doce satis ipsum pulchrum quid sit." Et aliquanto post: „Nonne pulchra omnia pulchro sunt pulchra?" Cui respondet Hippias: „Etiam pulchro."

Socrates: „Et hoc quidem est aliquid?"

Hippias: „Est; quidni?"

Socrates: „Dic igitur, hospes, quid est hoc pulchrum?" — Sed postquam in utramque partem longius disputaverunt, quaestione minime soluta uterque discessit, Socrates quidem ingenue confitens ardua esse pulchra; „proverbium enim", inquit, „quod dicat difficilia pulchra, videor mihi intelligere." [2]

---

[1] *Fridericus Astius,* Platonis quae exstant opera (Lipsiae 1819—1829) III. 107: Παλαιὰ παροιμία ὅτι χαλεπὰ τὰ καλά ἐστιν.

[2] *Astius,* Plato IX, 17 et 19 et in finem: Εἰς καλὸν ἥκεις· καί με δίδαξον ἱκανῶς αὐτὸ τὸ καλὸν ὅ τι ἔστι . . . Ἆρ' οὖν οὐ τὰ καλὰ πάντα τῷ καλῷ ἐστὶ καλά;

Ἵππιας· Ναί, τῷ καλῷ.

Σω.· Ὄντι γέ τινι τούτῳ;

Ἵπ.· Ὄντι· ἀλλὰ τί γὰρ μέλλει;

Σω.· Εἰπὲ δή, ὦ ξένε, τί ἔστι τοῦτο τὸ καλόν; . . . Τὴν γὰρ παροιμίαν ὅ τί ποτε λέγει τὰ χαλεπὰ τὰ καλὰ δοκῶ μοι εἰδέναι.

Iam vero pulchritudo definiri potest: primum ex etymologia vocabulorum, quibus notio pulchri exprimitur; deinde ex effectibus, quos animus pulchra spectans in se recipit ac sentit; denique ex ipsa pulchritudinis substantia atque natura. Haec ultima tantum definitio, cum ipsam pulchritudinis naturam explicet, digna est quae integra et substantialis, Graece οὐσιώδης, appelletur. Duae vero primae descriptiones potius pulchritudinis sunt.

CAPUT I.

De vocabulis, quibus notio pulchritudinis exprimitur, eorumque etymologia.

Praeprimis inquirendum est, quibus vocabulis ad pulchritudinem exprimendam et Litterae sacrae utantur, et Patres Ecclesiae: et quidem primo loco Ecclesiae orientalis atque Graecae, deinde vero Ecclesiae occidentalis atque Latinae testes adhibebimus.

§ 1.

De vocabulis, quibus notio pulchritudinis exprimitur, Graecis.

I. Graeci variis ad pulchritudinem exprimendam utuntur vocabulis, quorum omnium notissimum est adiectivum καλός, quod LXX habent pro יָפֶה, *pulcher,* sed multo saepius pro טוֹב, ***bonus.***

Καλός, *„pulcher,* a Graecis dicitur de omnibus, quae sua forma, sua praestantia, virtute, utilitate ita eminent, ut placeant.“ [1] — Deinde ab adiectivo καλός derivatur substantivum τὸ κάλλος, indeque ἡ καλλονή, i. e. pulchritudo.

Dionysius Pseudo-Areopagita voces καλός et κάλλος derivat a verbo καλεῖν, i. e. vocare. Ait enim De div. nom. c. 4, § 7: „Pulchrum omnia ad se καλεῖ, id est vocat; unde et κάλλος, id est pulchritudo, dicitur.“ [2] Re tamen vera voces καλός et κάλλος adhuc sunt incertae originis.

Ceterum τὸ κάλλος et ἡ καλλονή non solum *pulchritudo* a Vulgata vertuntur, sed nonnunquam etiam *forma* et *species*. Cf. Ps. 44, 3: Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Vulg.: *„Speciosus forma prae filiis hominum.“* Sap. 13, 3: Ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης. Vulg.: *„Speciei enim generator“* etc.

II. Paululum obscurius est substantivum ἡ ὡραιότης, quod *species* verti potest, quamquam pressius pulchritudinem maturitatis significat. Ὡραῖος enim, i. e. *speciosus* vel *formosus*, derivatur a substantivo ἡ ὥρα,

[1] **Lexicon Graeco-Latinum in libros Novi Testamenti auctore *Carolo Ludovico Willibaldo Grimm*,** ed. 3. Lipsiae 1888.

[2] ***Migne,*** Patr. gr. 3, 702: Τὸ καλὸν . . . πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν, ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται.

quod proprie *tempus anni* significat, praecipue tamen *tempus veris* et *tempus messis*. Ita Plato in „Philebo“ dicit: „ὧραί τε καὶ ὅσα καλά. anni tempora et quaecunque pulchra sunt.“[1] Sensu autem metaphorico ὥρα significat pulchritudinem iuventutis humanae, vel florem atque vigorem aetatis. Idem Plato in „Protagora“ loquitur περὶ τὴν Ἀλκιβιάδου ὥραν, id est „de pulchritudine Alcibiadis“[2]. Unde Patres Ecclesiae Graecae, cum de pulchritudine Filii Dei loquuntur, vocibus ὡραῖος et ὡραιότης uti solent; quemadmodum Christus Ps. 44, 3 dicitur ὡραῖος κάλλει, hoc est *„speciosus forma“*.

Quomodo ὡραῖος et καλός inter se differant, S. Basilius M. Homil. in Ps. 44 ita explicat: „Species (τὸ ὡραῖον) a pulchritudine differt. Id enim speciosum (ὡραῖον) dicitur, quod completum fuit idoneo tempore ad usque propriam maturitatem. Exempli causa, illud frumentum speciosum dicitur, quod maturum iam est ad messem: atque is vitis fructus speciosus est, qui per anni tempestatem coctionem propriam ad suam perfectionem comparavit, quique usui aptus exsistit. Pulchritudo (κάλλος) vero concinnitas ea est, quae in membrorum compositione sita est, efflorescentem ex se gratiam habens.“[3]

Hinc Sept. Tertullianus vocabulum ὡραῖος Latine *tempestivus* optime reddit, lib. 3 advers. Marcion. c. 17 de Christo haec dicens: „Tempestivus decore apud David (Ps. 44, 3) supra filios hominum.“ Commentarius autem in hunc locum ibidem notat: „Tempestivus decore. Sic placuit Septimio Graecum illud exprimere ὡραῖος τῷ κάλλει, quod in vulgata versione *‚speciosus forma‘*.“

III. Graeci denique non raro vocabulis cum particula εὖ (bene, recte) compositis ad pulchritudinem exprimendam utuntur: e. gr. εὐπρέπεια, *decor*. Ita illud Ps. 92, 1: *„Dominus regnavit, decorem indutus est“;* LXX vertunt εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο. Et iterum Ps. 103, 1: *„Confessionem et decorem induisti“;* LXX reddunt ἐξομολόγησιν καὶ εὐπρέπειαν ἐνεδύσω. In Ps. 49, 2 vero εὐπρέπεια stat pro *specie;* nam versus: Ἐκ Σιὼν ἡ εὐπρέπεια τῆς ὡραιότητος αὐτοῦ, a Vulgata vertitur: *„Ex Sion species decoris eius.“*

Substantivum εὐπρέπεια originem ducit ab adiectivo εὐπρεπής, hoc est *decorus* vel *speciosus*. Cf. Sap. 7, 29: *„Est enim haec* (sapientia) *speciosior sole“;* LXX εὐπρεπεστέρα ἡλίου. — Similiter de aliis vocibus iudicandum est, ut εὔμορφος, *formosus*, ex quo εὐμορφία, *formositas;* item εὐπρόσωπος, *pulcher facie*, et alia huiusmodi.

---

[1] *Astius*, Plato III, 305. [2] Ibid. I, 5.

[3] *Migne*, Patr. gr. 29, 399: Τὸ ὡραῖον τοῦ κάλλους διαφέρει· ὅτι τὸ μὲν ὡραῖον λέγεται τὸ συμπεπληρωμένον εἰς τὸν ἐπιτήδειον καιρὸν πρὸς τὴν οἰκείαν ἀκμήν· ὡς ὡραῖος ὁ σῖτος, ὁ ὥριμος ἤδη πρὸς θερισμόν· καὶ ὡραῖος ὁ καρπὸς τῆς ἀμπέλου, ὁ τὴν οἰκείαν πέψιν εἰς τελείωσιν ἑαυτοῦ διὰ τῆς τοῦ ἔτους ὥρας ἀπολαβών, καὶ ἐπιτήδειος εἰς ἀπόλαυσιν· κάλλος δέ ἐστι τὸ ἐν τῇ συνθέσει τῶν μελῶν εὐάρμοστον ἐπανθοῦσαν αὐτῷ τὴν χάριν ἔχον.

§ 2.

De vocabulis, quibus notio pulchritudinis exprimitur, Latinis.

I. Sicut καλός in lingua Graeca, ita in Latina *pulcher* satis incertae originis est: „dicunt enim alii a πολύχροος, multum coloris nitorisque habens; vel a πολύχαρις, multum habens gratiae; vel a πολύχειρ. Alii a *polio*, alii etiam aliunde. Huc spectat Isid. 10 Orig. 204: *Pulcher* a specie cutis dicitur, quod est rubens pellis; postea transiit hoc nomen in genus'."[1]

„*Pulcher* plus est quam *venustus*. Nam *pulcher* ad formam dignitatem addit et quandam maiestatem, et est virorum; *venustus* specie constat, et est feminarum."[2] Cicero enim Off. 1, 36 ita distinguit: „Pulchritudinis duo genera sunt, quorum in altero venustas est, in altero dignitas; venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem."

II. Quamquam, quid pulchritudo, species, forma sonent, partim iam supra declaratum est, tamen voces *species* et *forma* maiore indigent explicatione: „*Forma* proprie est figura, statura, species, ratio et dispositio partium exterior in qualibet re: itemque rei alicuius delineatio. *Forma* etiam absolute dicitur de pulchritudine corporis."[3] Cf. e. gr. Ps. 44, 3: „*Speciosus forma prae filiis hominum*"; LXX ὡραῖος κάλλει.

„*Species* proprie est id quod in quaque re extrinsecus apparet, et oculis cernitur, imago, facies, forma, effigies. . . . Item quod mente videtur, idea. . . . Speciem quam nos dicimus, εἶδος Graeci dixerunt; Platon quidem ideam. . . . Item pulchritudo."[4] Cf. e. gr. Ps. 46, 5: „*Speciem Iacob quam dilexit*"; LXX τὴν καλλονὴν Ἰακώβ.

Quam ob rem, quid species vel forma in quopiam loco significet, ex contextu diligentius inspecto coniciendum est. Haec autem vocabula *species* et *forma* revera etiam pro pulchritudine adhiberi posse, iam ex derivatis *speciosus* et *formosus* conicere licet, quae pro adiectivo *pulcher* non raro adhibentur. Sic S. Augustinus De nat. boni contra Manich. c. 18 ait: „Qui forma praevalent formosi appellantur, sicut a specie speciosi."[5] Et iterum De divers. quaest. 83, qu. 10: „Omne quod species continet, speciosum est."[6] — Tamen voces abstractae *speciositas* et *formositas* neque in Litteris sacris (praeter 1 Mach. 1, 27: „speciositas mulierum"), neque apud Patres Ecclesiae occurrunt, exceptis Tertulliano et Petro Chrysologo. Tertullianus enim

[1] Totius Latinitatis Lexicon opera et studio *Aegidii Forcellini* IV (Prati 1868), 990.

[2] *Forcellini* IV, 991. [3] Ibid. III (Prati 1865), 121.

[4] Ibid. V (Prati 1871), 583. Etiam *O. Willmann* (Geschichte des Idealismus II [Braunschweig 1896], 295) dicit: „Die Wahrheit der Dinge ist auch ihre species in welchem Ausdrucke in für uns nicht wiederzugebender Weise Bild, Gestalt, Art, Schönheit sich verschränken."

[5] *Migne*, Patr. lat. 42, 556. [6] Ibid. 40, 14.

De cult. femin. lib. 2, c. 2 vocabulo speciositatis, et c. 3 altero formositatis utitur[1]. S. Petrus vero Chrysologus Serm. 163 adhibet vocabulum speciositatis[2].

Species et *speciosus*, quae a verbo *specio* deducuntur, exactissime respondent vocibus linguae Germanicae schön et Schönheit, quippe quae secundum multos Germanistas a verbo schauen, id est ***specere***, deriventur[3].

III. Neque hoc loco praetermittendum esse putamus, pulchritudinem in sacra Scriptura cum fortitudine plerumque coniunctam esse. Ita enim legimus Ps. 92, 1: *„Dominus regnavit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem.“* Item Ps. 44, 4 s.: *„Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime: specie tua et pulchritudine tua.“* Et rursus Isai. 63, 1: *„Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae.“* Etiam de muliere Prov. 31, 25 scriptum est: *„Fortitudo et decor indumentum eius.“* Sacra ergo Scriptura, ut evidenter apparet, pulchritudinem non sine fortitudine ac virtute esse censet[4].

Suidas autem robur a pulchritudine ita distinguit, ut hanc quidem in „concinna partium dissimilium compositione“ consistere iudicet, illud vero in „partibus similibus“. Ait enim: „Pulchritudo est concinna partium dissimilium compositio, ut faciei, colli, manuum, ceterorum membrorum, quae primis facultatibus posteriora sunt; eadem autem ratione demonstrari queat, robur esse magis expetendum quam pulchritudinem: similes enim partes, in quibus robur consistit, priores sunt dissimilibus; unaquaeque enim partium dissimilium e similibus constat: velut facies ex ossibus, nervis, carnibus, quibus sublatis et ipsa tollitur: non contra.“[5]

[1] *Migne,* Patr. lat. 1, 1319. [2] Ibid. 52, 629.

[3] „J. Grimm vermutete Zusammenhang mit ‚scheinen‘; in neuerer Zeit hält man ‚schauen‘ für urverwandt. Gotisch: skauns (skaunjai, ὡραῖοι Röm. 10, 15 und ibnaskaunjamma, σύμμορφον Phil. 3, 21 und das substantivische guþaskaunein, μορφῇ θεοῦ Phil. 2, 6. Vgl. *Bernhardt Vulfila* 511. 517, wo ‚gleichschön‘ und ‚Gottesschönheit‘ übersetzt ist).“ (Deutsches Wörterbuch von Jakob Grimm und Wilhelm Grimm: Fortsetzung von M. Heyne, IX [Leipzig 1899], 1464.)

[4] Idem fere sentit *Aristoteles,* cum Ethic. Nic. Δ, 7 corpus humanum negat pulchrum esse, nisi sit magnum: Ἐν μεγέθει γὰρ ἡ μεγαλοψυχία, ὥσπερ καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι, οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ: „Animi enim magnitudo in magnitudine sita est, quemadmodum et in magno corpore pulchritudo; brevis autem staturae homines venusti ac lepidi sunt quidem aptaque membrorum convenientia et proportione praediti, sed pulchri non item.“ (Aristotelis opera ed. Academia Regia Borussica [Berolini 1831] II, 1123b; cf. vers. lat. in III.)

[5] *Suidae* Lexicon Graece et Latine. Rec. *Godofred. Bernhardy* II (Halis et Brunsvigae 1853), 50: Κάλλος· συμμετρία τῶν ἀνομοιομερῶν ἐν ἡμῖν μερῶν, προσώπου, τραχήλου, χειρῶν, τῶν ἄλλων μερῶν, ἃ ὕστερά ἐστι τῶν πρώτων δυνάμεων· τῷ δὲ αὐτῷ λόγῳ δεικνύοιτο ἂν ἡ ἰσχὺς αἱρετωτέρα τοῦ κάλλους· πρῶτα γὰρ τὰ ὁμοιομερῆ ἐν ἡμῖν, ἐν οἷς ἡ ἰσχύς, τῶν ἀνομοιομερῶν, ἐν οἷς κάλλος· ἕκαστον γὰρ τῶν ἀνομοιομερῶν ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν σύγκειται· οἷον τὸ πρόσωπον ἐξ ὀστῶν καὶ νεύρων καὶ σαρκῶν· διὸ καὶ συναναιρεῖται μὲν ἀναιρουμένων, οὐ συναναιρεῖ δὲ ἀναιρούμενον.

CAPUT II.

Qua ratione pulchritudo ex suis definiatur effectibus.

Veritas, bonitas, pulchritudo iam antiquitus conferebantur. Quae notiones tam intime connexae sunt, ut pulchritudo neque a bonitate neque a veritate facile discernatur. Quam ob causam, et quia omnis scientia ab experientia exorditur, philosophi non solum veritatem et bonitatem, sed etiam pulchritudinem consulto ex effectibus definire solent.

Iam vero inter omnes constat veritatem sive verum non referri nisi ad vim cognoscitivam: Verum est cognoscibile[1]. Bonitas autem sive bonum non respicit nisi vim appetitivam: Bonum est appetibile[2]. Quid autem de pulchritudine dicendum est, quae procul dubio et a bonitate differt et a veritate? Quasnam potentias animae atque facultates pulchritudo terminat? Pulchritudo sive pulchrum utramque animae vim et cognoscitivam et appetitivam simul respicit. Unde definiri solet: „Pulchrum est id, quod visum placet." Quam definitionem rectam esse probant insuper Patres Ecclesiae demonstrantes: pulchritudinem pertinere

1. ad vim appetitivam,
2. ad vim cognoscitivam.

§ 1.

De primo effectu, quatenus pulchritudo vim respicit appetitivam.

I. Experientia quotidie docemur pulchrum esse aliquid, quod sua vi nos alliciat ad sese, nos delectet nobisque placeat. Unde S. Basilius M. Regul. fus. tract., respons. ad interrog. 2 ait: „Pulchra naturaliter appetimus, etsi quam maxime alii aliud videtur pulchrum." [3] S. Augustinus vero lib. 4 Confess. c. 13 amicos suos interrogat: „Num amamus aliquid nisi pulchrum? Quid est ergo pulchrum? et quid est pulchritudo? Quid est quod nos allicit, et conciliat rebus quas amamus? Nisi enim esset in eis decus et species, nullo modo nos ad se moverent. Et animadvertebam et videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, et ideo pulchrum; aliud autem quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui, sicut pars corporis ad universum suum, aut calceamentum ad pedem, et similia." [4] Quoniam ergo nihil

[1] *S. Thomas Aqu.*, S. th. 1, qu. 16, a. 1 c: „Verum nominat id, in quod tendit intellectus." Et paulo post: „Veritas est adaequatio rei et intellectus."

[2] *S. Thomas Aqu.*, S. th. 1, qu. 5, a. 1 c: „Ratio boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile; unde Philosophus in 1 Ethic., in princip., dicit quod *bonum est quod omnia appetunt.*"

[3] ***Migne***, Patr. gr. 31, 910: Τῶν τε γὰρ καλῶν ἐσμεν ἐπιθυμητικοὶ φυσικῶς, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα ἄλλῳ ἄλλο φαίνεται καλόν.

[4] ***Migne***, Patr. lat. 32, 701. Augustinus iuvenis scripsit libros (duos aut tres) de Pulchro et Apto, sed „aberraverunt", ut ipse loco citato commemorat.

amatur nisi pulchrum, manifeste sequitur neminem amare id, quod foedum ac turpe esse sentiat. Unde idem Augustinus lib. 6 De mus. c. 13 dicit: „Ea neminem amare manifestum est, quorum foeditate sensus offenditur“.[1]

Ab omnibus ergo id amatur, quod pulchrum est; et quo pulchrius est, eo magis amatur teste S. Gregorio Nazianzeno, qui Orat. in laud. Basilii M. amicitiam suam cum illo in Deo initam commemorans, ait: „Quanto maior pulchritudo cordibus apparet, tanto etiam arctius et secum et inter se earundem rerum amatores constringit.“[2]

Immo etiam hic effectus, quatenus pulchritudo vim respicit appetitivam, tam universalis est, ut vel ipse Deus pulchritudinem non amare non possit. De Deo enim Ps. 46, 5 scriptum est: *„Speciem Iacob, quam dilexit.“* Et Ps. 44, 12: *„Concupiscet rex decorem tuum“*; quem versum S. Hieronymus ita explicat: „Iste qui te amaturus est, qui tuam pulchritudinem dilecturus, Deus est, et adorandus ab omnibus.“[3]

Hinc sequitur verissimum esse illud S. Augustini De divers. quaest. 83, qu. 10: „Omne speciosum bonum.“[4] Quam sententiam S. Ambrosius De Isaac et anima c. 7 „negative“ exprimit: „Illud decorum atque speciosum est, in quo nihil sit mali.“[5] Concludere igitur possumus cum Dionysio Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 10: „Universis igitur pulchrum et bonum desiderabile et amabile est, et ab his universis diligitur“[6]; vel paucis: Pulchrum refertur certo ad vim appetitivam.

Qualis autem hic appetitus et amor pulchri sit, intelligere aliquatenus possumus ex illa distinctione, qua S. Augustinus lib. 1 De doctr. christ. c. 4 verbum *frui* a verbo *uti* discernit. „Frui enim“, inquit,

---

[1] *Migne,* Patr. lat. 32, 1183. Totus locus ita se habet: „Num possumus amare nisi pulchra? Nam etsi quidam videntur amare deformia, quos vulgo Graeci σαπροφίλους vocant, interest tamen quanto minus pulchra sint quam illa quae pluribus placent. Nam ea neminem amare manifestum est, quorum foeditate sensus offenditur.“

[2] *Migne,* Patr. gr. 36, 522: Ὅσῳ πλέον αὐτοῖς τὸ κάλλος φαντάζεται, τοσούτῳ μᾶλλον ἑαυτῷ τε καὶ ἀλλήλοις συνδεῖ τοὺς τῶν αὐτῶν ἐραστάς.

[3] *Migne,* Patr. lat. 22, 634. [4] Ibid. 40, 14.

[5] Ibid. 14, 524. Idem axioma S. Ambrosius ibidem ita explicat: „Qui privatur specie vel decore, in eo est omne malum. Quod autem malum, hoc et infecundum. Cuius rei quid evidentius indicium quam terra est? Terra enim quae bona est, fertilis atque fecunda; quae autem mala, ea ieiuna atque sterilis: quae vero fertilis, haec et decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cum seges fluctuat, cum poma irrutilant, vel cum uvarum serta dependent, aut baccis onusta olea curvescit, vel viridanti gramine montium vertices, vallium humilia vestiuntur?“ Et paucis intermissis: „Liquet igitur decorum id esse, quod fecundum: indecorum, quod infecundum. Similis est causa animae soli: quia ea decora anima, quae fecunda sit meritis, fecunda consiliis: ea indecora, quae sterilis. Infirmitates etenim animae sunt sterilitas et materia.“

[6] *Migne,* Patr. gr. 3, 707: Πᾶσιν οὖν ἐστι τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν, ἐφετὸν καὶ ἐραστὸν καὶ ἀγαπητόν.

est amore alicui rei inhaerere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus, abusus potius vel abusio nominandus est." [1] Iam vero pulchritudine uti nobis non licet, sed tantum frui; usu enim pulchritudo destruitur atque perit. Unde Clemens Alexandrinus lib. 2 Paedag. c. 8 docet: „Oportet nos eorum quae pulchra sunt aspectu fruentes, laude et gloria afficere Opificem. Usus autem eorum est noxius, et celeriter praeteriens poenitentia nos afficit. . . . Qui praeter aspectum usus eorum percipitur, petulantia est et libido, non autem delectatio." [2] Pulchritudini ergo inhaerendum amore est propter seipsam.

II. Pulchrum ex iis, quae hactenus diximus, a vero quidem distingui, sed nondum a bono cernitur. Nam, ut S. Basilius M. supra ait: „Pulchra naturaliter appetimus", ita bonum quoque post Aristotelem definiri solet „id quod omnia appetunt." [3] Quoniam ergo et bonum et pulchrum ad vim appetitivam referenda sunt, auctores non pauci pulchrum cum bono confundunt ideoque pulchrum pro bono, et bonum pro pulchro promiscue adhiberi volunt, nixi usu Graecorum, qui vocibus καλὸν κἀγαθόν eodem fere sensu utuntur [4].

Primus, qui pulchrum idem esse voluit ac bonum, Plato esse videtur. In „Gorgia" enim Socrates Polo cuidam, quocum disputavit, admirans ait: „Intelligo; non idem existimas esse, ut patet, pulchrum et bonum, malum et turpe." Polus: „Nullo pacto." Socrates igitur, qui rem sic se habere existimavit, Polo persuadere conatus est dicens: Nonne omnia „quae pulchra sunt, nullam aliam ob causam, ut videtur, sunt pulchra, nisi quod vel utilia sunt, vel iucunda, vel utrumque." Cui tandem causae cedens Polus ait: „Sane quidem, et pulchre profecto nunc definis, Socrate, voluptate et bono definiens pulchrum." [5]

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 20.

[2] *Migne*, Patr. gr. 8, 479: Χρὴ δι' ὄψεως ἀπολαύοντας τῶν καλῶν δοξάζειν τὸν Δημιουργόν. Ἡ χρῆσις δὲ αὐτῶν ἐπιβλαβής, καὶ θᾶττον παρέρχεται μετανοίᾳ τιμωρουμένη. . . . Ἡ παρὰ τὴν ὄψιν ἀπόλαυσις ὕβρις ἐστίν, οὐ τρυφή.

[3] *Aristoteles*, Ethica Nic. A, 1 in princip.: Καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθόν, οὗ πάντ' ἐφίεται: „Pulchre veteres id esse bonum pronuntiaverunt, quod omnia appetunt." (Aristotelis opera ed. Academia Regia Borussica II [ex recogn. *Imman. Bekkeri*. Berolini 1831], 1094.)

[4] *Suidas* hanc distinctionem tantum esse iudicat: „Καλὸς κἀγαθός . . . Τὸ μὲν καλὸς ἐπὶ τῆς ἐν σώματι ὥρας, τὸ δὲ ἀγαθὸς ἐπὶ τῆς ἐν ψυχῇ: Et καλός quidem de corporis, ἀγαθὸς vero de animi pulchritudine dicitur.

[5] *Astius*, Plato I, 529: Μανθάνω· οὐ ταὐτὸν ἡγεῖ σύ, ὡς ἔοικας, καλόν τε καὶ ἀγαθόν, καὶ κακὸν καὶ αἰσχρόν.
Πωλ. Οὐ δῆτα . . .
Σω. . . . οὐ δήπου ἐκτὸς τούτων ἐστὶ τὰ καλὰ τοῦ ἢ ὠφέλιμα εἶναι ἢ ἡδέα ἢ ἀμφότερα . . .
Πωλ. Πάνυ γε· καὶ καλῶς γε νῦν ὁρίζει, ὦ Σώκρατες, ἡδονῇ τε καὶ ἀγαθῷ ὁριζόμενος τὸ καλόν.

Platonem deinceps hac in re secutus Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 7 ita scribit: „Idem est pulchrum atque bonum, quoniam omnia secundum omnem causam (sc. exemplarem, finalem etc.) pulchrum et bonum appetunt.“ [1] Etiam Irenaeus contra Haeres. lib. 4, n. 6 occasione data opinatur: „quoniam pulchrum sit quod bonum.“ [2]

Postea Petavius iique omnes, qui eum hac in quaestione secuti sunt, „cum bonitate potissimum pulchritudinem contulerunt“. Petavius enim lib. 6 De Deo Deique propriet. c. 8 scribit: „Cum Dei bonitate ac perfectione coniuncta est pulchritudo, et utriusque adeo similis, ut eas difficile sit a se mutuo secernere. Atque ut cum bonitate potissimum pulchritudinem conferam, apud Graecos eodem ambae fere vocabulo continentur. Nam τὸ καλόν utrumque significat, et bonum et pulchrum.“

Est tamen differentia non exigua inter pulchrum et bonum, ut iam S. Augustinus et S. Thomas Aquinas bene intellexerunt [3]. Pulchrum enim et bonum unum idemque quidem sunt re, ratione autem distingui debent. S. Thomas (S. th. 1, qu. 5, a. 4 ad 1) dicit: „Pulchrum et bonum in subiecto quidem sunt idem, quia super eandem rem fundantur, scilicet super formam; et propter hoc bonum laudatur ut pulchrum, sed ratione differunt.“ Itaque cum S. Augustino semper quidem dicere licet: „Omne speciosum est bonum“, sed non e converso: „Omne bonum est speciosum.“ Quod subtile discrimen idem Augustinus indicat De ver. relig. c. 32: „Et prius quaeram (scil. ab artifice), utrum ideo pulchra sint, quia delectant; an ideo delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare quia pulchra sunt.“ [4] Quia enim bona dicuntur quae placent, pulchra vero quae visa placent, ideo bonitas proprie refertur ad appetitum, pulchritudo vero non solum ad appetitum, sed etiam ad intellectum.

§ 2.

De altero effectu, quatenus pulchritudo vim respicit cognoscitivam.

I. Cum *species* et *speciosus*, ut iam supra demonstravimus, etymologice deriventur a verbo *specere*, quod idem significat atque *videre*, haud obscure sequitur speciosum seu pulchrum etiam ad vim cognosci-

---

[1] *Migne,* Patr. gr. 3, 708: Ταὐτόν ἐστι τἀγαθῷ τὸ καλόν, ὅτι τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν πάντα ἐφίεται.

[2] Ibid. 7, 1108.

[3] Iam *Aristoteles* Metaphys. M, 3 fin. pulchrum a bono differre docet: „Τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν ἕτερον· τὸ μὲν γὰρ ἀεὶ ἐν πράξει, τὸ δὲ καλὸν καὶ ἐν τοῖς ἀκινήτοις. Bonum et pulchrum differunt, siquidem illud semper in operatione, pulchrum vero etiam in immobilibus est.“ (Aristotelis opera ed. Academia Regia Borussica II. 1078a.)

[4] *Migne,* Patr. lat. 34, 148.

tivam referendum esse. Neque est, cur id serio in dubium vocetur, praesertim cum Patres Ecclesiae idem sentiunt. Ita e. gr. Clemens Alexandrinus, ut illud lib. 2 Paedag. c. 8 supra partim citatum repetamus, pulchritudinem docet delectare, dum videtur. „Sicut ergo pulchritudo", inquit, „ita etiam flos delectat, dum videtur. Et oportet nos eorum quae pulchra sunt aspectu fruentes, laude et gloria afficere Opificem. Usus autem eorum est noxius, et celeriter praeteriens poenitentia nos afficit. Statim autem probatur eorum vitae brevitas: ambo enim flaccescunt, et flos et pulchritudo. . . . Ut uno autem verbo absolvam, qui praeter aspectum usus eorum percipitur, petulantia est et libido, non autem delectatio." [1] S. Gregorius autem Nyssenus in sua „Mystica interpretatione vitae Moysis" brevius idem repetit: „Attrahit ad seipsam pulchritudinis natura omnes illam adspicientes." [2] Eiusdem sententiae est S. Leo M., cum Serm. 22, c. 6 dicit: „Sol, luna et sidera sunt commoda utentibus, sunt speciosa cernentibus" [3]; sentire enim videtur bonum esse quod usui, pulchrum quod aspectui placeat. Subtilius est, quod S. Basilius M. habet in Hexaëm. homil. 4: „Ex opificii ratione diiudicatur pulchritudo." [4] Quocum consentit S. Augustinus De ver. relig. c. 43: „Totum istum mundum figurarum ratione pulchrum esse, non mole." [5]

Quam sententiam Patrum Ecclesiae S. Thomas (S. th. 1, qu. 5, a. 4 ad 1) his complectitur verbis: „Bonum proprie respicit appetitum; est enim bonum, quod omnia appetunt. . . . Pulchrum autem respicit vim cognoscitivam; pulchra enim dicuntur, quae visa placent." Et iterum (S. th. 1, 2, qu. 27, a. 1 ad 3): „De ratione boni est, quod in eo quietetur appetitus. Sed ad rationem pulchri pertinet, quod in eius aspectu seu cognitione quietetur appetitus. . . . Et sic patet, quod pulchrum addit supra bonum quendam ordinem ad vim cognoscitivam, ita quod bonum dicatur id, quod simpliciter complacet appetitui; pulchrum autem dicatur id, cuius ipsa apprehensio placet."

II. Cavendum tamen est, ne hic quoque pulchritudinis effectus, altero neglecto, nimis urgeatur atque extollatur. Nam sicut plures auctores momentum appetitionis plus aequo praedicantes pulchrum cum bono magis magisque confundunt: ita alii e contra, quoniam pulchritudinis habitudinem ad vim cognoscitivam nimium urserunt, pul-

[1] *Migne*, Patr. gr. 8, 479: Ὥσπερ οὖν τὸ κάλλος, οὕτω καὶ τὸ ἄνθος τέρπει βλεπόμενον· καὶ χρὴ δι' ὄψεως ἀπολαύοντας τῶν καλῶν δοξάζειν τὸν Δημιουργόν. Ἡ χρῆσις δὲ αὐτῶν ἐπιβλαβής, καὶ θᾶττον παρέρχεται μετανοίᾳ τιμωρουμένη. Αὐτίκα δὴ μάλα καὶ διελέγχεται τὸ ἐφήμερον αὐτῶν· ἄμφω γὰρ μαραίνετον, καὶ τὸ ἄνθος, καὶ τὸ κάλλος. . . . Ἐνὶ δὲ λόγῳ ἡ παρὰ τὴν ὄψιν ἀπόλαυσις αὐτῶν, ὕβρις ἐστίν, οὐ τρυφή.

[2] Ibid. 44, 402: Ἑλκτικὴ γὰρ πρὸς ἑαυτὴν ἡ τοῦ καλοῦ φύσις ἐστὶ τῶν πρὸς ἐκείνην ἀναβλεπόντων.

[3] *Migne*, Patr. lat. 54, 198.

[4] *Migne*, Patr. gr. 29, 91: Τὸ καλὸν τῷ λόγῳ τῆς δημιουργίας κρίνεται.

[5] *Migne*, Patr. lat. 34, 158.

chrum, a vero secernere nesciunt. Utrumque autem scopulum facile vitabimus, si illud, quod supra statuimus, sequemur' scilicet: verum, bonum, pulchrum re ipsa quidem unum idemque esse, ratione tamen inter se differre. Quae differentia in eo sita est, quod verum non respicit nisi intellectum, bonum nonnisi appetitum; pulchrum vero simul et intellectum et appetitum respicit. Ut breviter dicam: Non omne verum est pulchrum, neque omne bonum est pulchrum; tamen omne pulchrum est et verum et bonum.

Cui sententiae subscribunt auctores gravissimi, cum pulchritudinem ex effectibus definiunt. Iam divus Plato in „Hippia maiore“ definit: „Pulchrum est id, quod per auditum et visum delectat.“ [1] Unde etiam in „Phaedro“ habet: „Pulchritudo hanc nacta sortem est, ut dilucidissima sit atque amabilissima.“ [2] Pulchritudo igitur secundum Platonem respicit et vim cognoscitivam et vim appetitivam. Similiter e Patribus Ecclesiae S. Gregorius Nyssenus utrumque effectum praedicat, cum De anima et resurrect. egregie ait: „Pulchrum amabile omnino est noscentibus.“ [3] Item S. Augustinus Epist. ad Marcellin. (138, n. 5): „Pulchrum per seipsum consideratur atque laudatur.“ [4] Et praeclarius Enarr. 2 in Ps. 32: „Pulchra sunt omnia, quae *oculis placent*.“ [5] Itaque per gradus quosdam ad illam tandem pervenimus definitionem, quam S. Thomas Aquinas S. th. 1. qu. 5. a. 4 ad 1 habet: „Pulchra dicuntur, quae *visa placent*.“ Ergo pulchrum est id, quod visum delectat [6].

Neque praetermittendum esse putamus id, quod licet obscure ipsa sacra Scriptura hac de re docet. Legimus enim Prov. 15, 30 secundum LXX: „Oculus pulchra spectans laetificat cor.“ [7] Quod proverbium Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 11 ita commentatur: „Oculus pulchra spectans laetificat cor; hoc est, qui recte contemplari didicit, laetitia afficit. Annuens autem oculo cum dolo, viris dolores congregat (Prov. 10, 10).“ [8]

Alterum locum habes in Sap. 9, 9, ubi de Sapientia divina haec

---

[1] *Astius*, Plato IX, 47: Τὸ καλόν ἐστι τὸ δι' ἀκοῆς τε καὶ ὄψεως ἡδύ.

[2] Ibid. I, 181: Κάλλος μόνον ταύτην ἔσχε μοῖραν, ὥστ' ἐκφανέστατον εἶναι καὶ ἐρασμιώτατον.

[3] *Migne*, Patr. gr. 46, 98: Τὸ καλὸν ἀγαπητὸν πάντως ἐστὶ τοῖς γινώσκουσι. Latina apud Migne versio ita se habet: „Quod pulchrum est, prorsus ab iis, qui id cognoscunt, dilectione dignum habetur.“

[4] *Migne*, Patr. lat. 33, 527. [5] Ibid. 36, 282.

[6] Etiam Abraham a S. Clara pulchritudinem recte definit, cum Jud. 1 (1686), 133 dicit: „So gar ist die Schönheit ein Magnet der Augen und Herzen“; id est, pulchritudo prorsus est magnes oculorum et cordium.

[7] LXX: Θεωρῶν ὀφθαλμὸς καλὰ εὐφραίνει καρδίαν. Textus tamen Masoreticus: מְאוֹר־עֵינַיִם יְשַׂמַּח־לֵב. Unde Vulgata vertit: „Lux oculorum laetificat animam.“

[8] *Migne*, Patr. gr. 8, 646: Θεωρῶν δὲ καλὰ ὀφθαλμὸς εὐφραίνει καρδίαν· τουτέστι, καλῶς μαθὼν θεωρεῖν, εὐφραίνει. Ἐννεύων δὲ ὀφθαλμὸν μετὰ δόλου, συνάγει ἀνδράσι λύπας.

dicuntur: „*Et sciebat, quid esset* **placitum oculis tuis**"; id est, sciebat, quid esset pulchrum.

III. In illa definitione, quae sonat: „Pulchrum est id, quod visum delectat", haec vocula ***visum*** non solum visionem oculorum, sed etiam cognitionem intellectus, ideoque totam significat vim cognoscitivam: sicut et illud ***delectat*** vel ***placet*** totam vim appetitivam complectitur. Unde S. Thomas Aquinas (S. th. 1, qu. 67, a. 1 c) recte infert: „De aliquo nomine dupliciter convenit loqui, uno modo secundum primam eius impositionem, alio modo secundum usum nominis, sicut patet in nomine visionis, quod primo impositum est ad significandum actum sensûs visûs; sed propter dignitatem et certitudinem huius sensus extensum est hoc nomen, secundum usum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum; dicimus enim: Vide quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum[1], et ulterius etiam ad cognitionem intellectus secundum illud Matth. 5, 8: ***Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.***" „Quare", ut monet Franzelin (De Deo uno sect. 3, c. 3, thes. 30), „in definitione tradita, si extendatur ad pulchrum qua late patet, visio intelligi debet non modo sensibilis, sed etiam et maxime intellectualis." Relatio autem, quam pulchritudo ad vim cognoscitivam habet, in illa definitione ideo et iure quidem vocabulo ***visum*** exprimi solet, quoniam in videndi officio primatum sine dubio oculi tenent.

§ 3. Corollarium.

Per quos sensus, quasi internuntios, homo pulchra percipiat.

I. Praecipuae facultates hominis sunt vis cognoscitiva et vis appetitiva, seu cognitio et appetitus. Cum totus autem homo ex anima rationali et sensuali corpore compositus sit, illae quoque duae facultates ad utramque partem hominis spectant. Itaque cognitio et appetitus sub duplici respectu considerari possunt: in quantum ad partem rationalem pertinent, superiores vel spirituales vocantur; inferiores autem vel sensuales, in quantum pertinent ad partem sensitivam. Hinc sensus corporis sunt quasi „internuntii" animae rationalis, vel „interpretes", ut S. Augustinus (De ver. relig. c. 30 et De lib. arbitr. lib. 2, c. 16) optime ait.

Iam quaeritur, per quosnam sensus homo ista pulchra percipiat. Sunt et fuerunt, qui omnes sensus hominis, id est inferiorem eius

---

[1] Thomas hac in re sequitur S. Augustinum, qui lib. 10 Confess. c. 35 ait: „Dicimus autem non solum: Vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt; sed etiam: Vide quid sonet; vide quid oleat; vide quid sapiat; vide quam durum sit. Ideoque generalis experientia sensuum concupiscentia, sicut dictum est, oculorum vocatur; quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam ceteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant" (*Migne*, Patr. lat. 32, 802).

cognitionem inferioremque appetitum a quovis pulchro prorsus excluderent [1]. At immerito; nam praeter pulchrum spirituale etiam pulchrum sensuale et corporeum exsistit, ut infra (Parte II, c. 1) fusius demonstrabimus. Praeterea pulchrum reale cum pulchri notione confundere non licet, quae notio sive idea certissime a sola mente atque intelligentia percipitur, nullatenus autem a sensibus.

Iam vero cum pulchrum, ut supra definivimus, cognitionem et appetitum simul respiciat, illico sequitur, ut homo ista pulchra per eos quoque percipiat sensus, qui cognitioni et appetitui serviunt quasi internuntii, i. e. per omnes sensus simul. Falsum ergo est, ea quae e. gr. soli appetitui (spirituali aut sensitivo) respondent, pulchra vocare.

Cui certe sententiae nostrae S. Augustinus lib. 10 Confess. c. 27 suffragatur. Postquam enim de pulchritudine divina exclamavit: „Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova“; illico docet hanc pulchritudinem in omnes facultates et sensus hominis vim habere. Etenim: „Vocasti, et clamasti, et rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, et fugasti caecitatem meam. Fragrasti, et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam.“ [2] Similia habet S. Gregorius Nyssenus in Eccl. homil. 8: „Pulchrum videtur hominibus, quod oculis per bonum colorem affert voluptatem, sive in inanima materia sive in animatis spectaculis. Auditui pulchra res est melodia. In saporibus quoque et odoribus pulchrum definitur: alterum quidem gustus, alterum vero odoratus. Omnium autem gravissimum et a ratione alienissimum est tactus, per quem intemperans voluptas in pulchro diiudicando primas apud naturam partes tenet.“ [3] Quae quidem verba ita intelligimus, ut

[1] Exempli causa *Ios. Jungmann* S. J. in opere suo, quod inscribitur Ästhetik. Jungmann tamen S. Franciscum Salesium, quoniam nostrae sententiae favet, mendose vertit. Secundum Salesium enim bonum est id quod placet „à l'appetit et volonté“, i. e. appetitui inferiori et superiori; pulchrum vero est id quod placet „à l'entendement et à la cognoissance“, i. e. cognitioni inferiori et superiori. Scribit enim Traité de l'amour de Dieu (1616) l. 1. ch. 1: „Or, comme dit excellement l'angélique S. Thomas, après le grand S. Denys, la beauté et la bonté, bien quelles ayent quelque convenance, ne sont pas neantmoins une mesme chose; car le bien est ce qui plaist à l'appetit et volonté, le beau ce qui plaist à l'entendement et à la cognoissance; ou pour le dire autrement, le bon est ce dont la jouissance nous delecte, le beau ce dont la cognoissance nous agrée.“ Quae verba ab Jungmann ita vertuntur: „Die Gutheit ist dasjenige (an einem Dinge), was dem Strebevermögen, dem Willen (à l'appetit et volonté) gefällt, die Schönheit dasjenige, was dem höheren (!) Erkenntnisvermögen (à l'entendement et à la cognoissance) gefällt; oder anders: gut ist ein Ding, insofern es als der natürliche Gegenstand eines unserer Vermögen uns Genuß gewährt; schön ist es, insofern seine Erkenntnis uns Genuß gewährt“ (Jos. Jungmann, Ästhetik, 3. Aufl., Freiburg i. Br. 1886, I, 294).

[2] *Migne*, Patr. lat. 32, 795.

[3] *Migne*, Patr. gr. 44, 734: Καλὸν φαίνεται τοῖς ἀνθρώποις, ὃ ὀφθαλμοῖς τινα ἡδονὴν διὰ τῆς εὐχροίας ἐντίθησιν, εἴτε ἐν τῇ ἀψύχῳ ὕλῃ, εἴτε ἐν τοῖς ἐμψύχοις θεά-

„pulchrum definiatur“ non per singulos sensus separatim, sed per omnes simul sensus, quippe qui cognitioni et appetitui deserviant.

II. Nihil tamen obstat, quominus homo maxime per visum et auditum pulchra attingat. „Vide enim“, inquit Socrates in ‚Hippia maiore‘, „si id quod nos delectet, non omnes dico voluptates, sed eas quae auditu et visu percipiuntur, dicamus esse pulchrum, quomodo huic adversemur? Pulchri homines, Hippia, et textilia omnia figuris distincta et picturae et imagines fictae delectant nos spectantes si pulchra sunt, et voces pulchrae et musica universa et orationes et fabulae idem hoc efficiunt; quocirca . . . pulchrum est id, quod per auditum et visum delectat.“ Et huius rei rationem reddens paulo post ita prosequitur: „At si nos roget . . . Cur tandem, Hippia et Socrate, separastis ab ipso iucundo hanc iucundi speciem, quam dicitis pulchram esse, ceterorum vero sensuum iucunditates, ut ciborum et potuum et rerum venerearum omniaque reliqua id genus negatis pulchra esse? . . . Necesse mihi videtur esse, Hippia, respondere, quia innocentissimae illae sunt e voluptatibus atque optimae.“[1] Nos vero supra iam ea quae soli appetitui respondent, ut cibus et potus et reliqua eiusmodi, pulchra appellanda non esse diximus, quoniam pulchra sunt ea tantum quae visa placent. Unde Platoni auditum et visum inducere opus erat, qui sensus maxime cognitioni deserviunt.

Platonem secutus est S. Thomas Aquinas, qui (S. th. 1. 2, qu. 27, a. 1 ad 3) docet: „Illi sensus praecipue respiciunt pulchrum, qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet visus et auditus rationi deservientes; dicimus enim *pulchra visibilia* et *pulchros sonos*. In sensibilibus autem aliorum sensuum non utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus *pulchros sapores* aut *odores*.“

Ista pulchra ergo totam hominis cognitionem totumque appetitum lacessunt; et haec ratio esse videtur, cur tantam in homines vim habeant.

μασι. Καλὸν τῇ ἀκοῇ τὸ μελῴδημα· καὶ ἐν τοῖς χυμοῖς δὲ καὶ ἐν τοῖς ὀσμοῖς καλὸν ὁρίζεται, τὸ μὲν ἡ γεῦσις, τὸ δὲ ἡ ὄσφρησις. Τὸ δὲ πάντων βαρύτατόν τε καὶ ἀλογώτατόν ἐστιν ἡ ἀφή, δι᾽ ἧς ἡ ἀκόλαστος ἡδονὴ ἐπὶ τῇ τοῦ καλοῦ ψήφῳ προτερεύει τῇ φύσει.

[1] *Astius*, Plato IX, 47 et 49 et 65: Ὅρα γάρ, εἰ ὃ ἂν χαίρειν ἡμᾶς ποιῇ, μή τι πάσας τὰς ἡδονάς, ἀλλ᾽ ὃ ἂν διὰ τῆς ἀκοῆς καὶ τῆς ὄψεως, τοῦτο φαῖμεν εἶναι καλόν, πῶς τί ἄρ᾽ ἂν ἀγωνιζοίμεθα; Οἵ τέ γέ που καλοὶ ἄνθρωποι, ὦ Ἱππία, καὶ τὰ ποικίλματα πάντα καὶ τὰ ζωγραφήματα καὶ τὰ πλάσματα τέρπει ἡμᾶς ὁρῶντας, ἃ ἂν καλὰ ᾖ, καὶ οἱ φθόγγοι οἱ καλοὶ καὶ μουσικὴ σύμπασα καὶ οἱ λόγοι καὶ αἱ μυθολογίαι ταὐτὸν τοῦτο ἐργάζονται . . . τὸ καλόν ἐστι τὸ δι᾽ ἀκοῆς τε καὶ ὄψεως ἡδύ. . . . Ἀλλ᾽ εἰ ἡμᾶς ἔροιτο . . . Τί δή, ὦ Ἱππία τε καὶ Σώκρατες, ἀφωρίσατε τοῦ ἡδέος τὸ ταύτῃ ἡδύ, ᾗ λέγετε καλὸν εἶναι, τὸ δὲ κατὰ τὰς ἄλλας αἰσθήσεις σίτων τε καὶ ποτῶν καὶ τῶν περὶ τἀφροδίσια καὶ τἆλλα πάντα τὰ τοιαῦτα οὔ φατε καλὰ εἶναι; . . . Ἀνάγκη δή μοι δοκεῖ εἶναι, ὦ Ἱππία, λέγειν ὅτι ἀσινέστατοι αὗται τῶν ἡδονῶν εἰσὶ καὶ βέλτισται. Cf. etiam *Suidae Lexicon* cit. II, 50: „Καλὸν δέ ἐστι καὶ τὸ δι᾽ ὄψεως ἢ δι᾽ ἀκοῆς ἡδύ: Καλόν etiam vocatur id, quod visu vel auditu iucundum est.“

CAPUT III.

Quomodo pulchritudinis definiatur natura.

Pulchritudinem hactenus ex effectibus describere conati sumus; unde definitio: „Pulchrum est quod visum placet.“ Verum nulla definitio est perfecta atque integra nisi ea, quam philosophi substantialem, Graecc οὐσιώδη appellant. Quid est ergo pulchrum in sese? Quanam in re consistit pulchritudinis substantia atque natura? Haec quaestio tantae plena est difficultatis, ut auctores, qui in effectibus pulchritudinis describendis satis conveniunt, in definienda eius natura plus minus inter se dissentiant. Itaque ut difficultatem solvamus, primum viam nudae theoriae (§° 1°) ingrediemur, deinde (§is sequentibus) tutiorem experientiae.

§ 1.

An ab effectibus pulchritudinis ad eius naturam theoretice perveniamus.

I. Si pulchrum ex effectibus cognitum est id, quod visum placet, quaeritur, utrum concludendo ad ipsam pulchritudinis substantiam atque naturam pervenire possimus. Brevi verbo: quid est illud, quod vocibus *visum* et *placet* respondere in ipsa pulchritudine oporteat? Perspicuum per se est, id quod in ipsa pulchritudine voci *visum* respondet, esse claritatem aut veritatem; id contra, quod vocabulo *placet* respondet, esse bonitatem. Unde naturam pulchritudinis tandem ita definire licet: Pulchritudo est id, quod rei veritatem (claritatem) et bonitatem complectitur. Ex qua tamen definitione nihil novi discimus, ut per se patet.

II. Iam vero sunt, qui vocabulum *visum* in definitione censeant maiorem vim habere quam illud *placet;* alii autem vice versa hoc *placet* pluris aestimant quam illud *visum.* Quo factum est, ut diversae definitiones pulchritudinis a diversis auctoribus deductae sint, quae nobis tamen minime placent. Quarum prima haec est: Pulchritudo est rei claritas, quae delectat. Et huic quidem definitioni S. Thomas Aquinas favere videtur, cum inter elementa pulchritudinis praecipue claritatem commemorat. Ait enim (S. th. 2. 2. qu. 145. a. 2 c): „Ad rationem pulchri sive decori concurrit et claritas, et debita proportio. Dicit enim (Dionysius) quod Deus dicitur *pulcher* sicut *universorum consonantiae, et claritatis causa*[1]. Unde pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate. Et similiter pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quod conversatio hominis

[1] *Dionysius* (Pseudo-Areopagita) c. 4 de div. Nom. part. 1, lect. 5 et 6, ut ab ipso S. Thoma citatur.

sive actio eius sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem." Et iterum (S. th. 1, qu. 39, a. 8 c): „Ad pulchritudinem tria requiruntur. Primo quidem integritas sive perfectio; quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt: et debita proportio sive consonantia: et iterum claritas, unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur." Quibus in locis aliquid pleonasmi inesse postea (sequenti § 3ª) demonstrabimus.

Neque satis concinne apteque censemus pulchritudinem definiri rei claritatem, quae delectat. Nam, ut alia praetermittamus, quaestio oritur, quid sit claritas. Quodsi *claritas* secundum nostram quidem sententiam non est nisi metaphora pro vocabulo *veritatis* posita[1], statim apparet, hac definitione: Pulchritudo est rei veritas, quae delectat — nihil novum proferri neque naturam pulchritudinis perobscuram ullo modo declarari aut explicari.

III. Inter auctores, qui in definitione pulchritudinis ex effectibus petita voci *placet* maximam vim tribuunt, eminet prae ceteris Ios. Kleutgen optimae notae theologus. Is enim (Instit. theol. qu. 4, c. 3, a. 1) naturam pulchritudinis ita explicat: „Pulchritudo est rei bonitas, quatenus haec mente cognita delectat."[2] Quae definitio, licet ab auctoribus, ut Ios. Jungmann[3], Hurter[4], Stentrup[5] aliisque adoptata et laudata sit, nobis tamen has ob rationes displicet:

1. Notio pulchritudinis notioni bonitatis ita subicitur, ut bonitas dicatur „genus proximum", cuius „species" sit pulchritudo; id quod fieri nequit, cum bonitas non respiciat nisi vim appetitivam; „bonum" enim, ut Aristoteles dicit, „est quod omnia appetunt". Pulchritudo vero non solum vim appetitivam, sed etiam vim cognoscitivam respicit; nam, ut Thomas Aquinas ait, „pulchra dicuntur quae visa placent". Quomodo ergo bonitas genus pulchritudinis proximum esse potest? Praeterea pulchritudo, ut infra (c. 4) demonstrabimus, „notio transcendentalis" est eodem modo, quo bonitas.

2. Quoniam verum, bonum, pulchrum non re ipsa, sed ratione tantum differunt, hae ipsae differentiae diligentius sunt respiciendae. At in ista definitione bonitas et veritas confundi videntur. Neque enim dicere licet: ***bonitas quatenus haec cognita,*** saltem non eo sensu, quasi bonitas aut bonum etiam vim cognoscitivam terminet. Etsi res aliqua, quae bona est, etiam vim cognoscitivam respicere potest, tamen quatenus haec res bona est, non respicit nisi vim appetitivam. Insuper ***bonitas, quatenus haec,*** scil. ut bonitas, ***mente cognita*** est, nihil aliud tandem esse potest nisi iterum bonitas, nondum autem pulchritudo.

[1] Etiam *Gerardus Gietmann* in „Allgemeine Ästhetik" (Freiburg i. Br. 1899), p. 111 confitetur: „Die Klarheit ist offenbar Wahrheit."

[2] *Ios. Kleutgen*, Institutiones theologicae I (Ratisbonae 1881), 418.

[3] Ästhetik I (ed. 3, Friburgi Brisg. 1886), 150.

[4] Theologiae dogmat. Compend. II (ed. 5, Oeniponte 1885), 37.

[5] Synops. tract. schol. de Deo uno (Oeniponte 1895), c. 8.

3. Illud additum *mente* in *quatenus mente cognita*, aut superfluum est, aut nimis angustum. Nam ista pulchra a mente humana cognoscuntur „sensu internuntio", ut S. Augustinus rectissime ait. Unde S. Thomas Aquinas in definitione sua hoc latioris sensus verbo *videre* optime usus est: „Pulchra dicuntur quae visa placent."

4. Negamus denique istam definitionem esse „ad mentem S. Thomae", ut auctores supra citati contendunt[1]. S. Thomas nimirum (S. th. 1. 2, qu. 27, a. 1 ad 3) ait, et rectissime quidem: „Pulchrum dicitur **id,** cuius ipsa apprehensio placet"; non autem scribit: Pulchrum dicitur **bonum,** cuius ipsa apprehensio placet, ex quo loquendi modo solo deduci potuisset, quod Kleutgen habet: „Pulchritudo est rei **bonitas,** quatenus haec mente cognita delectat."

Relinquamus proinde considerationis mere theoreticae viam nimis spinosam, utpote qua ad essentialem definitionem pulchritudinis vix perveniamus. Ingrediamur potius tutiorem viam experientiae, quam etiam Patres Ecclesiae in pulchritudine definienda inierunt. Hi enim in id potissimum incumbebant, ut tum ex pulchris operibus sive arte factis sive natura productis quae considerabant, tum ex regulis atque normis secundum quas artifices operari solent, ipsam pulchritudinis substantiam atque naturam perscrutarentur et, quantum fieri potest, definirent. Ac primum quidem in omnibus operibus pulchris videbant et laudabant symmetriam vel proportionem, harmoniam vel consonantiam.

§ 2.

De pulchritudinis natura, quae in harmonia atque proportione debita consistit.

Opera quae ab omnibus valde pulchra habentur, sunt 1⁰ mundus sive ista rerum universitas, quae Graece κόσμος nuncupatur; 2⁰ homo, qui a Graecis dicitur μικρόκοσμος. Iam vero Patres Ecclesiae et hominem et mundum testantur pulchrum esse propter harmoniam atque proportionem.

I. Et quod ad spectabilem hunc **mundum** attinet, S. Gregorius Nazianzenus Orat. in Epiph. dicit mundum esse „laudandum quidem ob singularem partium elegantiam, verum laudabiliorem ob eam, quae ex universis exsistit, bonam congruentiam atque concinnitatem (ἐξ ἁπάντων εὐαρμοστίας καὶ συμφωνίας), alia re videlicet cum alia quadam pulchro quadrante, atque omnibus cum universis, ad unius mundi ornatum omnibus numeris absolvendum."[2] Quam mundi pul-

---

[1] *Stentrup,* Synops. de Deo uno c. 7. thes. 56 dicit: „Mentem S. Thomae assequutus est Kleutgen de ipso Deo q. 4, c. 3 pulchritudinem dicens rei bonitatem, quatenus haec mente cognita delectat. Quam definitionem multis explicuit et nostra opinione ad evidentiam (!) usque probavit Jungmann in celebrato, quod de aesthetica conscripsit opere." Vide etiam *Jungmann* in cit. op. „Ästhetik" 1. 150ss.

[2] *Migne,* Patr. gr. 36, 322: ἐπαινετὸν μὲν τῆς καθ᾽ ἕκαστον εὐφυΐας, ἀξιεπαινετώ-

chritudinem tamdiu mansuram esse, quamdiu harmonia atque concinnitas perseveret, idem S. Gregorius Orat. de Pace I, n. 14 testatur dicens: „Quamdiu (universus hic mundus) secum bene regulatus atque pacatus est in propriis naturae suae finibus manens, nec quidquam adversus alterum insurgit atque ex iis benevolentiae vinculis, quibus ab artifice Verbo rerum universitas constricta est, excedit, et mundus (κόσμος) vere est, ut appellatur, et incomparabilis pulchritudo, nec aliquid unquam opus, quod quidem materia constet, illustrius aut magnificentius excogitari potest.“ [1] Iam antea S. Athanasius Orat. contra Gent. docuit Dei sapientiam esse, quae concinnitatem ideoque pulchritudinem huius mundi effecerit: „Quemadmodum musicus“, inquit „lyra ad concentum accommodata, gravibusque cum acutis, et mediis cum aliis arte temperatis, unum efficit concentum: ita quoque Dei sapientia universum mundum veluti lyram tenens, resque aërias cum terrenis, et caelestes cum aëriis coniungens, omniaque cum singulis connectens, et suo nutu ac voluntate circumducens, unum mundum (κόσμον) unumque mundi ordinem pulchre et concinne admodum efficit.“ [2]

Idem de pulchritudine mundi sentiunt Patres Latini. S. Ambrosius quidem lib. 2 Hexaëm. c. 5 illud Gen. 1, 10: „*Vidit Deus, quod esset bonum*“ (LXX ὅτι καλόν) explicans ait: „Illa est enim vera pulchritudo, et in singulis membris esse quod deceat, et in toto; ut in singulis gratia, in omnibus formae convenientis plenitudo laudetur.“ [3] Haec autem et in singulis et in toto decentia, vel haec in omnibus convenientia nihil aliud est nisi illa harmonia atque proportio. Quibus S. Augustinus quoque consentit De ver. relig. c. 43 dicens: „Totum istum mundum figurarum ratione pulchrum esse, non mole . . . cum illa ipsa numerosa successio et quaedam gradatio sive localium sive temporalium spatiorum, non tumore vel mora, sed ordinata convenientia pulchra iudicetur.“ [4] Et haec quidem de pulchritudine mundi.

II. Quod vero ad **hominem** μικρόκοσμον spectat, iidem Patres consentiunt pulchritudinem hominis in harmonia vel symmetria con-

τερον δὲ τῆς ἐξ ἁπάντων εὐαρμοστίας καὶ συμφωνίας, ἄλλου πρὸς ἄλλο τι καλῶς ἔχοντος, καὶ πάντων πρὸς ἅπαντα, εἰς ἑνὸς κόσμου συμπλήρωσιν.

[1] *Migne*, Patr. gr. 35, 739: Ἕως μὲν (ὁ σύμπας οὗτος κόσμος) εὐσταθεῖ καὶ εἰρηνεύει πρὸς ἑαυτόν, ἐν τοῖς ἰδίοις ὅροις μένων τῆς φύσεως, καὶ οὐδὲν τοῦ ἑτέρου κατεξανίσταται, οὐδὲ τῶν τῆς εὐνοίας ἐκβαίνει δεσμῶν, οἷς ὁ τεχνίτης Λόγος τὸ πᾶν συνέδησε, κόσμος τέ ἐστιν, ὥσπερ λέγεται, καὶ κάλλος ἀπρόσιτον, καὶ οὐδὲν μή ποτε τούτου τις ἐπινοήσειε λαμπρότερον ἢ μεγαλοπρεπέστερον.

[2] Ibid. 25, 85: Οἷον γὰρ εἴ τις, λύραν μουσικὸς ἁρμοσάμενος καὶ τὰ βαρέα τοῖς ὀξέσι, καὶ τὰ μέσα τοῖς ἄλλοις τῇ τέχνῃ συναγαγών, ἓν τὸ σημαινόμενον μέλος ἀποτελοίη· οὕτω καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία, τὸ ὅλον ὡς λύραν ἐπέχων, καὶ τὰ ἐν ἀέρι τοῖς ἐπὶ γῆς συναγαγών, καὶ τὰ ἐν οὐρανῷ τοῖς ἐν ἀέρι, καὶ τὰ ὅλα τοῖς κατὰ μέρος συνάπτων καὶ περιάγων τῷ ἑαυτοῦ νεύματι καὶ θελήματι, ἓν τὸν κόσμον καὶ μίαν τὴν τούτου τάξιν ἀποτελεῖ καλῶς καὶ ἡρμοσμένως.

[3] *Migne*, Patr. lat. 14, 156. [4] Ibid. 34, 158.

sistere tum quoad corpus, tum quoad animam. Docent igitur imprimis pulchritudinem corporis humani sitam esse in symmetria membrorum et partium cum suavitate coloris coniuncta. Et re quidem vera Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 11 haec de pulchritudine corporis humani habet: „Corporalis pulchritudo, symmetria membrorum et partium cum bono colore.“ Quem „bonum colorem“ ulterius explicans ita prosequitur: „Hic est sanitatis aptus et appositus ornatus, per quem ficti simulacri accedit ad verum transitus, convenienter figurae quae a Deo data est.“ [1] Item S. Basilius M. in Hexaëm. homil. 2 pulchritudinem corporis describit: „Corporis pulchritudo ex partium inter se symmetria et apparente coloris bonitate.“ [2] Quam pulchritudinem ab omnibus facile cognosci docet Comment. in Isai. c. 5, n. 173: „A quonam eorum, qui oculos habent, internosci facile non potest sensibilis pulchritudo (τὸ αἰσθητὸν κάλλος)? Nimirum pulchritudo per mutuam quandam partium convenientiam bono colori emicanti coniunctam illico nisu quodam ultroneo et naturali obvios sibi conciliat, et vice versa deformitas suapte natura suos a se spectatores avertit.“ [3] Neque aliter sentit S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Pace II: „Bonum enim pacis“, inquit „apud nos versatur, quoad animam quidem per mutuum virtutum comitatum et societatem; quoad corpus autem per membrorum aut elementorum inter se concinnitatem atque proportionem (εὐαρμοστίᾳ καὶ συμμετρίᾳ), quarum una quidem pulchritudo, altera autem sanitas et est et nominatur.“ [4] Ceterum, ait idem Nazianzenus Orat. theol. II. „multa de hominis membris et partibus adhuc commemorare possis, ac de mutua earum concinnitate, quippe quae non solum ad utilitatem, sed simul etiam ad pulchritudinem et coniungantur et distinguantur“ [5].

Cum Graecis consentiunt Patres Latini. S. Ambrosius enim lib. 1 De off. minist. c. 45 de corporali pulchritudine hominis haec dicit: „Deus ergo primum hominem cum conderet, bona habitudine, bona mem-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 8, 639: Τὸ σωματικὸν κάλλος, συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας. Ἡ κομμωτικὴ τῆς ὑγιείας ἐνταῦθα εὔθετος, καθ' ἣν ἡ τοῦ εἰδώλου τοῦ ἐπιπλάστου εἰς τὸ ἀληθὲς μετάβασις, κατὰ τὸ σχῆμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ δεδομένον, περιγίνεται.

[2] Ibid. 29, 47: Τὸ ἐν τῷ σώματι καλὸν ἐκ τῆς πρὸς ἄλληλα τῶν μερῶν συμμετρίας, καὶ τῆς ἐπιφαινομένης εὐχροίας.

[3] Ibid. 30, 410: Τὸ δὲ αἰσθητὸν κάλλος τίνι τῶν ὀφθαλμοὺς ἐχόντων οὐκ εὔγνωστον; Ὅτι ἐν τῇ πρὸς ἄλληλα τῶν μερῶν συμμετρίᾳ μετὰ τῆς ἐπιφαινομένης εὐχροίας αὐτομάτῳ τινὶ καὶ φυσικῇ ὁλκῇ προσοικειοῦται τοὺς ἐντυγχάνοντας· καὶ μέντοι καὶ τὸ αἰσχρὸν αὐτόθεν ποιεῖ τὴν ἀποστροφὴν τοῖς ὁρῶσιν.

[4] Ibid. 35, 1147: (Τὸ εἰρηνεῖον) κατὰ μὲν ψυχὴν τῇ τῶν ἀρετῶν ἀντακολουθήσει καὶ κοινωνίᾳ, κατὰ δὲ σῶμα τῇ τῶν μελῶν ἢ τῶν στοιχείων πρὸς ἄλληλα εὐαρμοστίᾳ καὶ συμμετρίᾳ· ὧν τὸ μὲν κάλλος, τὸ δὲ ὑγίεια ἔστι τε καὶ ὀνομάζεται.

[5] Ibid. 36, 55: Πολλὰ δ' ἂν ἔτι φιλοσοφήσαις περὶ μελῶν καὶ μερῶν, καὶ τῆς πρὸς ἄλληλα τούτων εὐαρμοστίας, πρὸς χρείαν τε ὁμοῦ καὶ κάλλος συνεστώτων τε καὶ διεστώτων.

brorum compositione formavit, et optimam ei speciem dedit." [1] Haec autem „bona membrorum compositio" et „optima species" nihil aliud est nisi illa „symmetria membrorum et partium cum bono colore" coniuncta. S. Augustinus quoque pulchritudinem corporis humani in membrorum et partium harmonia atque congruentia consistere identidem docet; brevius quidem, cum Epist. (3) ad Nebrid. scribit: „Quid est corporis pulchritudo? Congruentia partium cum quadam coloris suavitate." [2] Et rursus Enarr. in Ps. 67, 13: „Speciosum est corpus distributione membrorum." [3] Fusius autem hanc sententiam S. Augustinus explicat in Serm. 243, c. 4: „Quis enim novit", inquit, „quemadmodum sibi invicem connexa sint membra, et quibus numeris coaptata? Unde vocatur etiam harmonia, quod verbum dictum est de musica, ubi videmus certe in cithara nervos distentos. Si omnes nervi similiter sonent, nulla est cantilena. Diversa distentio diversos edit sonos; sed diversi soni ratione coniuncti pariunt, non videntibus pulchritudinem, sed audientibus suavitatem. Istam rationem quisquis in membris humanis didicerit, tantum miratur, tantum delectatur, ut omni visibili pulchritudini ista ratio ab intelligentibus praeferatur." [4] Quibus ex verbis apparet illam membrorum harmoniam, quae in incommutabili idea sit, longe praestantiorem esse ea, quae in rerum natura exsistit. Quare lib. 22 De civ. Dei c. 24 ait: „Ita omnium partium congruentia numerosa sit, et pulchra sibi parilitate respondeat, ut nescias utrum in eo condendo maior sit utilitatis habita ratio, quam decoris. Certe enim nihil creatum videmus in corpore utilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem nobis id appareret, si numeros mensurarum, quibus inter se cuncta connexa sunt et coaptata, nossemus: quos forsitan data opera in his quae foris eminent, humana posset vestigare solertia; quae vero tecta sunt, atque a nostris remota conspectibus, sicuti est tanta perplexitas venarum atque nervorum et viscerum, secreta vitalium, invenire nullus potest. . . . Numeros tamen, de quibus loquor, quibus coaptatio, quae ἁρμονία Graece dicitur, tamquam cuiusdam organi, extrinsecus atque intrinsecus totius corporis constat, quid dicam, nemo valuit invenire, quos nemo ausus est quaerere? Qui si noti esse potuissent, in interioribus quoque visceribus, quae nullum ostendant decus, ita delectaret pulchritudo rationis, ut omni formae apparenti quae oculis placet, ipsius mentis, quae oculis utitur, praeferretur arbitrio." [5]

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 16, 89. [2] Ibid. 33, 65. [3] Ibid. 36, 821.
[4] Ibid. 38, 1145.
[5] Ibid. 41, 791. Cf. etiam doctrinam de *Sectione aurea* (de *serie aurea* et *aurescente*), quam Dr. *Constantin. Gutberlet* in opere suo „Naturphilosophie" (ed. 2. Münster 1894) p. 133 ss. fusius tractavit, ubi illi quoque citantur cl. Adolph. Zeising et Dr. Fr. X. Pfeifer, qui diligentius inquisiverunt, quam late pateat sectio aurea tum in disciplina mathematica, tum in rerum natura et operibus artis.

III. Neque tamen solius corporis pulchritudo a Patribus in harmonia ac symmetria collocatur, verum etiam et multo magis pulchritudo **animae**. Ita enim S. Basilius Homil. in Ps. 29 versum 8: „*Praestitisti decori meo virtutem*“ interpretatur: „Pulchra igitur est omnis anima, quae in symmetria propriarum virtutum conspicitur.“ [1] Quae verba iam S. Cyrillus Alexandrinus a S. Basilio mutuatus est, Explan. in eundem Psal. 29 dicens: „Pulchra igitur est omnis anima, quae in symmetria propriarum virtutum conspicitur, quoniam et corporis pulchritudo membrorum symmetria constat.“ [2] S. Cyrillus optime quidem hoc ultimum incisum addidit; etenim si his verbis recte corporis pulchritudo definitur, necesse est hanc definitionem mutatis mutandis etiam in pulchritudinem animae quadrare, id est, „virtutibus“ loco „membrorum“ substitutis. Immo vero S. Augustinus ulterius progressus De quant. anim. c. 33 animam, quo meliore virtutum symmetria excellat, eo potentiorem conservatricem esse existimat etiam congruentiae corporis pulchri. „Anima“, inquit, „congruentiam corporis modumque conservat, non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo et gignendo.“ [3] Huc referri potest ipsam rationem bene beateque vivendi in symmetria quadam atque convenientia consistere, sicut S. Ambrosius lib. 1 De off. minist. c. 19 dicit: „Hoc est enim pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui et personae reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodatus.“ [4] Quod iam Plato in „Philebo“ docuit: „E moderatione“, inquit, „et convenientia pulchritudo sane virtusque usquequaque solet efflorescere.“ [5]

IV. Quae de pulchritudine corporis et animae Patres Ecclesiae tractaverunt, ea fere pro rata parte ad pulchritudinem operum **arte** factorum transferri possunt. Omnis ars humana imitatio quaedam est naturae rerum. Iam vero pulchritudo operum natura productorum in harmonia vel proportione conspicitur: ergo etiam pulchritudo operum arte factorum in proportione atque concinnitate debita consistere censenda est.

Ad quam rem probandam illud S. Augustini lib. 2 De ord. c. 11 referre satis est, nimirum: „Ad oculos quod pertinet, in quo congruentia partium rationabilis dicitur, pulchrum appellari solet. Quod vero ad aures, quando rationabilem concentum dicimus cantum-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 29, 318: Καλὴ μὲν οὖν πᾶσα ψυχὴ ἡ ἐν συμμετρίᾳ τῶν οἰκείων δυνάμεων θεωρουμένη.

[2] Ibid. 69, 855: Καλὴ μὲν οὖν πᾶσα ψυχὴ ἡ ἐν συμμετρίᾳ τῶν οἰκείων δυνάμεων θεωρουμένη· ἐπεὶ καὶ σώματος κάλλος ἡ τῶν μελῶν συμμετρία. Latina apud Migne versio ita sonat: „Pulchra est igitur omnis anima, quae non absque suarum virtutum symmetria spectatur; nam et formositas corporis membrorum symmetria constat.“

[3] *Migne*, Patr. lat. 32, 1074. [4] Ibid. 16, 49.

[5] *Astius*, Plato III, 421. Μετριότης καὶ συμμετρία κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ συμβαίνει γίγνεσθαι.

que numerosum rationabiliter esse compositum, suavitas vocatur proprio iam nomine[1]. Sed neque in pulchris rebus cum nos color illicit, neque in aurium suavitate cum pulsa chorda quasi liquide sonat atque pure, rationabile illud dicere solemus. Restat ergo, ut in istorum sensuum voluptate id ad rationem pertinere fateamur, ubi quaedam dimensio est atque modulatio." Et exemplo artis achitectonicae utens hunc in modum prosequitur: „Itaque in hoc ipso aedificio singula bene considerantes, non possumus non offendi, quod unum ostium videmus in latere, alterum prope in medio, nec tamen in medio collocatum. Quippe in rebus fabricatis, nulla cogente necessitate, iniqua dimensio partium facere ipsi aspectui velut quandam videtur iniuriam. Quod autem intus tres fenestrae, una in medio, duae in lateribus, paribus intervallis solio lumen infundunt, quam nos delectat diligentius intuentes, quamque in se animum rapit, manifesta res est, nec multis verbis vobis aperienda. Unde ipsi architecti iam suo verbo rationem istam vocant, et partes discorditer collocatas dicunt non habere rationem. Quod late patet, ac paene in omnes artes operaque humana diffunditur. Iam in carminibus, in quibus item dicimus esse rationem ad voluptatem aurium pertinentem, quis non sentiat dimensionem esse totius huius suavitatis opificem? etc." [2]

Ex consensu Patrum Ecclesiae igitur satis constat, pulchritudinem κόσμου et μικροκόσμου, id est, mundi et hominis, necnon pulchritudinem operum arte factorum in debita consistere symmetria, vel harmonia, vel proportione, vel concinnitate, vel congruentia, vel convenientia, vel coaptatione, vel quomodocunque eandem rem appellare libuerit[3].

§ 3. Corollarium.

Quatenus S. Thomas Aquinas cum praecedente doctrina Patrum Ecclesiae consentiat.

S. Thomas Aquinas, ut imprimis notandum est, quaestionem de pulchritudine ex professo et perfecte minime solvit; neque id valde mirandum, quandoquidem hac in quaestione Dionysium Pseudo-Areopagitam maxime secutus esse videtur. S. Thomas enim uno loco (S. th. 1, qu. 39, a. 8 c) ad pulchritudinem requirit haec **tria** elementa:

---

[1] *Bossuet* musicam ita definit: „La Musique, qui par la juste proportion des tons, donne à la voix une force secrette pour délecter et pour émouvoir." (De la Connoissance de Dieu et soi-même. Ouvrage posthume, ch. 1, 15, Paris 1741, p. 67.)

[2] *Migne*, Patr. lat. 32, 1010.

[3] Consule etiam *Suidae* Lexicon, ubi „κάλλος" similiter definitur „συμμετρία τῶν ἀνομοιομερῶν ἐν ἡμῖν μερῶν, προσώπου, τραχήλου, χειρῶν, τῶν ἄλλων μερῶν: Pulchritudo est concinna partium dissimilium compositio, ut faciei, colli, manuum, ceterorum membrorum." (*Suidae* Lexicon Graece et Latine, recensuit *Godofr. Bernhardy*. Halis et Brunsvigae 1853. II, 50.)

1° integritatem sive perfectionem, 2° debitam proportionem sive consonantiam, 3° claritatem. „Ad pulchritudinem", inquit, „tria requiruntur. Primo quidem integritas sive perfectio, quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; et debita proportio sive consonantia; et iterum claritas, unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur." Altero autem loco (S. th. 2. 2, qu. 145, a. 2 c) ad rationem pulchri concurrere notat haec **duo** tantum: 1° claritatem, 2° debitam proportionem. Ait enim: „Ad rationem pulchri sive decori concurrit et claritas, et debita proportio." Tertio denique loco (S. th. 1. qu. 5, a. 4 ad 1) nonnisi in **uno**, nempe in debita proportione, pulchrum collocat. Dicit enim: „Pulchra dicuntur, quae visa placent; unde pulchrum in debita proportione consistit, quia sensus delectatur in rebus debite proportionatis." — Quid inde sequitur? S. Thomas illis tribus locis constanter non refert nisi debitam proportionem, quam ter notat; claritatem vero commemorat bis, integritatem semel tantum. De illa ergo debita proportione S. Thomas convenit cum Ecclesiae Patribus, quorum doctrinam supra retulimus.

Attamen quaestio est, quid de illa „claritate" dicendum sit, quidque de illa „integritate sive perfectione", quarum S. Thomas mentionem facit. Nos quidem utramque ad pulchritudinis essentiam minime pertinere censemus. Nam, quod imprimis ad „integritatem sive perfectionem" attinet, tantum abest, ut ad essentiam pulchritudinis pertineat, ut non solum de perfecta pulchritudine loquamur, sed etiam de pulchritudine imperfecta. — Praeterea, si res quaepiam, ut pulchra sit, omnino perfecta omnibusque numeris absoluta esse deberet, nescio an quidquam pulchri in tota hac universitate rerum inveniremus. — Hoc autem dicere communi repugnat sensui, qui vel ipsum statuae alicuius classicae fragmentum, quod Itali „torso" vocant, iure meritoque pulchrum esse iudicat. An fieri non posse iudicares, ut homo quidam, etsi quoad animum turpis atque deformis est, corpore tamen pulcher sit atque formosus, et vice versa? S. Ambrosius saltem lib. 1 off. minist. c. 46 ita censet: „Est igitur decorum quod praeeminet, cuius divisio gemina est. Nam est decorum quasi generale, quod per universitatem funditur honestatis, et quasi in toto spectatur corpore; est etiam speciale, quod in parte aliqua enitet." [1] Et eodem prorsus modo S. Augustinus lib. 1 De genes. contra Manich. c. 21: „Omnis pulchritudo quae partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in parte; sicut in corpore humano, si laudamus oculos solos, si nasum solum, si solas genas, aut solum caput, aut solas manus, aut solos pedes et cetera, si pulchra singula et sola laudamus: quanto magis totum corpus, cui omnia membra quae singula pulchra sunt, conferunt pulchritudinem suam." [2] Distingue igitur apprime inter pulchritudinem partialem sive imperfectam,

[1] *Migne*, Patr. lat. 16, 89. [2] Ibid. 34, 188.

et pulchritudinem totalem sive perfectam, et recole hanc laudabiliorem esse illa.

Quod deinde ad alterum momentum, scil. „claritatem" attinet, S. Thomas ipse Dionysium Pseudo-Areopagitam se sequi profitetur. Ait enim (S. th. 2. 2, qu. 145, a. 2 c): „Respondeo dicendum quod, sicut accipi potest ex verbis Dionysii c. 4 de div. Nom. part. 1, lect. 5 et 6, ad rationem pulchri sive decori concurrit et claritas, et debita proportio. Dicit enim quod Deus dicitur *pulcher*, sicut *universorum consonantiae et claritatis causa*. Unde pulchritudo corporis in hoc consistit quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate." Quae ultima verba: „cum quadam debiti coloris claritate" bene sunt notanda. Nam Clemens Alexandrinus aliique post eum Patres Ecclesiae supra definiverunt: „Corporalis pulchritudo, symmetria membrorum et partium cum bono colore" [1], Graece μετ' εὐχροίας. Quos iam anteiverat Cicero, qui Tusc. 4, 13 fin. illud μετ' εὐχροίας circumscribit „cum coloris suavitate"; dicit enim: Pulchritudo corporis est „quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate". Ex Cicerone rursus S. Augustinus hausit, cum Epist. ad Nebrid. scribit: „Quid est corporis pulchritudo? Congruentia partium cum quadam coloris suavitate."

S. Thomas ergo Aquinas, ut liquet, illud epitheton μετ' εὐχροίας, i. e. „cum coloris **suavitate**", in hoc aliud: „cum coloris **claritate**" mutasse censendus est. Ingenium enim Aquinatis rectissime sentiebat pulchrum non solum ad vim appetitivam pertinere, sed etiam ad vim cognoscitivam, quoniam „pulchra dicuntur, quae visa placent". Et haec videtur ratio esse, cur „claritatem" induxerit; tamen argumenta eius supra allata vim probandi vix ullam habent [2].

Patres enim Ecclesiae definitioni suae illud additum μετ' εὐχροίας, i. e. „cum coloris suavitate" (vel bonitate, vel sanitate), ad eum finem apposuerunt, ut corporalem pulchritudinem hominis viventis distinguerent et a cadavere et a statua. Et profecto Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 11 illud μετ' εὐχροίας ita explicat: „Corporalis pulchritudo, symmetria membrorum et partium cum bono colore. Hic est sanitatis aptus et appositus ornatus, per quem ficti simulacri accedit ad verum transitus, convenienter figurae quae a Deo data est. Ad ornandum autem secundum naturam magno praedita est artificio potus temperatura et cibi moderatio. Non solum enim corpus ex his sanitatem obtinet, sed etiam facit, ut ex his appareat pulchritudo. . . . Sanitatis autem liberalis flos est pulchritudo; sanitas enim intus operatur, exterius autem

[1] *Migne*, Patr. gr. 8, 639: Τὸ σωματικὸν κάλλος, συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας.

[2] *I. Winckelmann*, artis antiquae peritissimus, recte ait: „Die Farbe trägt zur Schönheit bei, aber sie ist nicht die Schönheit selbst" (Geschichte der Kunst des Alterthums, Wien 1776, I, 257).

efflorescens pulchritudo bonum colorem manifestum ostendit.“[1]

Accedit quod etiam pleonasmi aliquid inest in eo, quod S. Thomas claritatem proportioni vel symmetriae proprie adiungit. Proportio enim vel symmetria per se iam claritatem complectitur. Quod apparet quaerenti, quid sit proportio, quid symmetria. Symmetria nempe atque proportio, ut ex doctrina Patrum Ecclesiae mox probabimus, nihil aliud est nisi ipse ordo rei mensuratus et debitus. At vero nunc quaeram, utrum ideo aliquid ordinatum sit, quia est clarum; an ideo clarum sit, quia est ordinatum. Nemo sane est, qui non intelligat aliquid ideo clarum dici, quia est ordinatum. Claritas quippe ab ordine oritur, non vice versa ordo a claritate. Clarum igitur dicitur, quidquid rationabiliter est ordinatum. Ergo cum symmetria atque proportio in ordine debito consistat, claritas autem ex ordine debito effloreseat, efficitur ut claritatem ipsi proprie adiungere sit prorsus supervacaneum. Sed hoc ipsum demonstrandum nunc est, scil. symmetriam ac proportionem in ordine rationabili et debito sitam esse.

§ 4.

De pulchritudinis natura, quae in ordine debito consistit.

Cum ordo aeque ac proportio definiri possit membrorum et partium locatio sive dispositio debita, Patres Ecclesiae non dubitaverunt, loco ***symmetriae*** vel ***proportionis*** saepius ***ordinem*** debitum substituere: unde manifestum est naturam pulchritudinis ab eis ad ordinem referri. Iam Plato in „Gorgia“ pulchritudinem sine ordine debito concipi non posse docet: „Virtus cuiusque et suppellectilis et corporis et animi itemque omnium animantium non sic temere pulcherrima adest, sed ordine, recta ratione et arte, quae cuique illorum tributa est. . . . Ordine igitur ordinata atque ornata est virtus uniuscuiusque.“[2] Item Aristoteles Metaphys. M, 3 fin. elementa pulchri enumerans praeter symmetriam et definitum commemorat primo loco ordinem: „Pulchri

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 8, 639: Τὸ σωματικὸν κάλλος, συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας. Ἡ κομμωτικὴ τῆς ὑγιείας ἐνταῦθα εὔθετος, καθ' ἣν ἡ τοῦ εἰδώλου τοῦ ἐπιπλάστου εἰς τὸ ἀληθὲς μετάβασις, κατὰ τὸ σχῆμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ δεδομένον, περιγίνεται. Δεινὴ δὲ καλλωπίσαι κατὰ φύσιν ἡ τῶν ποτῶν εὐκρασία, καὶ ἡ τῶν σιτίων συμμετρία. Οὐ γὰρ μόνον τὴν ὑγίειαν ἴσχει τὸ σῶμα ἐκ τούτων, ἀλλὰ καὶ τὸ κάλλος διαφαίνεσθαι ποιεῖ. . . . Ἄνθος δὲ τῆς ὑγιείας ἐλευθέριον τὸ κάλλος· ἡ μὲν γὰρ ἔνδον τοῦ σώματος ἐργάζεται, τὸ δὲ εἰς τὸ ἐκτὸς τοῦ σώματος ἐξανθῆσαν φανερὰν ἐνδείκνυται τὴν εὔχροιαν. — Similiter S. Ambrosius lib. 1 De off. c. 45: „Pulchritudo super salubritatem ac valetudinem videtur excellere, et tamen sine his esse non potest neque ullo separari modo, quoniam nisi bona valetudo sit, pulchritudo esse ac venustas non potest“ (*Migne*, Patr. lat. 16, 88).

[2] *Astius*, Plato I, 417: Ἡ ἀρετὴ ἑκάστου, καὶ σκεύους καὶ σώματος καὶ ψυχῆς αὖ καὶ ζώου παντός, οὐχ οὕτως εἰκῇ κάλλιστα παραγίγνεται, ἀλλὰ τάξει καὶ ὀρθότητι καὶ τέχνῃ, ἥτις ἑκάστῳ ἀποδέδοται αὐτῶν. . . . Τάξει ἄρα τεταγμένον καὶ κεκοσμημένον ἐστὶν ἡ ἀρετὴ ἑκάστου.

namque maxime species", inquit, „sunt ordo et symmetria et definitum." [1]

Ex Patribus autem Ecclesiae S. Basilius in Hexaëm. homil. 3 expresse docet pulchritudinem ex proportione emergentem cuilibet homini, licet rudi, manifestam evadere, si membra alicuius corporis, vel partes in proprium ordinem reponantur. „Si manus seorsum", inquit, „aut oculus privatim, aut unumquodque statuae membrum separatim iaceret, haec utique non cuivis pulchra viderentur; si vero in proprium ordinem reponantur, tum pulchritudo ex proportione emergens, quae modo vix in conspectum veniebat, iam vel cuivis homini rudi manifesta evadit." Neque verba quae subsequuntur, praetermittenda esse putamus: „Verum artifex ante compositionem novit cuiusque partis pulchritudinem, laudatque singula, utpote qui ad eorum finem animum intendat. Deus itaque et nunc (scil. in Hexaëmero) pepingitur ceu talis quispiam artifex, qui opera singula laudat, immo etiam toti simul mundo absoluto congruam laudem non dubitat tribuere." [2] Legimus enim Gen. 1, 4: „*Et vidit Deus lucem, quod esset bona.*" Versio LXX habet „ὅτι καλόν", quod ter deinceps in Hexaëmero repetitur. Toto autem mundo creato Gen. 1, 31 haec legimus: „*Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*" — apud LXX: „καλὰ λίαν", i. e. pulchra valde. Unde etiam S. Gregorius Nazianzenus Orat. de moder. in disput. pulchritudinem mundi in ordine debito consistere dicit: „Ordine omnia", inquit, „concinnata et distincta sunt, et quidem concinnatore Verbo". Et aliquanto post: „Atque vigente quidem ordine stat mundus (κόσμος), hoc universum, neque pulchritudo eius perturbari potest. Confusio autem atque perturbatio (ἀκοσμία), in aëre procellas, in terra motus, in mari exundationes, in urbibus domibusque bella, in corporibus morbos, in animis vitia procreavit." [3]

S. Ambrosius quoque in Ecclesia occidentali existimat pulchritudinem ex ordine debito oriri; nam lib. 1 Hexaëm. cap. 7 Deum dicit omnibus rebus donavisse „ordinem et decorem": „Ubi erat hyle",

[1] *Aristot.*, Op. ed. Academia Reg. Boruss. II, 1078a: Τοῦ δὲ καλοῦ μέγιστα εἴδη τάξις καὶ συμμετρία καὶ ὡρισμένον. Versio in III, 529.

[2] *Migne*, Patr. gr. 29, 75: Ἐπεὶ καὶ χεὶρ καθ' ἑαυτήν, καὶ ὀφθαλμὸς ἰδίᾳ, καὶ ἕκαστον τῶν τοῦ ἀνδριάντος μελῶν διῃρημένως κείμενα, οὐκ ἂν φανείη καλὰ τῷ τυχόντι· πρὸς δὲ τὴν οἰκείαν τάξιν ἀποτεθέντα, τὸ ἐκ τῆς ἀναλογίας, ἐμφανὲς μόλις ποτέ, καὶ τῷ ἰδιώτῃ παρέχεται γνώριμον. Ὁ μὲν τεχνίτης καὶ πρὸ τῆς συνθέσεως οἶδε τὸ ἑκάστου καλόν, καὶ ἐπαινεῖ τὰ καθ' ἕκαστον πρὸς τὸ τέλος αὐτῶν ἐπαναφέρων τὴν ἔννοιαν. Τοιοῦτος οὖν δή τις καὶ νῦν, ἔντεχνος ἐπαινέτης τῶν κατὰ μέρος ἔργων ὁ Θεὸς ἀναγέγραπται· μέλλει δὲ τὸν προσήκοντα ἔπαινον καὶ παντὶ ὁμοῦ τῷ κόσμῳ ἀπαρτισθέντι πληροῦν.

[3] Ibid. 36, 183: Τάξει τὰ πάντα διεκοσμήθη, καὶ ὁ διακοσμήσας Λόγος. . . . Καὶ τάξεως μὲν ἐπικρατούσης, κόσμος, τὸ Πᾶν, καὶ τὸ κάλλος ἀκίνητον. Ἀταξία δὲ καὶ ἀκοσμία, ἐν μὲν ἀέρι τοὺς σκηπτούς, ἐν δὲ γῇ τοὺς σεισμούς, ἐν δὲ θαλάσσῃ τὰς ἐπικλύσεις, ἐν δὲ πόλεσι καὶ οἴκοις πολέμους, ἐν δὲ τοῖς σώμασι τὰς ἀρρωστίας, ἐν δὲ ψυχαῖς τὰς ἁμαρτίας, ἐκαινοτόμησεν.

inquit, „nisi forte dicatur quadam dementi intentione, quia in Deo erat? . . . Quemadmodum ergo invisibilia visibilibus, et ei qui ordinem et decorem donavit omnibus, incomposita copulabantur?"[1] Eiusdem sententiae est S. Augustinus, cum lib. 13 Confess. c. 35 istum mundum „ordinem pulcherrimum" appellat: „Omnis quippe iste ordo pulcherrimus rerum valde bonarum modis suis peractis transiturus est."[2] Item De ver. relig. c. 43, quem locum iam supra citavimus. dicit: „Illa ipsa numerosa successio (mundi) et quaedam gradatio sive localium sive temporalium spatiorum, non tumore vel mora, sed ordinata convenientia pulchra iudicatur."[3] Similia habet S. Bernardus Homil. 2 super „Missus". Deus, inquit, „in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit."[4] Unde S. Thomas Aquinas Expos. in Ps. 26 infert: „Videre ordinem universi et dispositionem divinae providentiae est valde delectabile." Immo tanta est vis ordinis, ut vel ipsa mala et deformia, simul atque in ordinem redacta sunt, decorem universi augeant, teste S. Augustino, qui lib. 2 De ordine c. 4 scribit: „Mala in ordinem redacta, faciunt ad decorem universi."[5]

Confectum est igitur, quod probandum suscepimus, scil. pulchritudinem secundum doctrinam Patrum Ecclesiae in ordine debito collocandam esse, et tam universe quidem, ut cum S. Augustino De ver. relig. c. 41 sine ambagibus dicere possimus: „Nihil est ordinatum, quod non sit pulchrum"[6]; vel cum Bossuet: „La beauté ne consiste que dans l'ordre, c'est-à-dire dans l'arrangement et la proportion."[7]

§ 5.

De pulchritudinis natura, quae in debita unitate consistit.

Postquam naturam pulchritudinis in symmetria atque proportione, aut quod in idem fere recidit, in ordine debito consistere argumentis praecipue patristicis hactenus late demonstravimus, iam oritur altera quaestio: Estne forte aliquid ultra, quo progredi in stabilienda pulchritudinis natura possimus? Ut statim respondeam, dico S. Augustinum saltem ultimam rationem atque causam pulchritudinis ad unitatem revocasse; qua in re episcopus Hipponensis, mea quidem opinione, reli-

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 14, 136. [2] Ibid. 32, 867. [3] Ibid. 34, 159.
[4] Ibid. 183, 67. [5] Ibid. 32, 999.
[6] Ibid. 34, 158. Illa quoque „tranquillitas classica", quam in operibus summae artis admirari solemus, ab ordine pendere videtur, quoniam S. Augustinus lib. 19 De civ. Dei c. 13 docet: „Pax omnium rerum tranquillitas ordinis." (Ibid. 41, 640.)
[7] De la Connoissance de Dieu et soi-même ch. 1. 8 (Paris 1741), p. 41. Ubi paulo post: „Juger de la beauté, c'est juger de l'ordre, de la proportion et de la justesse." (Vocabulum *connaissance* ex illo *connoissance*, hoc iterum e *cognoissance* ductum esse facile intelligitur.)

quos Patres Ecclesiae longe superavisse videtur. Quae sublimis eius sententia, quam in toto hoc opere deinceps sequemur, digna est, quae diligentius ad trutinam revocetur. Atque primum quidem positiva argumenta, deinde vero argumenta negativa afferemus.

A. Argumenta positiva.

I. Notionem pulchritudinis ad notionem harmoniae vel proportionis supra revocavimus, quae iterum ad notionem ordinis debiti reduci potuit. Itaque si eadem via pergentes quaerimus, quid sit tandem aliquando hic ordo debitus, haud scio, an ad illam perveniamus unitatem, in qua ultimam pulchritudinis rationem S. Augustinus collocavit.

Et re quidem vera S. Augustinus lib. 19 De civ. Dei c. 13 ordinem ita definit: „Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.“ [1] Licet ex hac definitione magis symmetria quam unitas eluceat, tamen illa *dispositio*, quae suum cuique rei locum tribuat, sine unitate quadam esse nequit. Item vocabulum συμμετρία, quod ex σύν et μέτρον compositum est, haud obscure unitatem significat, quoniam in symmetria mensura quaedam conspicitur, quae omnes rei partes aut vires ad unitatem quandam revocat. Utilior tamen est definitio communiter recepta: Ordo est unitas in multitudine. Et profecto ordo debitus sine debita unitate ne cogitari quidem potest. Ubi enim unitas est, ibi ordo: ubi unitas deest, confusio exsistit atque perturbatio. Iam vero, ut forma syllogismi utamur, pulchritudo certissime in ordine debito consistit. Atqui ordo ipse consistit in debita unitate. Ergo etiam pulchritudo in debita unitate quaerenda est.

II. S. Augustinus quidem, ut pulchritudinem revera in debita unitate consistere demonstraret, illas regulas artis considerabat atque leges, secundum quas artifices operari solent. Etenim De ver. relig. c. 32 ait: „Multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, ut iudicent, cur ista visibilia placeant. Itaque si quaeram ab artifice, uno arcu constructo, cur alterum parem contra in altera parte moliatur; respondebit, credo, ut paria paribus aedificii membra respondeant. Porro, si pergam quaerere, idipsum cur eligat; dicet, hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes: nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, et unde pendeat non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum et invisibiliter videntem non desinam commonere, cur ista placeant, ut iudex esse audeat ipsius delectationis humanae. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur, dum non secundum ipsam, sed ipsam iudicat. Et prius quae-

[1] *Migne*, Patr. lat. 41, 640. S. Bernardus in parvis sermonibus, serm. 3, illam definitionem paululum mutavit: „Ordo est partium disparium rerum sua cuique loca tribuens dispositio“ (cf. *Petavius*, De Deo lib. VI, c. 1, n. 10).

ram utrum ideo pulchra sint, quia delectant: an ideo delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare quia pulchra sunt. Quaeram ergo deinceps, quare sint pulchra; et si titubabitur, subiciam, utrum ideo quia similes sibi partes sunt, et aliqua copulatione ad **unam** convenientiam rediguntur. Quod cum ita esse compererit, interrogabo utrum hanc ipsam **unitatem**, quam convincuntur appetere, summe impleant, an longe infra iaceant, et eam quodammodo mentiantur. Quod si ita est (nam quis non admonitus videat, neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus quod non habeat unitatis qualecunque vestigium; neque quantumvis pulcherrimum corpus, cum intervallis locorum necessario aliud alibi habeat, posse assequi eam quam sequitur **unitatem**?): quare si hoc ita est, flagitabo ut respondeat, ubi videat ipse unitatem hanc, aut unde videat: quam si non videret, unde cognosceret et quid imitaretur corporum species et quid implere non posset? Nunc vero cum dicit corporibus: Vos quidem nisi aliqua unitas contineret, nihil essetis, sed rursus, si vos essetis ipsa unitas, corpora non essetis; recte illi dicitur: Unde illam nosti unitatem, secundum quam iudicas corpora, quam nisi videres, iudicare non posses quod eam non impleant: si autem his corporeis oculis eam videres, non vere diceres, quamquam eius vestigio teneantur, longe tamen ab ea distare? nam istis oculis corporeis non nisi corporalia vides: mente igitur eam videmus.“ [1] Quibus ex verbis apparet S. Augustinum ultimam pulchritudinis rationem atque formam in unitate posuisse: ita tamen, ut natura spiritualis unitatem magis regerat quam natura corporalis, solus autem Deus unitatem summo gradu impleat, dum corpora ne illam quidem, quae in idea est, unitatem suam prorsus adipisci possint.

Similia S. Augustinus habet De ver. relig. c. 30, quae maximi ponderis sunt: „Ipsius artis natura“, inquit, „quaerenda est. . . . Sed cum in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva et pulchra sunt omnia; **ipsa vero convenientia aequalitatem unitatemque appetat,** vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium: quis est qui summam aequalitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audiatque dicere, cum diligenter consideraverit, quodlibet corpus vere ac simpliciter unum esse: cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur, et partibus constent sua loca obtinentibus, per quae in spatia diversa dividuntur? Porro ipsa vera aequalitas ac similitudo atque ipsa vera et prima unitas non oculis carneis neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscunque in corporibus appeteretur aequalitas, aut unde convinceretur, longe plurimum differre a perfecta, nisi ea quae perfecta est, mente videretur? si tamen quae facta

[1] *Migne,* Patr. lat. 34, 148.

non est, perfecta dicenda est. Et cum omnia quae sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita sive artibus elaborata, locis et temporibus sint pulchra, ut corpus et corporis motus: illa aequalitas et **unitas** menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuntio iudicatur, nec loco tumida est, nec instabilis tempore. . . . Quod si minora et maiora spatia figurarum atque motionum secundum eandem legem parilitatis, vel similitudinis, vel congruentiae iudicantur, ipsa lex maior est his omnibus." [1] Quae verba in breviorem formam syllogismi redacta hunc fundunt sensum: Pulchritudo in „congruentia vel convenientia" sita est. „Ipsa vero convenientia unitatem appetit." Ergo pulchritudo in unitate consistere censenda est.

III. Simile argumentum cum S. Augustino deducere possumus e mensura et numero, sine quibus nulla res sive naturae sive artis pulchra esse potest. Omnis quippe numerus ut ab uno incipit, sic ad unum reducitur. Unde non tantum omnes artifices humani „in arte habent numeros, quibus coaptant opera sua", ut S. Augustinus infra ait, sed vel ipse Deus, qui summus artifex est, totum istum mundum pulcherrimum „in mensura et numero et pondere" condidit, teste sacra Scriptura Sap. 11, 21: *„Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti."*

De artificibus quidem S. Augustinus lib. 2 De lib. arbitr. c. 16 multa concinne profundeque disserit: „Et omnium quidem formarum corporearum artifices homines in arte habent numeros, quibus coaptant opera sua: et tamdiu manus atque instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris ad eam quae intus est lucem numerorum relatum, quantum potest impetret absolutionem, placeatque per interpretem sensum interno iudici supernos numeros intuenti. Quaere deinde artificis ipsius membra quis moveat, numerus erit: nam moventur etiam illa numerose. Et si detrahas de manibus opus, et de animo intentionem fabricandi, motusque ille membrorum ad delectationem referatur, saltatio vocabitur. Quaere ergo quid in saltatione delectet, respondebit tibi numerus: Ecce sum. Inspice iam pulchritudinem formati corporis, numeri tenentur in loco. Inspice pulchritudinem mobilitatis in corpore, numeri versantur in tempore. Intra ad artem unde isti procedunt, quaere in ea tempus et locum: nunquam erit, nusquam erit, vivit in ea tamen numerus: nec eius regio spatiorum est, nec aetas dierum; et discendae arti tamen cum se commendant, qui se artifices fieri volunt, corpus suum per loca et tempora movent, animum vero per tempora; accessu quippe temporis peritiores fiunt. Transcende ergo et animum artificis, ut numerum sempiternum videas; iam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit et de ipso secretario veritatis." [2] Haec quidem ille de „numero". Atqui idem Augustinus lib. 6 De mus. c. 17 ex altera

[1] *Migne,* Patr. lat. 34, 146. [2] Ibid. 32, 1263.

parte docet: „Numerus et ab **uno** incipit, et aequalitate ac similitudine **pulcher** est, et **ordine** copulatur."[1] Ergo pulchritudinem tandem ipsam ad unitatem debitam oportet revocari.

IV. Eadem denique sententia non solum ex artis natura et operatione artificum comprobari potest, sed etiam ex consideratione huius mundi pulcherrimi, qui maxime harmonia sua atque unitate quadam mirabili Deum praedicat auctorem summumque artificem. Et profecto sapientia Dei, ut Sap. 8, 1 legimus, *„attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter"*. Et rursus Sap. 11, 21: *„Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti."* Iam vero haec dispositio haud obscure ordinem et unitatem ideoque pulchritudinem mundi prodit, siquidem S. Augustinum supra audivimus dicentem: „Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio."

Et re quidem vera omnia, quae in mundo unitatem appetunt et quantum fieri potest implent, hoc ipso pulchra esse, S. Augustinus lib. 6 De mus. c. 17 aperte pronuntiat: „Ipsa species", inquit, „qua item a ceteris elementis terra discernitur, nonne et unum aliquid quantum accepit ostentat, et nulla pars eius a toto est dissimilis, et earundem partium connexione atque concordia suo genere saluberrimam sedem infimam tenet? Cui superfunditur aquarum natura, nitens et ipsa ad unitatem, speciosior et perlucidior propter maiorem similitudinem partium, et custodiens locum ordinis et salutis suae. Quid de aëris natura dicam, multo faciliore complexu ad unitatem nitente, et tanto speciosiore aquis, quam illae terris sunt, tantoque superiore ad salutem? Quid de caeli supremo ambitu, quo tota universitas visibilium corporum terminatur, et summa in hoc genere species, ac saluberrima loci excellentia?"[2] Itaque breviter: quaelibet res eo speciosior evadit, quo intensior fit eius unitas.

Neque his dissimilia edisserit S. Augustinus lib. 2 De ord. c. 15: (Ratio humana), inquit, „terram caelumque collustrans, sensit nihil aliud quam pulchritudinem sibi placere, et in pulchritudine figuras, in figuris dimensiones, in dimensionibus numeros." Et paulo post: „In . . . omnibus disciplinis occurrebant ei omnia numerosa, quae tamen in illis dimensionibus manifestius eminebant, quas in seipsa cogitando atque volvendo intuebatur verissimas: in his autem quae sentiuntur, umbras earum potius atque vestigia recolebat." Et perpaucis interiectis prosequitur: „Tractavit omnia diligenter, percepit prorsus se plurimum posse; et quidquid posset, numeris posse."[3] Atque ut sententia eius magis magisque pateat, idem lib. 2 De lib. arbitr. c. 16 ait: „(Sapientia) *in viis ostendet se illis hilariter, et omni providentia occurret illis* (Sap. 6, 17). Quoquo enim te verteris, vestigiis quibusdam, quae operibus suis impressit, loquitur tibi, et te

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 1191. [2] Ibid. 32, 1192. [3] Ibid. 32, 1014.

in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intro revocat; ut quidquid te delectat in corpore, et per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, et quaeras unde sit, et in teipsum redeas, atque intelligas te id quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quaecque pulchra sentis exterius. Intuere caelum et terram et mare, et quaecunque in eis vel desuper fulgent, vel deorsum repunt vel volant vel natant, formas habent, quia numeros habent; adime illis haec, nihil erunt. A quo ergo sunt, nisi a quo numerus; quandoquidem in tantum illis est esse, in quantum numerosa esse?"[1] Et rursus lib. 6 De mus. c. 13: „Haec igitur pulchra numero placent, in quo iam ostendimus aequalitatem appeti. Non enim hoc tantum in ea pulchritudine quae ad aures pertinet, atque in motu corporum est, invenitur, sed in ipsis etiam visibilibus formis, in quibus iam usitatius dicitur pulchritudo. An aliud quam aequalitatem numerosam esse arbitraris, cum paria paribus bina membra respondent; quae autem singula sunt, medium locum tenent, ut ad ea de utraque parte paria intervalla serventur?"[2] Et paulo post: „Quid in ipsa luce visibili, quae omnium colorum habet principatum; nam et color nos delectat in corporum formis: quid ergo aliud in luce et coloribus, nisi quod nostris oculis congruit, appetimus? Etenim a nimio fulgore aversamur, et nimis obscura nolumus cernere; sicut etiam in sonis et a nimium sonantibus abhorremus, et quasi susurrantia non amamus. Quod non in temporum intervallis est, sed in ipso sono, qui quasi lux est talium numerorum, cui sic est contrarium silentium, ut coloribus tenebrae. In his ergo cum appetimus convenientia pro naturae nostrae modo, et inconvenientia respuimus, quae aliis tamen animalibus convenire sentimus, nonne hic etiam quodam aequalitatis iure laetamur, cum occultioribus modis paria paribus tributa esse cognoscimus?[3] Hoc in odoribus et in saporibus, et in tangendi sensu animadvertere licet, quae longum est enucleatius persequi, sed explorare facillimum; nihil enim est horum sensibilium, quod

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 1263.

[2] Eandem sententiam S. Augustinus promit, cum De ver. relig. c. 31 ait: „Possum dicere, quare similia sibi ex utraque parte respondere membra cuiusque corporis debeant? quia summa aequalitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor." (*Migne*, Patr. lat. 34, 174.) Et lib. 11 De civ. Dei c. 22: Pulchritudo „non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum." (*Migne*, Patr. lat. 41, 335.) Et lib. imperf. De genes. c. 16: „Tanto est pulchrius corpus, quanto similioribus inter se partibus suis constat." (*Migne*, Patr. lat. 34, 243.)

[3] Eiusdem sententiae est *Bossuet* in opusculo citato De la connoissance de Dieu et soi-même ch. I, 8, p. 44: „Ce qui nous fait trouver une couleur belle, c'est un jugement secret que nous portons en nous-mêmes de sa proportion avec notre oeil qu'elle divertit. Les beaux tons, les beaux chants, les belles cadences ont la même proportion avec notre oreille."

nobis non aequalitate aut similitudine placeat. Ubi autem aequalitas aut similitudo, ibi numerositas; nihil est quippe tam aequale aut simile quam **unum** et **unum**." [1]

Quae cum ita sint, mirum non est, quod S. Augustinus etiam totam rerum universitatem, quippe quae ab uno nomen acceperit, propter hanc ipsam unitatem pulchram, immo valde pulchram esse censet lib. 1 De genes. contr. Manich. c. 21: „Et vidit Deus omnia quaecunque fecit esse bona valde (Gen. 1, 31). Cum enim de singulis ageret, dicebat tantum: Vidit Deus quia bonum est; cum autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere *bona*, nisi adderetur et *valde*. Si enim singula opera Dei, cum considerantur a prudentibus, inveniuntur habere laudabiles mensuras et numeros et ordines in suo quaeque genere constituta: quanto magis omnia simul, id est ipsa universitas, quae istis singulis in **unum** collectis impletur? Omnis enim pulchritudo quae partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in parte." Et paulo post celebre illud atque inclytum legitur dictum: „Tanta est vis et potentia integritatis et **unitatis**, ut etiam quae multa sunt bona tunc placeant, cum in universum aliquid conveniunt atque concurrunt. Universum autem ab **unitate** nomen accepit." [2] Oculos tamen mentis hanc unitatem pulchritudinemque universi mundi videre non posse, nisi prius quodammodo fuerint purgati, idem Augustinus lib. 1 De ord. c. 2 merito inculcat: „Ita enim animus sibi redditus quae sit pulchritudo universitatis intelligit, quae profecto ab **uno** cognominata est. Idcircoque illam videre non licet animae quae in multa procedit sectaturque aviditate pauperiem, quam nescit sola segregatione multitudinis posse vitari." [3]

Quae omnia in unum colligentes optimo iure totum hoc argumentum concludere tandem possumus proclamando illud quod S. Augustinus Epist. ad Caelestin. habet axioma: **„Omnis pulchritudinis forma unitas est."** [4]

B. Argumenta negativa.

I. Pulchro opponitur turpe vel deforme. Iam vero ex definitione turpitudinis vel deformitatis rursus colligere argumento e contrario licet, pulchritudinem essentialiter unitate contineri. Quid enim est turpe? quid deforme? Turpitudo vel deformitas nihil est aliud quam disharmonia et incongruentia, dissensio et discordia, confusio et perturbatio, uno verbo: privatio ordinis atque unitatis.

Et sane S. Basilius Homil. in Ps. 29 pulchritudini opponi perturbationem clare pronuntiat. Illud enim Ps. 29, 8: „*Domine, in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*", explanans ait: „Cum igitur Dei voluntati

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 1184. [2] Ibid. 34, 188. [3] Ibid. 32, 979.
[4] Ibid. 33, 85.

aversio opponatur, pulchritudini vero et decori virtutique perturbatio, utique **perturbatio** fuerit **deformitas** (ἡ ταραχὴ αἶσχος) et infirmitas animae, ex alienatione a Deo proveniens."[1] Cui argumento consentit S. Gregorius Nazianzenus Orat. de moder. in disput.: „Quidnam in nostra doctrina pulcherrimum est? Pax. Addam etiam utilissimum. Contra, quid turpissimum ac perniciosissimum? Discordia."[2] Item Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 7 foeditatem dicit privationem esse ordinis: „Foeditas enim et morbus defectus quidam formae est, ordinisque privatio."[3] Ergo pulchritudo e contra est forma, ordo, unitas.

In Ecclesia occidentali S. Ambrosius et S. Augustinus idem sentiunt. Prior enim De Paradiso c. 5 haec habet: „Quod bonum, hoc est faciendum; quod autem bonum et faciendum, consonans et adhaerens: quod vero turpe, hoc dissonans, incompositum atque discretum est. Et ideo Dominus unitatem semper intendens, secundum unitatem praecepit. Denique unitatem operatur, qui fecit utraque unum. Omnes enim unum corpus et unum spiritum esse nos iussit."[4] S. Augustinus vero lib. 3 Confess. c. 8 docet omnem partem universo non congruentem esse turpem ac foedam: „Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens."[5] Et De ver. relig. c. 36: „Naturaliter improbamus quidquid ab unitate discedit, atque in eius dissimilitudinem tendit."[6]

II. Haec insignis sententia, quam omnino sequendam ducimus, variis exemplis illustrari potest. Atque ut a foeditatis principe ac velut fonte exordiar, quisnam est, qui longius a pulchritudine defecisse dicendus sit quam **Satanas**? Iam vero Satanas, ut est turpissimus ac foedissimus, in sacra Scriptura saepe „*Diabolus*", Graece διάβολος, appellatur[7], quod secundum etymon est Perturbator (Germanice Durcheinanderwerfer). Satanas siquidem et in perturbatione ipse est, et in aliis perturbationem procreat. Hinc turpitudo eius atque deformitas! Et profecto Satanam, priusquam ab ordine et unitate debita discesserit, pulchritudine quadam incredibili praeditum fuisse, sacra Scriptura pluries haud obscure indicare videtur. Ad eum enim referri solet illud Ez. 28, 12 s.: „*Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradisi fuisti.*" Christus autem Luc. 10, 18 discipulis suis narrat: „*Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem.*" Propterea Dionysius quoque Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 23 de Diabolo eiusque angelis dicit: „Bonorum ipsis

[1] *Migne*, Patr. gr. 29, 819: Ἐπεὶ οὖν ἀντίκειται τῷ μὲν θελήματι τοῦ Θεοῦ ἡ ἀποστροφή, τῷ δὲ κάλλει καὶ τῇ ὡραιότητι καὶ τῇ δυνάμει ἡ ταραχή· εἴη ἂν ἡ ταραχὴ αἶσχος καὶ ἀσθένεια ψυχῆς, ἐκ τῆς ἀπὸ Θεοῦ ἀλλοτριώσεως ἐγγινομένη.

[2] Ibid. 36, 175: Τί τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸ κάλλιστον; Ἡ εἰρήνη· προσθήσω δέ, ὅτι καὶ τὸ λυσιτελέστατον. Τί δαὶ τὸ αἴσχιστον καὶ τὸ βλαβερώτατον; διχόνοια.

[3] Ibid. 3, 727: Αἶσχος γὰρ καὶ νόσος ἔλλειψις εἴδους καὶ στέρησις τάξεως.

[4] *Migne*, Patr. lat. 14, 286. [5] Ibid. 32, 689. [6] Ibid. 34, 151.

[7] Matth. 4, 1; Luc. 8, 12 etc.

congruentium privatione, et declinatione atque prolapsione mali nominantur."[1] Ad quem locum Pachymeres, egregius Dionysii interpres, haec in „Paraphrasi" sua habet: „Idcirco etiamnum Satanas Lucifer nominatur, et in Evangeliis dicitur: ***Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem.*** In ordinem enim suum angelicum ac luciformem inordinationem et interitum ex proposito invexerunt, sicut reperitur apud Ezechielem (28, 17): ***Corrupta est scientia tua cum pulchritudine tua,*** id est luciformis habitus et angelicus decor."[2]

Idem fere dicendum est de **gehenna**, quae a sacra Scriptura locus dicitur foeditate ac turpitudine horribilis. Quae foeditas in eo tandem aliquando consistit, quod illic „***nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat***" (Iob. 10, 22). E contrario ergo argumentum ducentes, pulchritudinem caeli beatorum in perfecto ordine ac perpetua unitate consistere merito credimus, ut etiam S. Augustinus lib. 19 De civ. Dei c. 13 confirmat: „Pax caelestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo."[3]

Praeterea **mors** quoque turpissima, quae „***invidia Diaboli introivit in orbem terrarum***" (Sap. 2, 24) — quid est aliud nisi dissolutio unionis, perturbatio unitatis? Omnis e contra vita, quatenus partes corporis et vires animae harmonice colligit atque inter sese unit, pulchra dicitur et est.

Peccatum denique ac **vitium**, cuius turpitudinem nemo non vituperat, contra ordinem est atque unitatem. Quare Clemens Alexandrinus lib. 2 Stromat. c. 19 vitium appellat „inconcinnitatem vitae". Ait enim: „Arrogantia animae est vitium, cuius et aliorum vitiorum iubet duci poenitentia, ex inconcinnitate concinnando vitam ad meliorem mutationem per haec tria: os, cor, manus."[4] Unde etiam Babylon, civitas idololatriae turpissimae, interpretatur „Confusio". Cf. Gen. 11, 7—9: „***Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum. . . . Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae.***"[5]

Cuius argumenti ut summam faciamus, ad extremum ita argumentari licet: Turpitudo vel deformitas in privatione ordinis et unitatis consistit. Atqui deformitas opponitur pulchritudini. Ergo pulchritudo ipsa in ordine cernitur et unitate[6].

---

[1] *Migne,* Patr. gr. 3, 726: Τῇ στερήσει, καὶ ἀποφυγῇ, καὶ ἀποπτώσει τῶν προςηκόντων αὐτοῖς ἀγαθῶν, λέγονται κακοί. [2] Ibid. 3, 798.

[3] *Migne,* Patr. lat. 41, 640. [4] *Migne,* Patr. gr. 8, 1042: Ἀλαζονεία γὰρ ψυχῆς ἐστι κακία· ἀφ' ἧς καὶ τῶν ἄλλων κακιῶν μετανοεῖν κελεύει, ἁρμοζομένοις τὸν βίον ἐξ ἀναρμοστίας πρὸς τὴν ἀμείνω μεταβολὴν διὰ τῶν τριῶν τούτων, στόματος, καρδίας, χειρῶν.

[5] Quae ultima verba S. Augustinus lib. 16 De civ. Dei c. 4 paulo aliter legit: „*Propter hoc appellatum est nomen illius Confusio, quia ibi confudit Dominus labia omnis terrae.*" Et addit: „Ista civitas, quae appellata est Confusio, ipsa est Babylon." (*Migne,* Patr. lat. 41, 482.)

[6] Unde intelligimus, cur Plato in „Convivio" dicat: Ἀνάρμοστον δ' ἐστὶ τὸ αἰσχρὸν παντὶ τῷ θείῳ, τὸ δὲ καλὸν ἁρμόνιον: „Discrepat deforme a divino quoque, pulchrum vero concinit." (*Astius,* Plat. III, 509.)

Postquam argumentis et positivis et negativis thesim propositam late demonstravimus, opportunum esse ducimus, sub uno conspectu singulos repetere gradus, per quos paulatim ad ultimam pulchritudinis rationem tandem pervenimus:

I.

Pulchritudo **ex effectibus** definitur: Pulchrum est id, quod visum placet.

II.

Pulchritudo **essentialiter** definitur, et quidem per gradus quosdam:
1. Pulchritudo consistit in harmonia vel proportione debita.
2. Pulchritudo consistit in ordine debito.
3. Pulchritudo consistit in debita unitate, vel, ut S. Augustinus ait: „Pulchritudinis forma unitas est.“ [1]

III.

Utramque pulchritudinis definitionem cum ex effectibus, tum ex natura petitam in unam connectentes statuimus postremo: Pulchritudo est multitudinis debitae debita unitas, quae visa placet; vel aliis verbis: Pulchritudo est varietas in unitate concordans, quae visa placet.

Qua in definitione duo elementa probe distinguenda sunt: alterum obiectivum atque absolutum, alterum subiectivum atque relativum. Hoc quidem illis verbis exprimitur *quae visa placet;* illud vero verbis *multitudinis debitae debita unitas*, vel brevius *unitas in multitudine* continetur. Sed iam quaeri potest, quid haec verba *unitas in multitudine* proprie significent. Respondeo *multitudinem* esse instar materiae, *unitatem* autem ipsam formam pulchritudinis exhibere, quemadmodum S. Augustinus dicit: „Omnis pulchritudinis forma unitas est.“ [2]

Deinde quod ad elementum subiectivum atque relativum attinet, nequaquam superfluum est definitioni addere illud: *quae visa placet.* Nam sicut veritas et bonitas, ita etiam pulchritudo est notio relativa,

---

[1] Item *Winckelmann* in op. cit. Geschichte der Kunst des Altertums I, 264 videt „die Ursache der Schönheit in der Einheit, in der Mannigfaltigkeit und in der Übereinstimmung“. Etiam *Const. Gutberlet*, Allgem. Metaphys. (ed. 2, Münster 1890) c. 7, § 2, huic definitioni pulchritudinis suffragatur, cum dicit: „Die Einheit in der Mannigfaltigkeit wird gewöhnlich als ein Gesetz der Schönheit aufgestellt . . . im Grunde bildet es aber das Wesen des Schönen selbst.“ Tamen paulo ante c. 7, § 1 etiam haec profitetur: „Man kann die Schönheit bestimmter definieren: Darstellung der Idee durch die sinnliche Form.“ P. *Vallet*, L'idée du beau dans la Philosophie de St. Thomas d'Aquin (Paris 1883), illud S. Augustini: „Omnis pulchritudinis forma unitas est“, vocat „une parole célèbre sous une forme exagerée“; tamen qua in re S. Augustinus exageraverit, nulla ratione demonstrat. Item *Ios. Jungmann* in opere suo Ästhetik (ed. 3. Freiburg i. Br. 1886) I, 323, definitionem S. Augustini reprobat. Etiam *G. Gietmann*, Allgemeine Ästhetik (Freiburg i. Br. 1899) p. 182 praemonet: „Einheit in der Mannigfaltigkeit. . . Bekanntlich haben manche hierin das Wesen der Schönheit gefunden. Diese Anschauung muß freilich mit Vorsicht aufgenommen werden.“

[2] Vide *Franzelin*, De Deo uno (Rom. 1883), sect. III, c. 3, thes. 30.

scilicet relationem atque convenientiam habet ad animam rationalem. S. Thomas Aquinas De verit. qu. 1, a. 1 c. optime docet: „In anima est vis cognoscitiva et appetitiva. Convenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen, bonum. . . Convenientiam vero entis ad intellectum exprimit hoc nomen, verum.“ Et secundum nostram quidem sententiam, convenientiam entis ad intellectum simul et appetitum exprimit hoc tertium nomen, pulchrum. Etenim pulchrum est id, quod visum placet. Pulchrum autem vim cognoscitivam et appetitivam simul terminare posse, ex eo est quod anima in se una est atque simplex.

CAPUT IV.

De nonnullis aliis pulchritudinis definitionibus earumque refutatione.

Ex diversis pulchritudinis definitionibus, quas vel enumerare longum est, non examinabimus nisi eas quae aut per se maioris sunt momenti, aut ab auctoribus recentioribus defenduntur.

I. Cum iam supra (c. 3, § 1) illam refutaverimus definitionem, quam P. Kleutgen his verbis statuerat: „Pulchritudo est rei bonitas, quatenus haec mente cognita delectat“, nihil dicendum restat de Ios. Jungmann, qui cum Kleutgen prorsus consentit[1]. Cuius insignis theologi definitionem vel potius definitiones avide adoptavit P. Stentrup qui Synops. De Deo uno c. 7, thes. 56 eas e Germanico in Latinum sermonem ita vertit: „Pulchritudo rerum est intrinseca earum bonitas, quatenus per hanc aptae sunt, quae menti spirituali sint obiectum delectationis; seu est rerum bonitas, quatenus haec per claram cognitionem menti spirituali obiectum delectationis esse potest: seu denuo est rerum actualis cum spirituali mente convenientia, quatenus per hanc aptae sunt, quae eidem obiectum delectationis sint.“[2] Quibus in definitionibus pulchrum, ut apparet, cum bono nimis confunditur.

II. Alii auctores nostrae aetatis pulchritudinem in „perfectione rei“, vel potius in „splendore perfectionis“ ponunt. Ita Stöckl: „Pul-

[1] *Ios. Jungmann* S. J., Ästhetik (ed. 3, Freiburg i. Br. 1886) I, 148. pulchritudinem ita definit: „Die Schönheit der Dinge ist deren innere Gutheit, insofern sie durch diese dem vernünftigen Geiste Gegenstand des Genusses zu sein sich eignen.“ Seu I, 149: „Die Schönheit der Dinge ist deren Gutheit, insofern sie durch diese dem vernünftigen Geiste, auf Grund klarer Erkenntnis derselben, Gegenstand des Genusses zu sein sich eignen.“ Seu I, 150: „Die Schönheit der Dinge ist deren thatsächliche Übereinstimmung mit dem vernünftigen Geiste, insofern diese demselben Gegenstand des Genusses zu sein sich eignen.“ Quae approbans *Stentrup* S. J., Synops. p. 215 dicit: „Consentire hanc definitionem cum doctrina s. Thomae vix pluribus (!) demonstrandum est.“ *G. Gietmann* S. J. e contra in opere suo Allgemeine Ästhetik (Freiburg i. Br. 1899) p. 100 censet: „Den hl. Thomas deutet allerdings Jungmann in seinem Sinne; daß er aber unter neueren Theologen keinen Vertreter seiner Meinung fand außer Kleutgen (et P. Stentrup), sagt er selbst.“

[2] *Stentrup*, Synopsis tractatus scholastici de Deo uno. Oeniponte 1895.

chritudo in abstracto spectata splendor perfectionis est."[1] Item Vallet: „Le beau c'est la splendeur de la perfection."[2] Similiter Gietmann: „Pulchritudo est rei perfectio resplendens."[3] Cum quibus consentire videtur Janssens: „Pulchrum definiri potest: rei perfectio, quatenus mente percepta delectat."[4]

Haec tamen definitio secundum nostram quidem sententiam reicienda est, quoniam *perfectio* et *splendor* voces sunt satis ambiguae et obscurae. Quid est enim *splendor?* quid *perfectio?*

1. Perfectum sive perfectio et proprie et metaphorice intelligi potest: metaphorice, si loquimur e. gr. de perfecto peccato, de perfecto fure, de perfecta caecitate, quae tamen minime sunt pulchra[5]. Proprie autem intellecta perfectio iterum est duplex, ut S. Thomas (S. th. 1, qu. 73, a. 1 c) docet: „Duplex est rei perfectio, prima et secunda. Prima quidem perfectio est, secundum quod res in sua substantia est perfecta; quae quidem perfectio est forma totius, quae ex integritate partium consurgit. Perfectio autem secunda est finis; finis autem vel est operatio, sicut finis citharistae est citharizare: vel est aliquid ad quod per operationem pervenitur, sicut finis aedificatoris est domus, quam aedificando facit. Prima autem perfectio est causa secundae, quia forma est principium operationis." Cum ergo *perfectio* multiplicem significationem habeat, illi auctores diligentius dicere debent, quid sub *perfectione* proprie intelligant.

Sed quomodocunque accipitur, *perfectio* non idem significat quod pulchritudo. Potest enim aliquis perfectus homo[6] esse, quin sit homo pulcher atque formosus. Nam perfectus homo ille dicitur, qui omnes corporis partes omnesque animae facultates debitas habet, siquidem S. Thomas supra ait: „Perfectio est forma totius, quae ex integritate partium consurgit." Et rursus (S. th. 1, qu. 73, a. 1 ad 3): „Perfectum dicitur, cui nihil deest eorum quae debet habere."[7] Homo vero

---

[1] *Albert Stöckl*, Lehrbuch der Philosophie (ed. 7, Mainz 1892), p. 40: „Der Begriff der Schönheit knüpft sich an den Begriff der Vollkommenheit. . . Schön ist dasjenige, was in sich vollkommen ist, insofern diese seine Vollkommenheit in und mit einem gewissen Glanze hervortritt, und in solcher Weise unserer Erkenntnis begegnet. Schönheit in abstracto genommen ist daher der Abglanz der Vollkommenheit — Splendor perfectionis."

[2] P. *Vallet*, L'idée du beau (Paris 1883) p. 2.

[3] *Gerhard Gietmann* in op. cit. Allgemeine Ästhetik p. 97: „Die Schönheit ist die strahlende Vollkommenheit eines Dinges."

[4] P. *Janssens*, De Deo uno (Friburgi 1900), tom. I, qu. 5, a. 4.

[5] *S. Thomas Aqu.*, S. th. 1. 2, qu. 55, a. 3, ad 1. Cf. Ps. 138, 22: „*Perfecto odio oderam.*"

[6] Cf. in Symbolo, quod dicitur Athanasianum, haec verba: „Dominus noster Iesus Christus . . . perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens."

[7] *Franciscus Neumayr* S. J. in opusculo „Idea theologiae asceticae" (Lucernae 1781) p. VIII: „Perfectum in suo genere dicitur id omne et solum, cui nihil deest ad finem, propter quem est. Perfectio autem definitur, quod sit complexus

pulcher atque formosus non ille dicitur, qui debitas corporis partes debitasque animae facultates habet, sed ille tantum, qui eas habet bene proportionatas. Ergo pulchritudo non est „rei perfectio", ut Janssens, Gietmann, Vallet et Stöckl definiunt.

Praeterea perfectionem imperfectam dicere non licet, quia haec in se contradictio est. De pulchritudine autem non solum perfecta, verum etiam imperfecta loqui possumus, prout scilicet ei aliquid aut „nihil deest eorum quae debet habere". Unde iterum sequitur, pulchritudinem non esse „rei perfectionem". (Cf. supra c. 3, § 3.)

2. Neque hanc definitionem eo sanari puto, quod vocabulum *splendor* vel *resplendens* perfectioni rei adiungitur. Nam primum quidem *splendor* et *resplendens* sunt voces metaphoricae, quibus in re aliqua definienda uti non licet. Deinde *splendor perfectionis* aut *perfectio resplendens* nihil aliud significare videtur nisi perfectionem claram, id est veram[1]. Iam vero nihil interest, utrum simpliciter dicamus rem aliquam esse perfectam, an rem aliquam esse clare et vere perfectam, clare et vere ad finem usque factam.

3. Neque expedit, si auctores illius definitionis et praesertim Vallet[2] profitentur se mentem S. Thomae assecutos esse. S. Thomas quidem (S. th. 1, qu. 39, a. 8 c) docet: „Ad pulchritudinem tria requiruntur. Primo quidem integritas sive perfectio . . . et debita proportio sive consonantia, et iterum claritas." Quae si „elementa pulchri" conferuntur cum definitione: „Pulchritudo est splendor perfectionis" vel „rei perfectio resplendens" — statim manifeste apparet, hanc definitionem ex primo et tertio elemento constare, neglecto elemento secundo: nempe „debita proportione sive consonantia" praetermissa, quae tamen, ut supra (c. 3, § 3) fusius demonstravimus, maximi est momenti.

4. *Splendor* denique nihil aliud significare videtur quam veritatem aut manifestationem. *Perfectio* vero secundum S. Thomam idem est atque „integritas" (vide supra I. elementum), secundum Lessium autem idem atque „bonitas"[3]. Quae cum ita sint, illa definitio nihil aliud sibi velle videtur, nisi pulchritudinem esse veritatem integritatis aut veritatem bonitatis. Nonne hoc prorsus est inane, ne dicam absurdum? Quodsi autem *splendor* sensu manifestationis accipitur, non intelligimus, qua ratione ex manifestatione perfectionis

partium, aut proprietatum, quae requiruntur, ut enti nihil desit ad finem, propter quem est; perfectio enim a perficiendo derivatur."

[1] *G. Gietmann* saltem in op. cit. Allgemeine Ästhetik p. 111 confitetur: „Die Klarheit ist offenbar Wahrheit."

[2] L'idee du beau dans la Philosophie de saint Thomas d'Aquin. Par P. *Vallet* etc. Paris 1883.

[3] *Lessius*, De perfectionibus moribusque divinis (Antverpiae 1620) p. 90 ait: „Bonum dicitur proprie quod est perfectum, et bonitas rei eius perfectio." Quod quidem est commune adagium philosophiae scholasticae. Cf. etiam *S. Thomas*, S. th. 1, qu. 5, a. 1 c et ad 1.

(vel integritatis, vel bonitatis) subito ipsa pulchritudo exsistat; nam perfectio, quomodocunque manifestatur et revelatur, non est nec manet nisi perfectio (vel integritas, vel bonitas)[1].

III. Maioris ponderis est alia definitio, secundum quam **pulchrum** id esse dicitur, **quod cum prima idea sua congruit**, id est, **cum prima specie sua atque exemplari**. Huic definitioni suffragatur S. Gregorius Nyssenus, cum De hom. opif. c. 12 dicit: „**Pulchrum censeri debet, quodcunque ad princeps bonum congruit.** Quodque consentaneum eidem non est, omnis est pulchritudinis expers."[2] Qua in definitione illud τὸ πρῶτον ἀγαθόν, id est „**princeps bonum**", nobis merito displicet; nam „quodcunque ad princeps bonum congruit", hoc iterum bonum esse videtur, nondum pulchrum. Hinc Petavius (De theol. dogmat. tom. I, lib. 6, c. 8, n. 7) illam sententiam quodammodo corrigit dicens: „Pulchritudinem rei cuiuslibet intelligo sic, ut sit convenientia quaedam illius cum illa perfecta specie et exemplari, ad quod exigi natura sua postulat." Et paucis interiectis: „Ad summam pulchrum ita definiri potest, ut sit id cuius cognitio ideo delectationem affert, **quia exemplari suo ac formae primigeniae exacte respondet.**" Attamen haec sententia, quatenus pulchritudinem in congruentia rei cum prima sua idea ponit, ipsam pulchritudinis naturam minime exhibet. Nam hoc ipsum quaeritur, quid sit illud quod in ipsa idea atque prima specie pulchrum est. Auctores enim illi circulum faciunt vitiosum, cum quasi dicunt: Idea (Graece εἶδος vel ἰδέα) est **pulcherrima species** alicuius rei. Ergo res aliqua eatenus pulchra est, quatenus cum pulcherrima specie sua congruit. Sane quidem; sed quid tandem est illa pulchritudo, cuius participatione et res et idea rei pulchra sit?[3]

---

[1] Plures philosophi ita definiunt: Pulchrum est „**splendor veri**". Haec tamen definitio, quam alii Platoni, alii S. Augustino adscribunt, prorsus est inutilis. Ita *Stöckl* in cit. Lehrbuch der Philosophie p. 42 ait: „**Plato** hat die Schönheit definiert als Splendor veri" (quo loco?). *Gutberlet* vero in cit. Allgemeine Metaphysik p. 142 scribit: „Und darum definiert der hl. **Augustinus** das Schöne als Splendor veri" (quo loco?). Rectius quidem pulchritudo definitur: „**Resplendentia formae super partes materiae proportionatas, vel super diversas vires vel actiones.**" Quam definitionem Petr. Anton. Uccelli S. Thomae Aquinati, Jos. Jungmann autem iure meritoque B. Alberto M. adscribit. (Cf. *Jungmann* in op. cit. Ästhetik I. 314. 315.)

[2] *Migne*, Patr. gr. 44, 162: Καλὸν δὲ πᾶν, ὅπερ ἂν τύχῃ πρὸς τὸ πρῶτον ἀγαθὸν οἰκείως ἔχον· ὃ τι δ' ἂν ἔξω γένηται τῆς πρὸς τοῦτο σχέσεώς τε καὶ ὁμοιώσεως, ἄμοιρον τοῦ καλοῦ πάντως ἐστίν.

[3] Idem quaerendum est ex P. *Vallet*, qui in op. cit. L'idée du beau p. 2 scribit: „Le beau c'est la **splendeur de l'idéal.**"

CAPUT V.

An pulchritudo notio sit transcendentalis.

I. Ut veritas et bonitas, ita etiam pulchritudo censenda est notio transcendentalis. Rem sic se habere colligere possumus tum ex definitione pulchritudinis, tum ex documentis Patrum Ecclesiae.

Ac primum quidem quod ad argumentum ex definitione petendum attinet, supra definivimus pulchritudinem in debita unitate consistere. Atqui nihil omnino inveniri potest, quod non sit unum, licet fortasse plus minusve a debita unitate defecerit. „Nam", ut cum S. Augustino De ver. relig. c. 32 loquamur, „quis non admonitus videat, neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus quod non habeat unitatis qualecunque vestigium?" Et post pauca dicit corporibus: „Vos quidem nisi aliqua unitas contineret, nihil essetis."[1] Ergo, ut cum eodem Augustino (Epist. ad Caelestin.) arguamus, „cum omne quod esse dicimus, in quantum manet dicamus, et in quantum unum est, omnis porro pulchritudinis forma unitas sit", sequitur pulchritudinem transcendere omnia genera, ideoque notionem esse transcendentalem. Aliis verbis: omnia quae sunt, ideo pulchritudinem participant, quoniam necessario participant unitatem. Accedit, quod effectus pulchri idem suadent. Etenim pulchrum est quod visum delectat, hoc est, quod vim cognoscitivam et appetitivam simul respicit. Atqui omnia quae exsistunt, relationem necessariam habent ad intellectum et appetitum. Ergo pulchritudo, in suis effectibus quoque considerata, notio est transcendentalis.

Eiusdem plane sententiae sunt Patres Ecclesiae, qui nullam rem, ne infimam quidem materiam neque illam „abyssum" in Gen. 1, 2 omni pulchritudine prorsus carere docent, quatenus capacitatem saltem formae ac pulchritudinis informi materiae inesse existimant. Ita profecto S. Gregorius Nyssenus lib. in Hexaëm. sentit: „Et vidit Deus cuncta quae fecerat, et ecce pulchra valde (Gen. 1, 31: sec. LXX καλὰ λίαν). Quodsi omnia quaecunque Deus fecit, pulchra sunt, abyssus autem quaeque ad illam pertinent, a numero eorum quae a Deo facta sunt, non excluduntur: et haec igitur in ordine suo pulchra, quamvis abyssus sit, quamvis lux rebus insita nondum circa illam splendeat."[2] Haud absimili ratione Dionysius Pseudo-Areopagita De caelest. hierarch. c. 2, § 4 de materia disserit: „Et ipsa materia ab eo qui vere pulcher est, exsistens, per omnem sui materialem dispositionem vestigia quaedam intellectualis habet venustatis."[3]

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 148.

[2] *Migne*, Patr. gr. 44, 84: . . . Εἰ δὲ πάντα καλὰ ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεός, ἡ δὲ ἄβυσσος καὶ τὰ περὶ αὐτὴν οὐκ ἔξω τῶν παρὰ τοῦ Θεοῦ γεγονότων ἐστίν· ἄρα καλὰ καὶ ταῦτα τῷ ἰδίῳ λόγῳ, κἂν ἄβυσσος ᾖ, κἂν μήπω περὶ αὐτὴν λάμπῃ τὸ τοῖς οὖσιν ἐγκείμενον φῶς.

[3] Ibid. 3, 143: Καὶ αὐτὴ (ὕλη) πρὸς τοῦ ὄντως καλοῦ τὴν ὕπαρξιν ἐσχηκυῖα, κατὰ πᾶσαν αὐτῆς τὴν ὑλαίαν διακόσμησιν ἀπηχήματά τινα τῆς νοερᾶς εὐπρεπείας ἔχει.

S. Augustinus vero lib. 12 Confess. c. 4 sciscitatur: „Quid in omnibus mundi partibus reperiri potest propinquius informitati omnimodae, quam terra et abyssus? Minus enim speciosa sunt pro suo gradu infimo, quam cetera superiora perlucida et luculenta omnia. Cur ergo non accipiam informitatem materiae, quam sine specie feceras, unde speciosum mundum feceras, ita commode hominibus intimatum, ut appellaretur *terra invisibilis et incomposita* (Gen. 1, 2)?“ [1] Quodsi ergo ne informis quidem materia a pulchritudine prorsus excludenda est, quanto minus reliqua omnia, quae compta sunt omnibusque numeris absoluta? Hinc sequitur pulchritudinem transcendere omnia genera et esse notionem transcendentalem.

Huc pertinent etiam, quae idem S. Augustinus De ver. relig. c. 18 habet: „Quidquid est, quantulacunque specie sit necesse est; ita etsi minimum bonum, tamen bonum erit, et ex Deo erit. Nam quoniam summa species summum bonum est, minima species minimum bonum est. Omne autem bonum, aut Deus, aut ex Deo est. Ergo ex Deo est etiam minima species. Sane quod de specie, hoc etiam de forma dici potest. Neque enim frustra tam speciosissimum, quam etiam formosissimum in laude ponitur. Id ergo est, unde fecit Deus omnia, quod nullam speciem habet nullamque formam; quod nihil est aliud quam nihil. Nam illud quod in comparatione perfectorum informe dicitur, si habet aliquid formae, quamvis exiguum, quamvis inchoatum, nondum est nihil, ac per hoc id quoque, in quantum est, non est nisi ex Deo.“ [2] Unde iam intelliges, quod ad instar corollarii ex praecedentibus sua sponte fluit De ver. relig. c. 20: „Omnis corporea creatura . . . bonum est infimum, et in genere suo pulchrum, quoniam forma et specie continetur.“ [3] Et iterum De divers. quaest. 83, qu. 6: „Omne quod est, aut est corporeum, aut incorporeum. Corporeum sensibili, incorporeum autem intelligibili specie continetur. Omne igitur quod est, sine aliqua specie non est.“ Et paucis interiectis qu. 10: „Omne speciosum bonum, in quantum speciosum est; et omne quod species continet, speciosum est.“ [4]

Concludere hoc argumentum liceat cum Dionysio Pseudo-Areopagita, qui De caelest. hierarch. c. 2 dicit: „Hoc sciendum est, nihil eorum quae exsistunt penitus esse pulchri participatione privatum, cum, ut ait veritas loquiorum, *omnia pulchra valde* (Gen. 1, 31).“ [5]

II. Sed undenam fit, ut homines, licet res omnes aliquo modo pulchritudinis participes sint, tamen non omnia etiam in pulchris po-

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 827. [2] Ibid. 34, 137.
[3] Ibid. 34, 138. [4] Ibid. 40, 13. 14.
[5] *Migne*, Patr. gr. 3, 142: Τοῦτο ἐννοῆσαι χρή, τὸ μηδὲ ἓν τῶν ὄντων εἶναι καθόλου τῆς τοῦ καλοῦ μετουσίας ἐστερημένον, εἴπερ, ὡς ἡ τῶν λογίων ἀλήθειά φησι „πάντα καλὰ λίαν“. Item De div. nom. c. 4, § 7: Καὶ οὐκ ἔστι τι τῶν ὄντων, ὃ μὴ μετέχει τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ: „Neque quidquam exsistentium est, quod non sit particeps pulchri et boni“. (*Migne*, Patr. gr. 3, 703.)

nant, sed quasi vacillando hoc quidem pulchrum ac decorum iudicent, illud vero turpe ac deforme? At enim haec iudiciorum humanorum varietas maxime oritur ex rerum comparatione, quandoquidem plurimae fere res, quae pulchrae sunt, sunt tales tantummodo „secundum quid". Quapropter S. Augustinus De nat. boni contr. Manich. c. 14 perbelle dicit: „In his omnibus, quaecunque parva sunt, in maiorum comparatione contrariis nominibus appellantur: sicut in hominis forma quia maior est pulchritudo, in eius comparatione simiae pulchritudo deformitas dicitur[1]: et fallit imprudentes, tamquam illud sit bonum, et hoc malum; nec intendunt in corpore simiae modum proprium, parilitatem ex utroque latere membrorum, concordiam partium, incolumitatis custodiam, et cetera, quae persequi longum est."[2] Et postea c. 23 quaerenti, curnam interdum sermo sit de „mala specie", respondet: „Species mala vel in comparatione dicitur formosioris atque pulchrioris, quod ista sit minor species, illa maior, non mole, sed decore; aut quia non congruit huic rei cui adhibita est, ut aliena et inconveniens videatur: tamquam si nudus homo in foro deambulet, quod non offendit, si in balneo videatur."[3]

Itaque quaelibet res, dummodo ne cum alia pulchriore comparetur, sed in sua propria specie consideretur, pulchritudinis est particeps; unde sine absurditate vel vermiculi laudem canere possumus, teste S. Augustino De ver. relig. c. 41: „Nihil enim est ordinatum, quod non sit pulchrum; et sicut ait Apostolus, *omnis ordo a Deo est* (Rom. 13, 1). Necesse est autem fateamur meliorem esse hominem plorantem, quam laetantem vermiculum: et tamen vermiculi laudem sine ullo mendacio copiose possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, et unitatis appetentiam pro suae naturae humilitate servantia; nihil ex una parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid iam de anima ipsa dicam vegetante modulum corporis sui, quomodo eum numerose moveat, quomodo appetat convenientia, quomodo vincat aut caveat obsistentia quantum potest, et ad unum sensum incolumitatis referens omnia, unitatem illam conditricem naturarum omnium, multo evidentius quam corpus insinuet? Loquor de vermiculo animante qualicunque. Cineris et stercoris laudem verissime atque

---

[1] S. Augustinus hoc exemplum sumpsisse videtur ex Platonis „Hippia maiore", ubi Socrates Hippiam ita alloquitur: Ὦ ἄνθρωπε, ἀγνοεῖς ὅτι τὸ τοῦ Ἡρακλείτου εὖ ἔχει, ὡς ἄρα πιθήκων ὁ κάλλιστος αἰσχρὸς ἀνθρωπείῳ γένει συμβάλλειν: „O homo, nescis verum esse quod Heraclitus dixit, simiarum pulcherrimam deformem esse cum humano genere collatam?" (*Astius*, Plato IX, 23.)

[2] *Migne*, Patr. lat. 42, 555.

[3] Ibid. 42, 558. Neque minus apte S. Ambrosius Hexaëm. lib. 5, c. 2 simili exemplo utitur: „Rana horrens in paludibus, decora in aquis." (*Migne*, Patr. lat. 14, 208.)

uberrime plerique dixerunt"[1] — ut Cato apud Ciceronem, in „Catone maiore"[2]: nostra vero aetate illa praecipue disciplina, quae dicitur chimica. Ergo quidquid est, in suo genere pulchrum est.

Ubicunque autem pulchritudinis et formae cernitur interitus, ibi ipsa quoque rei natura simul periit, ut Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4 sibi constans infert: „Foeditas et morbus defectus formae est, ordinisque privatio; illud (malum in corporibus) autem non usquequaque malum est, sed minus pulchrum; nam si omnimoda pulchritudinis et formae ordinisque resolutio fiat, ipsum quoque corpus interibit."[3] Ergo pulchrum et ens convertuntur.

III. Notionis quippe transcendentalis est converti cum ente, ita ut quae re idem sunt, ratione tantum distingui possint. Pulchrum igitur non minus convertitur cum ente, quam verum et bonum. Quam sententiam S. Augustinus prorsus suam facit, ubi scribit Contr. epist. Manich. c. 40: „Cum ista tibi proposueris esse et non esse, atque cognoveris, quanto magis augetur species, tanto quidque tendere ut sit; quanto magis augetur corruptio, tanto magis tendere ut non sit: quid dubitas dicere in unaquaque natura corruptibili, quid in ea sit ex Deo, quid sit ex nihilo, cum species secundum naturam sit, corruptio contra naturam? Quia species aucta cogit esse, et Deum fatemur summe esse; corruptio vero aucta cogit non esse, et constat quod non est, nihil esse."[4] Itaque ubi ens, ibi species est; et ubi species, ibi ens: speciosum igitur, i. e. pulchrum convertitur cum ente.

Denique, si quis ex nobis quaerat, quemnam locum pulchritudo in serie notionum transcendentalium obtineat, respondemus, nos hunc ordinem ponere: ens, unum, verum, bonum, pulchrum. Qua in serie ens et unum notiones transcendentales sunt absolutae, reliquae autem sunt relativae, scilicet: verum, bonum, pulchrum[5].

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 156.

[2] Cato maior De senectute c. 15. (*Iulius Sommerbrodt* [ed. 11, Berlin 1889] p. 59.)

[3] *Migne*, Patr. gr. 3, 727: Αἶσχος γὰρ καὶ νόσος, ἔλλειψις εἴδους καὶ στέρησις τάξεως· τοῦτο δὲ οὐ πάντη κακόν, ἀλλ' ἧττον καλόν· εἰ γὰρ παντελὴς γένοιτο λύσις κάλλους, καὶ εἴδους, καὶ τάξεως, οἰχήσεται καὶ αὐτὸ τὸ σῶμα.

[4] *Migne*, Patr. lat. 42, 205. Huc illud quoque pertinet S. Augustini De nat. boni contr. Manich. c. 5: „Corruptio autem si omnem modum, omnem speciem, omnem ordinem corruptibilibus auferat, nulla natura remanebit." (*Migne*, Patr. lat. 42, 553.)

[5] *Alb. Stöckl* quidem in cit. Lehrbuch der Philosophie (ed. 7, Mainz 1892) p. 41 pulchritudinem in numero notionum transcendentalium habet, non autem *Const. Gutberlet* in cit. Allgemeine Metaphysik (ed. 2, Münster 1890) p. 29, neque in opere suo Naturphilosophie (ed. 2, Münster 1894) p. 103. *Ios. Jungmann* in cit. Ästhetik (ed. 3, Freiburg i. Br. 1886) I, 161 medium quasi locum tenet contendens pulchritudinem non immediate ac per se notionem transcendentalem esse, sed tantum mediante bonitate, quam Jungmann „genus proximum" pulchritudinis habuit.

Pars secunda.

Quomodo pulchritudo dividatur.

Omnia quae exsistunt, aut corporea atque sensibilia sunt, aut spiritualia atque intelligibilia. Quam distinctionem rerum, quae maximi momenti est, egregie explicat S. Augustinus Epist. (18) ad Caelestin.: „Est natura per locos et tempora mutabilis, ut corpus. Et est natura per locos nullo modo, sed tantum per tempora etiam ipsa mutabilis, ut anima. Et est natura, quae nec per locos nec per tempora mutari potest; hoc Deus est. Quod hic insinuavi quoquo modo mutabile, creatura dicitur: quod immutabile, creator. Cum autem omne quod esse dicimus, in quantum manet dicamus, et in quantum unum est, omnis porro pulchritudinis forma unitas sit: vides profecto in ista distributione naturarum, quid summe sit, quid infime et tamen sit, quid medie maiusque infimo et minus summo sit.“ [1]

Ut S. Augustinus totum „ens“ sive omnem naturam tripliciter distribuit, ita nos quoque totum pulchrum sive omnem pulchritudinem trifariam distinguere possumus. Est enim pulchritudo per locos et tempora mutabilis, ut pulchritudo corporis. Et est pulchritudo per locos nullo modo, sed tantum per tempora mutabilis, ut pulchritudo animae humanae et naturae angelicae. At est etiam pulchritudo nec per locos nec per tempora mutabilis, et haec est pulchritudo Dei. Triplex ergo praecipue pulchritudo animo obicitur: primum pulchritudo corporea seu sensibilis, deinde spiritualis seu intelligibilis, denique divina seu incomprehensibilis. Verumtamen cum pulchritudo divina, quae totius huius operis scopus et finis est, duobus Libris sequentibus speciatim ac diligentius consideretur, hac Parte praeambula tractandum non erit nisi

1° de pulchritudine corporea seu sensibili,
2° de pulchritudine spirituali seu intelligibili.

CAPUT I.

De pulchritudine corporea seu sensibili.

Imprimis ostendendum nobis est, an talis quae dicitur pulchritudo corporea seu sensibilis reipsa exsistat, deinde quem gradum in tota pulchritudinis universitate obtineat.

I. Sunt et fuerunt, qui omnes sensus hominis, i. e. inferiorem eius cognitionem inferioremque appetitum, a qualibet pulchritudine etiam corporum prorsus excluderent. Ita enim Ios. Jungmann in suo de aesthetica opere ait: „Pulchritudo est qualitas rerum supersensibilis,

[1] *Migne*, Patr. lat. 33, 85.

quae nisi per rationem non cognoscitur." [1] Item Const. Gutberlet in opere quod de metaphysica conscripsit: „Pulchritudo rerum", inquit, „est proprietas, quae non a sensibus, sed a sola facultate spirituali cognosci et gustari potest." [2] Quapropter etiam non licere censent loqui de *pulchritudine corporea* seu *sensibili*, quibus vocibus maxime offensi contendunt talem omnino non esse pulchritudinem, sed pulchrum proprie dictum semper esse aliquid supersensibile ac spirituale [3].

At vero pulchritudinem minus recte confudisse videntur cum pulchritudinis notione, siquidem pulchritudinis notio semper est spiritualis; pulchritudo tamen ipsa potest esse aut corporea seu sensibilis, aut spiritualis seu intelligibilis, aut denique divina.

Praeterea non satis ipsam respiciunt naturam humanam, quae non solum spiritualis est, sed etiam sensibilis [4]. S. Augustinus quidem et S. Thomas sensus humanos a pulchritudine saltem corporum minime excludunt, cum ille supra (c. 2, § 2) definiverit: „Pulchra sunt omnia, quae oculis placent", hic vero: „Pulchra dicuntur, quae visa placent." Qua in definitione vocabulum *visa* non tantum cognitionem rationis, sed etiam et primo loco visionem oculorum significat: sicut etiam vox *placent* totum appetitum hominis et inferiorem et superiorem complectitur. Unde de *pulchritudine corporea* seu *sensibili* loqui, falsum esse non potest. (Cf. supra Parte I, c. 2, § 3.)

Patres denique Ecclesiae his terminis „*pulchritudo corporea* seu *sensibilis*" uti nunquam dubitabant. Satis est S. Basilium et S. Augustinum citare, qui ambo et acumine ingenii et linguae peritia maximopere eminent. Itaque S. Basilius Comment. in Isai. c. 5, n. 173 interrogat: „Sensibilis pulchritudo (τὸ αἰσθητὸν κάλλος) a quonam eorum, qui oculos habent, internosci facile non potest?" [5] S. Augustinus vero lib. 8 De civ. Dei c. 6 ait: „Nulla est enim pulchritudo cor-

[1] *Ios. Jungmann*, Ästhetik (ed. 3, Freiburg i. Br. 1886) I, 24: „Die Schönheit ist eine übersinnliche Beschaffenheit der Dinge, welche nur durch die Vernunft erkannt wird."

[2] *Const. Gutberlet*, Allgemeine Metaphysik (ed. 2, Münster 1890) p. 141: „Die Schönheit der Dinge ist eine Eigenschaft, welche nicht von den Sinnen, sondern nur von der geistigen Fähigkeit erkannt und gekostet werden kann."

[3] *Ios. Jungmann* in cit. Ästhetik I, 312: „Die Ungenauigkeit, mit welcher vielfach gedacht, geredet und leider auch geschrieben wird, hat die Folge gehabt, daß man die Wendungen ‚sinnliche Schönheit', ‚körperliche Schönheit' häufig liest und hört . . . eine ‚Schönheit' im eigentlichen Sinne des Wortes, welche die Sinne wahrnehmen könnten, giebt es ja nicht."

[4] *G. Gietmann*, Allgemeine Ästhetik (Freiburg i. Br. 1899) p. 22 adversus Ios. Jungmann haec scribit: „Die sinnliche Erscheinung gehört (nach Jungmann) nicht mehr zum eigentlichen Wesen der Schönheit; selbst die Farben sind nur durch ihre Symbolik schön. Jungmanns Idealismus bildet daher den schroffsten Gegensatz zum Realismus der Gegenwart . . . wird aber nicht überall den Anforderungen der sinnlich-geistigen Natur des Menschen gerecht."

[5] *Migne*, Patr. gr. 30, 410: Τὸ αἰσθητὸν κάλλος τίσι τῶν ὀφθαλμοὺς ἐχόντων οὐκ εὔγνωστον

poralis, sive in statu corporis sicut est figura, sive in motu sicut est cantilena, de qua non animus iudicet." [1] Et rursus De ver. relig. c. 30: „Cum omnia quae sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita sive artibus elaborata, locis et temporibus sint pulchra, ut corpus et corporis motus; illa aequalitas et unitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuntio iudicatur, nec loco tumida est nec instabilis tempore." [2]

Optimo ergo iure loqui possumus de *pulchritudine corporea* seu *sensibili*, neque quisquam exsistentiam talis pulchritudinis unquam serio in dubium vocaverit.

II. Non omnes autem consentiunt, quemnam locum pulchritudo corporea atque sensibilis in tota pulchritudinis scala obtineat. Sunt et fuerunt, qui hanc pulchritudinem sensibilem tanti aestimarent, ut praeter eam nullam omnino aliam esse arbitrarentur. Unde etiam principatum pulchritudinis aut in hunc mundum sensibilem aut inter rationales creaturas in solum hominem contulerunt secundum illud Ciceronis De nat. deor. I, 76: „Nec esse humana (forma) ullam pulchriorem." [3]

S. Augustinus e contra rectissime docet pulchritudinem corpoream seu sensibilem non esse nisi infimam atque extremam. Ait enim lib. 12 De civ. Dei c. 4: „Istae creaturae eum modum nutu Creatoris acceperint, ut cedendo ac succedendo peragant infimam pulchritudinem temporum in genere suo istius mundi partibus congruentem." [4] Ad quam certo pertinet etiam corporalis pulchritudo hominis, teste eodem Augustino, qui lib. 15 De civ. Dei c. 22 explanans illud „*Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae*" (Gen. 6, 2) dicit: „Corporis pulchritudo, a Deo quidem factum sed temporale carnale infimum bonum." [5] Multo fusius autem, quid de pulchritudine corporali generatim sentiret, S. Augustinus De ver. relig. c. 20 explicavit: „Omnis corporea creatura, si tantummodo possideatur ab anima quae diligit Deum, bonum est infimum et sic in genere suo pulchrum, quoniam forma et specie continetur; si autem diligatur ab anima quae negligit Deum, ne sic quidem malum fit ipsa, sed quoniam peccatum malum est, quo ita diligitur, fit poenalis dilectori suo, et eum implicat aerumnis, et pascit fallacibus voluptatibus: quia neque permanent neque satiant, sed torquent doloribus. Quia cum ordinem suum peragit pulchra mutabilitas temporum, deserit amantem species concupita, et per cruciatum sentientis discedit a sen-

[1] *Migne*, Patr. lat. 41, 231. [2] Ibid. 34, 146.

[3] Cui sententiae favere videntur haec verba P. *Alberti Mariae Weiss*: „Harmonische Einigung von Sinnlichem und Geistigem ist das Wesen der Schönheit." (Apologie des Christentums [ed. 3, Freiburg i. Br. 1897] III, 916.) Similia scribit Dr. phil. *Iosef Müller*: „Mit dem Sinnlichen ist die Wurzel und reelle Basis des Schönen zerstört." (Eine Philosophie des Schönen [Mainz 1897] p. 68.) Et ita multi alii.

[4] *Migne*, Patr. lat. 41, 351. [5] Ibid. 41, 467.

sibus, et erroribus agitat; ut hanc esse **primam speciem** putet, quae omnium **infima** est, naturae scilicet corporeae, quam per lubricos sensus caro male delectata nuntiaverit, ut cum aliquid cogitat, intelligere se credat, umbris illusus phantasmatum." Et rursus c. 21: „Hac ergo perversitate animae, quae contingit peccato atque supplicio, fit omnis natura corporea illud quod per Salomonem dicitur: *Vanitas vanitantium, et omnia vanitas. Quae abundantia homini in omni labore eius, quo ipse laborat sub sole?* (Eccl. 1, 2—3.) Neque enim frustra est additum *vanitantium,* quia si vanitantes detrahas, qui tamquam prima sectantur extrema, non erit corpus vanitas; sed in suo genere, quamvis extremam, pulchritudinem sine ullo errore monstrabit. Temporalium enim specierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapsum per carnales sensus diverberavit, et mutabili varietate multiplicavit eius affectum." Et paucis interiectis: „Nunc vero corpus quod corrumpitur aggravat animam, *et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (Sap. 9, 15), quia rapitur in ordinem successionis extrema corporum pulchritudo. Nam ideo extrema est, quia simul non potest habere omnia: sed dum alia cedunt atque succedunt, temporalium formarum numerum in unam pulchritudinem complent." [1] Quam ob rem lib. 2 Confess. c. 2 corpora appellat „novissimarum rerum fugaces pulchritudines" [2], quandoquidem, ut lib. 6 De mus. c. 14 monet, „rerum transitu completur infima pulchritudo." [3] Unde non mirum, quod S. Paulinus Nolanus Carm. eleg. ad Licentium ista pulchra homini sapienti magis vitanda quam quaerenda esse docet ita canens:

„Pulchra quidem, sed mira vagis praesentia rerum
Mentibus, at sapiens non stupet ista animus." [4]

Quam totam doctrinam Patres Ecclesiae non e proprio penu, sed ex Scriptura sacra hausisse censendi sunt, cum Eccli. 11, 2 admoneat: „*Non laudes virum in specie sua* (ἐν κάλλει αὐτοῦ), *neque spernas hominem in visu suo.*" Et iterum Proverb. 31, 30: „*Fallax gratia, et vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur.*" [5] Et rursus Isai. 40, 6: „*Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri.*" [6]

---

[1] *Migne,* Patr. lat. 34, 139. [2] Ibid. 32, 676.

[3] Ibid. 32, 1185. Cum S. Augustino consentit Boetius De consolatione philos. lib. 2. pros. 5. ex qua pauca haec depromimus: „An gemmarum fulgor oculos trahit? . . . quae tametsi conditoris opera, suique distinctione postremae aliquid pulchritudinis trahunt, infra vestram tamen excellentiam collocatae, admirationem vestram nullo modo merebantur" etc. (*Migne,* Patr. lat. 63, 691.)

[4] Ibid. 33, 158.

[5] שֶׁקֶר הַחֵן וְהֶבֶל הַיֹּפִי אִשָּׁה יִרְאַת־יְהוָה הִיא תִתְהַלָּל׃

[6] קוֹל אֹמֵר קְרָא וְאָמַר מָה אֶקְרָא כָּל־הַבָּשָׂר חָצִיר וְכָל־חַסְדּוֹ כְּצִיץ הַשָּׂדֶה׃
Quae Isaiae verba S. Cyrillus Alexandrinus in mente habuisse videtur, cum De

De pulchritudine spirituali seu intelligibili.

An spiritualis pulchritudo reipsa exsistat, difficilius est ad investigandum quam quaestio iam soluta de pulchritudine corporali. Neque enim pauci auctores sunt nec levissimi, qui omnem omnino pulchritudinem spiritualem e medio tollant. In quorum numero sunt non tantum Materialistae, qui spiritualem naturam ullam esse penitus negant, sed praecipue Pantheistae, qui, quidquid spirituale dicatur, essentialiter in materiam immersum esse contendunt. Unde etiam pulchritudinis essentiam sibi constantes in eo ponunt, quod pulchrum intimo quodam ac necessario nexu cum materia coniunctum sit, vel quod sensibilia et intelligibilia congruenter inter se uniantur.

At vero Patres Ecclesiae pulchritudinem mere spiritualem seu intelligibilem exsistere, rectissime docent[1]. Si enim talis pulchritudo spiritualis non exsisteret, Deus qui summus est spiritus, aut nullatenus dicendus esset formaliter pulcher, aut absurde imaginandus esset Deus pantheisticus. Itaque, cum quaestio de pulchritudine spirituali maximi sit momenti, diligentius secundum documenta Patrum tractabimus:

1° de exsistentia pulchritudinis spiritualis,
2° de spirituali pulchritudine virtutis,
3° de spirituali pulchritudine animae humanae,
4° de spirituali pulchritudine angelorum et beatorum in caelo exsistentium.

§ 1.

Patres Ecclesiae, quomodo spiritualem pulchritudinem esse probaverint.

Et sane iam ex S. Augustini definitione: „Omnis pulchritudinis forma unitas est“, consequitur ut spiritualis pulchritudo exsistat. Hoc

---

incarn. Dom. homines iustos ita a Christo institutos esse dicat, ut „nihil in mundo splendidum putent, gloriam irrideant, divitiarum torrentes despiciant, corporis pulchritudinem tamquam florem caducum spectent“. (*Migne*, Patr. gr. 75, 1474: μηδὲν ἡγεῖσθαι τῶν ἐν τῷ βίῳ λαμπρόν, δόξης καταγελᾶν, τῶν τοῦ πλούτου ῥευμάτων ὑπερορᾶν, ὥραν σώματος ὡς ἄνθος ὁρᾶν μαραινόμενον.)

[1] P. *Albertus Maria Weiss* in cit. Apologie des Christentums tom. III. 2. p. 916. pulchritudinis essentiam ita definit: „Harmonische Einigung von Sinnlichem und Geistigem ist das Wesen der Schönheit.“ Et paulo post: „Nur wenn sich eine sowohl wahre als sittlich gute Idee in eine sinnliche Hülle kleidet, die ihr ebenmäßig entspricht, dann haben wir das Schöne.“ Sed videat, quomodo consequentiam istorum verborum devitet. Neque enim satis est, ita retractare: „Der sinnliche Ausdruck gehört für uns notwendig zum Schönen, da wir die rein geistige Schönheit nicht zu fassen vermögen.“ Pulchritudinem spiritualem videre quidem non possumus, attamen conclusionibus intelligere. Neque est, cur pulchritudinem nonnulli auctores vocent „perfectionem mixtam“.

enim simplici syllogismo uti possumus: Omnis natura spiritualis prae ceteris eminet unitate. Atqui unitas est forma pulchritudinis. Ergo omnis natura spiritualis pulchritudine prae ceteris eminet. Est igitur pulchritudo spiritualis.

Quam veritatem Patres Ecclesiae exemplis potissimum declaraverunt. Notum est adagium illud, quod Platoni adscribitur, neminem esse pulchrum nisi sapientem[1]. Clemens saltem Alexandrinus lib. 2 Strom. c. 5 ait: „Pulchrum esse sapientem, non alia ratione dicit hospes Atheniensis (Plato), quam si quis affirmet, quosdam esse iustos, etsi sint deformes corpore: nec sane male id diceret, ea ratione pulchros esse asserens, quatenus iustis moribus praediti sunt.“[2] Atqui nec sapientia nec iustitia, quibus homines pulchros reddi Plato et Clemens Alexandrinus asserunt, corporeum quidquam est, sed plane spirituale. Apparet ergo pulchritudinem spiritualem exsistere.

Celebratum est illud quoque duorum servorum exemplum, quod S. Augustinus Serm. 159, c. 3 ad spiritualem pulchritudinem demonstrandam adducit: „Habes duos servos“, inquit, „unum deformem corpore, alium pulcherrimum; sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi quem plus diligas: et video te amare invisibilia. Quid ergo, quando plus amas servum fidelem, licet corpore deformem, quam pulchrum infidelem, errasti, et foeda pulchris praeposuisti? Utique non: sed pulchriora foedis praeposuisti. Contempsisti enim oculos carnis, et erexisti oculos cordis. Interrogasti oculos carnis, et quid tibi renuntiaverunt? Iste pulcher est, ille foedus. Repulisti eos, eorum testimonium reprobasti: erexisti oculos cordis in servum fidelem, et in servum infidelem: istum invenisti foedum carne, illum pulchrum; sed pronuntiasti et dixisti: Quid fide pulchrius? quid infidelitate deformius?“[3] Non minus ergo pulchritudo spiritualis quam spiritualis deformitas exsistit. — Neque silentio praetereundum est aliud iusti senis exemplum, quod idem Augustinus Enarr. in Ps. 64 exposuit: „Intus est oculus, unde videatur pulchritudo iustitiae, unde amatur iustus senex. Quid affert in corpore quod oculos delectet, curva membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem undique querelis plenam? Tamen si iustus est, si alienum non concupiscit, si de suo quod habet erogat indigentibus, si bene monet et rectum sapit, si integre credit, si paratus est pro fide veritatis etiam ipsa confracta membra impendere; multi enim martyres,

[1] *Cicero*, De finib. III, 75: „Recte (sapiens) etiam pulcher appellabitur; animi lineamenta sunt pulchriora quam corporis.“

[2] ***Migne***, Patr. gr. 8, 956: Καλὸν δ' αὖ εἶναι τὸν σοφόν, ὁ Ἀθηναῖος ξένος ὧδι λέγει, ὡς εἴ τις διισχυρίζοιτο εἶναι τοὺς δικαίους, ἂν καὶ τυγχάνωσιν ὄντες αἰσχροὶ τὰ σώματα· κατά γε τὸ δικαιότατον ἦθος, ταύτῃ ἂν καλοὺς εἶναι σχεδὸν οὐδεὶς ἂν λέγων πλημμελῶς δόξειεν λέγειν.

[3] ***Migne***, Patr. lat. 38, 869.

etiam senes; unde illum amamus? Quid in eo videmus bonum oculis carnis? Nihil. Quaedam est ergo pulchritudo iustitiae quam videmus oculis cordis, et amamus, et exardescimus."[1] Quod iudicium tam rectum tamque probatum omnibus est, ut idem Augustinus Serm. 159, c. 6 confidenter dicat: „Da mihi pulchram iustitiam, da mihi fidei pulchritudinem: procedat in medium, ostendat se oculis cordis, inspiret fervorem amatoribus suis."[2]

Et ecce procedunt in medium sancti martyres, in quorum membris utut foede laniatis summa pulchritudo fidei et iustitiae spectatur atque adamatur, S. Augustino Enarr. in Ps. 64 ita testante: „Quam multum dilexerunt homines in ipsis martyribus, cum eorum membra bestiae laniarent. Quid ibi erat quod amaretur, nisi quia erat in illa foeditate membrorum integra pulchritudo iustitiae?"[3] „Est enim", inquit Enarr. in Ps. 32, „quaedam pulchritudo iustitiae. Poena te deterreat. Habet iustitia formam suam, oculos quaerit, accendit amatores suos. Pro hac martyres saeculum calcantes, sanguinem fuderunt. Quid amabant, quando istis omnibus renuntiabant? Num enim illi non erant amatores? aut hoc vobis dicimus, ut non ametis? Qui non amat, friguit, obriguit. Ametur, sed illa pulchritudo quae cordis oculos quaerit. Ametur, sed illa pulchritudo quae laudata iustitia incendit animos. Promunt verba, edunt voces, undique dicunt: Bene, optime. Quid viderunt? Iustitiam viderunt, in qua pulcher est curvus senex."[4] Hanc ob pulchritudinem S. Augustinus amore in martyres inflammatum se esse testatur lib. 9 De Trinit. c. 6: „Unde in me fraterni amoris inflammatur ardor, cum audio virum aliquem pro fidei pulchritudine et firmitate acria tormenta tolerasse?"[5] Quae sane pulchritudo, cum interna atque spiritualis sit, non oculis carnis, sed acie mentis spectatur, ut S. Gregorius Nyssenus in laud. quadragint. Martyr. iudicat: „Quam pulchrum igitur tunc (scil. in martyrio) intuentibus erat spectaculum? pulchrum, inquam, iis qui pulchra intueri volunt, pulchrum angelis, pulchrum supermundanis virtutibus."[6] Hinc fit, ut eiusmodi pulchritudo tanta sit firmitate, ut nulla unquam deformitate ac foeditate corporis auferri vel deleri possit. Merito igitur S. Ambrosius Exhort. virginit. martyrium s. Sotheris virginis celebrans persecutores sic increpat: „Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare, faciem tamen virtutis eius et gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt."[7] Immo vero ne crudelissima quidem mors

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 36, 780.
[2] Ibid. 38, 871. [3] Ibid. 36, 780. [4] Ibid. 36, 282.
[5] Ibid. 42, 966.
[6] *Migne*, Patr. gr. 46, 762: Ὡς καλὸν τοίνυν ἦν τοτε τοῖς ὁρῶσι τὸ θέαμα· καλὸν λέγω τοῖς τὰ καλὰ βλέπειν ἐθέλουσι, καλὸν ἀγγέλοις, καλὸν ταῖς ὑπερκοσμίαις δυνάμεσι.
[7] *Migne*, Patr. lat. 16, 360.

illam „gratiam decoris interni" destruere potuit, quemadmodum Ecclesia in hymn. ad matut. comm. Virg. et Mart. canit:

„Virginis partos canimus decora
Morte triumphos."

Quin etiam civitates mortem civium pro libertate patriae acriter pugnantium pulchram et decoram esse censent, et cum Horatio Flacco summis laudibus offerunt: „Dulce et decorum est pro patria mori."[1] Quae mors, ut liquet, non corporali pulchritudine decora est, sed spirituali.

Est ergo pulchritudo spiritualis seu intelligibilis, vel ut verbis S. Gregorii Nazianzeni Orat. 37 in Matth. utar: est τὸ φαινόμενον κάλλος, i. e. pulchritudo in conspectum cadens, et est τὸ ἀφανὲς κάλλος, i. e. pulchritudo in conspectum non cadens: „Pulchritudo quidem ea, quae in oculos cadit, non occultatur; quae autem oculorum aciem fugit, a Deo perspicitur. *Omnis gloria filiae Regis ab intus* (Ps. 44, 14)."[2] Propterea S. Ephraem Syrus Orat. pro vit. fut. Deum alloquens hortatur: „Quantae simus pulchritudinis intelligamus per illam pulchritudinem spiritualem, quam in ipsa mortalitate excitat voluntas Tua immortalis."[3]

§ 2.

De spirituali pulchritudine virtutis.

Ea pulchritudo spiritualis, quam secundum S. Ephraem Syrum voluntas Dei in anima humana gignit, praecipue est duplex: scil. gratiae et virtutis. Hac tamen paragrapho non tractabimus nisi de pulchritudine virtutis, illam quae e gratia divina oritur, infra (Lib. II, Parte II, cap. 1, art. 2, § 2, A, b) diligentius explicaturi.

Quod igitur ad virtutis pulchritudinem attinet, hunc syllogismum iuvat praemisisse: Sacra Scriptura et Patres Ecclesiae docent virtutem esse pulchram. Atqui virtus certissime est aliquid spirituale. Ergo certum est pulchritudinem spiritualem exsistere. Propositio maior probanda est. Inquiramus igitur, quid praeeunte sacra Scriptura praesertim secundum Patres Ecclesiae de pulchritudine virtutis et in genere et in specie sit sentiendum.

I. Atque primum Clemens Alexandrinus lib. 5 Strom. c. 14 Platonem citat „in Protagora ita fatentem": „Pulcherrimum id, quod est sapientissimum; dicebat enim virtutem esse animae pulchritu-

---

[1] *Horatius Flaccus*, Carminum lib. 3, carm. 2, vers. 13. *Vergilium* quoque testem habes pulchritudinis spiritualis, cum libertatem pulchram appellat canens:

„. . . Natosque pater nova bella moventes
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit."

(Aeneis, lib. 6, vers. 820—821.)

[2] *Migne*, Patr. gr. 36, 284: Τὸ μὲν φαινόμενον κάλλος οὐ κρύπτεται· τὸ δὲ ἀφανὲς Θεῷ βλέπεται.

[3] S. Ephraem Syri Hymni et Sermones ed. *Th. J. Lamy* (3 voll., Mechliniae 1882, 1889 et 1896) III, 220.

dinem, contra autem vitium animae turpitudinem.“ [1] Item S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10 in Ioan. Evang. dicit: „Malis depositis atque reiectis, in eorum locum virtutis pulchritudo succedit.“ [2] Prae ceteris autem S. Ambrosius est is, qui pulchritudinem virtutis summopere commendat. Ait enim In ps. 118, serm. 2, n. 32: „Si quis intentus divinis, triplicem illam sapientiae hauriat disciplinam, θεωρητικήν, πρακτικήν, λογικήν; bonus studio percipiendae cognitionis, pulchrior erit exsequendae rationalis moralisque doctrinae gratiam tenens.“ [3] Et in Apolog. David alt. c. 8 animam fatetur formosam non esse nisi „decore virtutis“: „*Exsurge, veni, proxima mea, formosa mea* (Cant. 2, 10). Proxima, utique fidei desiderio: formosa, decore virtutis.“ [4] Anima autem, quae decore virtutis formosa sit, a Deo amatur, ut idem Ambrosius lib. 1 De virginib. c. 7, n. 37 docet: „*Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus* (Ps. 44, 12). . . . Audisti quia placet ei tuarum pulchritudo virtutum.“ [5] Etenim „admirabilis“, inquit lib. 2 De off. c. 13, „et praeclara forma virtutum est.“ [6] Qua in sententia S. Ambrosius Ciceronem secutus esse videtur pulchritudinem virtutis ita laudantem: „Quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?“ (Off. II. 10.) „Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius“ (Epist. ad Fam. IX, 14).

Unde etiam S. Ioannes Chrysostomus Homil. 3 in c. 1 Genes. eos censet praemiis magnis esse dignos, qui hominibus monstrent „et vitiorum deformitatem, et divinae virtutis magnam pulchritudinem.“ [7] Non secus ac S. Ephraem Syrus Serm. de reprehens. iuvenes. ut decore virtutum pulchri esse studeant, vehementer adhortatur dicens: „Exornare, o iuventus, pulchritudine quae nunquam marcescit, pulchritudine quae decorat et exornat iuventutem et senectutem, pulchritudine quam deformem non reddit infirmitas.“ [8]

Internam vero rationem, quare virtutem pulchram esse atque decoram necesse sit, affert S. Thomas Aquinas (S. th. 1. 2, qu. 55, a. 2 ad 1): „Facit“, inquit, „virtus operationem ordinatam; et ideo ipsa virtus est quaedam dispositio ordinata in anima, secundum scilicet quod propriae potentiae animae ordinantur aliqualiter ad invicem, et ad id quod est extra. Et ideo virtus, in quantum est conveniens dispositio animae, assimilatur sanitati et pulchritudini, quae sunt debitae dispositiones corporis.“ Atqui supra

[1] *Migne*, Patr. gr 9, 148: Σοφώτατον κάλλιστόν ἐστι· τὴν γὰρ ἀρετὴν τὸ κάλλος τῆς ψυχῆς ἔφη εἶναι· κατὰ δὲ ἐνάντιον τὴν κακίαν αἶσχος ψυχῆς.

[2] Ibid. 74, 835: Ἐν γὰρ τῇ τῶν φαύλων ὑποθέσει (γρ. ἀποθέσει) καὶ ἀποβολῇ τὸ τῆς ἀρετῆς ἀντεισκρίνεται κάλλος.

[3] *Migne*, Patr. lat. 15, 1221. [4] Ibid. 14, 904. [5] Ibid. 16, 288.

[6] Ibid. 16, 119.

[7] *Migne*, Patr. gr. 53, 37: δεικνύντες τῆς μὲν κακίας τὸ δυσειδές, τῆς δὲ κατὰ Θεὸν ἀρετῆς τὴν πολλὴν εὐμορφίαν.

[8] *Lamy*, S. Ephraem Syri Hymni et Sermones II, 362.

(c. 3, §§ 2 et 4) fusius demonstravimus pulchritudinis naturam in harmonia debita consistere sive in ordine debito. Ergo virtus pulchra est atque honesta.

II. Quoad virtutes particulares Patres Ecclesiae passim commendant veritatem, sapientiam, caritatem, iustitiam, concordiam atque pacem, humilitatem, castitatem, utpote pulchras atque decoras.

1. Est itaque pulchritudo spiritualis, quia certo pulchra est **veritas.** S. Hieronymus enim (lib. 2 Comment. in Ierem. proph. c. 10) ait: „In veritate decor, in mendacio turpitudo.“ [1] Item S. Augustinus Enchirid. c. 17: „Verum putare quod falsum est, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum sive sit verum; idque tam est in animo deforme atque indecens, quam pulchrum et decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel in assentiendo: *Est, est; Non, non* (Matth. 5, 37).“ [2] Et Epist. ad Dioscor. scribit: „Nihil est pulchrius ipsa intelligibili atque incommutabili veritate.“ [3] Cuius veritatis pulcherrimae amator tantus exstitit S. Augustinus, ut Contr. mendac. c. 18 confiteretur: „Cum proposuero ante qualescunque oculos cordis mei intelligibilem illius (veritatis) pulchritudinem, de cuius ore falsi nihil procedit; quamvis ubi radians magis magisque clarescit veritas, ibi palpitans mea reverberatur infirmitas: tamen sic amore tanti decoris accendor, ut cuncta quae inde me revocant humana contemnam.“ [4] Quae dicta ad illud quoque referri possunt Verbum sive Λόγον, qui de se ipso testatus est: „*Ego sum veritas*“ (Io. 14, 6). Cuius „*veritatis*“ pulchritudinem iam Vetus Testamentum praesignabat, S. Cyrillo Alexandrino De ador. in spir. et verit. lib. 1 ita testante: „Lex namque figura et umbra est, et forma pietatis tamquam adhuc parturiens, et latentem in se pulchritudinem veritatis continens.“ [5]

2. Est pulchritudo spiritualis, quia pulchra est **sapientia,** quae in sacra Scriptura summis laudibus effertur. Legimus enim Sap. 6, 13: „*Clara est, et quae numquam marcescit, sapientia.*“ Et Sap. 7, 10: „*Super salutem et speciem* (εὐμορφίαν) *dilexi illam.*“ Et iterum Sap. 8, 2: „*Et amator factus sum formae illius*“ (τοῦ κάλλους αὐτῆς). Et rursus Sap. 7, 29: „*Est enim speciosior* (εὐπρεπεστέρα) *sole, et super omnem dispositionem stellarum.*“ Item legimus Eccli. 6, 31—32: „*Decor enim vitae est in illa. . . . Stolam gloriae indues eam.*“ In Eccli. 25, 6—7 autem scriptum est: „*Quam speciosum* (ὡραῖον) *canitiei iudicium. . . . Quam speciosa* (ὡραία) *veteranis sapientia.*“ Et in Eccli. 4, 28: „*Non abscondas sapientiam tuam in decore suo*“ (εἰς καλλονήν). Quibus textibus sacrae Scripturae nixi iam illud S. Am-

[1] *Migne*, Patr. lat. 24, 748. [2] Ibid. 40, 240. [3] Ibid. 33, 443.
[4] Ibid. 40, 548.
[5] *Migne*, Patr. gr. 68, 138: Τύπος γὰρ ὁ νόμος καὶ σκιά, καὶ τῆς εὐσεβείας ἡ μόρφωσις ὡς ἐν ὠδῖσιν ἔτι, καὶ κεκρυμμένον ἐν ἑαυτῇ τὸ τῆς ἀληθείας ἔχουσα κάλλος.

brosii (lib. 2 De off. c. 13) comprobamus: „Admirabilis et praeclara forma virtutum est, et specialiter **pulchritudo sapientiae**, sicut series Scripturae indicat.“ [1] Quare autem hagiographus specialiter sapientiae decorem describat, S. Gregorius Nyssenus Homil. 1 in Cant. hunc in modum exponit: „Et sic ei (discipulo) incipit describere **sapientiam**, multis coloribus et figuris interpretans **ineffabilis pulchritudinis speciem ac decorem** (τοῦ ἀφράστου κάλλους τὴν ὥραν), ne ullo metu aut necessitate, sed cupiditate et desiderio excitetur ad bonorum participationem. Nam descriptio pulchritudinis attrahit omnem iuvenum cupiditatem ad id quod ostenditur, accendens desiderium ut sit particeps speciei ac decoris. Ut ergo ei magis augeatur cupiditas a materiali traducta affectione ad materiae expertem habitudinem, ornat laudibus **sapientiae pulchritudinem**.“ [2]

3. Est pulchritudo spiritualis, quia pulchra est **caritas**, de qua Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 1 dicit: „**Est autem alia quoque hominum pulchritudo, caritas.** *Caritas* autem, ut ait Apostolus (1 Cor. 13, 4), ***patiens est, benigna est; non aemulatur, non agit perperam, non inflatur.*** Perpera enim actio dicitur cultus (καλλωπισμός), qui superfluitatem et inutilitatem aperte iudicat, et ideo subiungit: *Non indecore se gerit* (οὐκ ἀσχημονεῖ).“ [3] Item S. Augustinus tract. 9 in epist. Ioan. ad Parth. scribit caritatem esse animae pulchritudinem: „Quomodo erimus pulchri? Amando eum qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo: **quia ipsa caritas est animae pulchritudo.**“ [4] Unde apud Eccli. 24, 24 Dei sapientia sese ita laudat: ***„Ego mater pulchrae dilectionis.“***

4. Est pulchritudo spiritualis, quia pulchra est **iustitia.** Etenim si pulchritudo in proportione vel in ordine debito consistit, iustitia autem ea est virtus quae suum cuique tribuit, i. e. proportionem vel ordinem debitum semper servat, statim sequitur, ut iustitia pulchra iudicanda sit. Et profecto S. Gregorius Thaumaturgus Orat. in Origenem paneg. de iustitia, cuius pulchritudinem Origenes ei ostenderit, ita loquitur: „Amorem nobis sua ipsius virtute ingenerans **pulchri-**

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 16, 119.

[2] *Migne*, Patr. gr. 44, 767: Καὶ οὕτως ὑπογράφειν ἄρχεται τὴν σοφίαν αὐτῷ, ποικίλως τε καὶ πολυειδῶς τοῦ ἀφράστου κάλλους διερμηνεύων τὴν ὥραν· μὴ φόβῳ τινὶ καὶ ἀνάγκῃ, ἀλλὰ ἐπιθυμίᾳ καὶ πόθῳ πρὸς τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν διαναστῆναι. Ἡ γὰρ τοῦ κάλλους ἐπιγραφὴ ἐπισπᾶταί πως τὴν τῶν νέων ἐπιθυμίαν πρὸς τὸ δεικνύμενον, πρὸς κοινωνίαν τῆς ὥρας τὸν πόθον ἀναῤῥιπίζουσα. Ὡς ἂν οὖν μᾶλλον αὐτῷ τὸ ἐπιθυμητικὸν αὐξηθείη, μετατεθὲν ἀπὸ τῆς ὑλικῆς προσπαθείας πρὸς τὴν ἄϋλον σχέσιν, ὡραΐζει διὰ τῶν ἐγκωμίων τῆς σοφίας τὸ κάλλος.

[3] Ibid. 8, 558: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο κάλλος ἀνθρώπων, ἀγάπη. „Ἀγάπη“ δὲ κατὰ τὸν Ἀπόστολον „μακροθυμεῖ, χρηστεύεται, οὐ φυσιοῦται“. Περπερία γὰρ ὁ καλλωπισμός, περιττότητος καὶ ἀχρειότητος ἔχων ἔμφασιν. Διὸ καὶ ἐπιφέρει· „Οὐκ ἀσχημονεῖ“. Versio vulgata verba ultima reddit: „*Non est ambitiosa*“.

[4] *Migne*, Patr. lat. 35, 2051.

tudinis iustitiae, cuius auream plane nobis faciem ostendit.“[1] S. Augustinus vero iustitiam pulchram iam supra laudavit illo iusti senis exemplo. Quid plura dicam, cum iam Plato in „Gorgia“ Socratem inducat, qui Polum quendam sic interrogat: „Potesne iam dicere, non pulchra esse omnia iusta, quatenus iusta sunt? age tecum reputa et dic.“ Polus: „Mihi sane ita videtur, Socrates.“[2] Et pluribus saeculis ante etiam Ieremias propheta c. 31, 23 pulchritudinem iustitiae laudavit: „*Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiae, mons sanctus.*“[3]

5. Est pulchritudo spiritualis, quia pulchrae sunt **concordia** et **pax**. Et re quidem vera S. Augustinus supra definivit: „Omnis pulchritudinis forma unitas est.“ Atqui pax et concordia unitate continentur. Ergo pax et concordia pulchritudine sunt praeditae. Nullam aliam ob causam S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Pace I[a] et II[a] ad populum Constantinopolitanum concionatus asserit pulchritudinem esse fructum concordiae[4]. Item Orat. (15) in Macchabaeorum laudem dicit: „Pulchra quidem res est, cum fratres simul habitant . . . pulchrior autem, cum virtutis causa simul periclitantur.“[5] Eandem sententiam sequitur S. Augustinus, cum Serm. 359, n. 5 ait: „Speciosa res est concordia fratrum.“[6] Uterque autem Doctor illud Ps. 132, 1 meminisse videtur: „*Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.*“

De pulchritudine autem pacis, quae ex concordia et unitate proficiscitur, Isaias propheta c. 32, 18 vaticinatus est: „*Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.*“[7] Et iterum c. 52, 7: „*Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem.*“[8] Quae verba prophetica S. Paulo apostolo ob oculos versata sunt, cum ad Rom. 10, 15 scribit: „*Quam speciosi pedes evangelizantium pacem.*“ Hic autem tropus nihil aliud significat nisi pulchritudinem pacis, et illius quidem pacis gratiosae, quae ex Evangelio Iesu Christi paritur. Unde S. Ambrosius In ps. 118, serm. 21, n. 17 monet: „Pax multa abundet tibi, quae exsuperat omnem mentem secundum Apostoli sententiam (Phil. 4, 7), quo nihil pulchrius dici potuit.“[9]

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 10, 1086: ἐμποιήσας ἔρωτα τῇ αὐτοῦ ἀρετῇ καὶ τοῦ κάλλους τῆς δικαιοσύνης, ἧς τὸ χρύσεον ὄντως ἔδειξεν ἡμῖν πρόσωπον.

[2] *Astius*, Plato I, 335: Ἔχεις οὖν λέγειν, ὡς οὐχὶ τά γε δίκαια πάντα καλά καθ' ὅσον δίκαια; καὶ διασκεψάμενος εἰπέ. Πωλ.· Ἀλλά μοι δοκεῖ, ὦ Σώκρατες.

[3] Text. Masor. :יְבָרֶכְךָ יְהוָה נְוֵה־צֶדֶק הַר הַקֹּדֶשׁ, hoc est: „Benedicat tibi Dominus, habitaculum iustitiae, mons sanctus.“

[4] *Migne*, Patr. gr. 35, 738 et 1147.

[5] Ibid. 35, 925: Καλὸν μὲν συνοικοῦντες ἀλλήλοις ἀδελφοί . . . κάλλιον δὲ ὑπὲρ ἀρετῆς συγκινδυνεύοντες. [6] *Migne*, Patr. lat. 39, 1594.

[7] Text hebr. :וְיָשַׁב עַמִּי בִּנְוֵה שָׁלוֹם, id est: „Et sedebit populus meus in habitaculo pacis.“

[8] Text. hebr. :מַה־נָּאווּ עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם.

[9] *Migne*, Patr. lat. 15, 1509.

6. Est pulchritudo spiritualis, quia pulchra est **humilitas**, quam S. Ioannes Chrysostomus Homil. 47 (al. 48) in Matth. ita describit: „Tu vero . . . animam non exornas, non adspicis assidue virtutis imaginem, nec membra eius et caput consideras? Nam et caput habet et membra, specioso corpore formosiora. Quod ergo caput est, inquies, virtutis? Humilitas. Quamobrem ab hac incipit Christus dicens: *Beati pauperes* (Matth. 5, 3). Hoc caput non comas habet nec cincinnos, sed tantam pulchritudinem, ut Deum ipsum attrahat; nam ait: *Super quem respiciam, nisi super mansuetum et humilem et trementem verba mea?*" (Isai. 66, 2.) Et post pauca: „Vidistin' caput quale nunquam videras? Visne faciem videre, imo ediscere? Iam disce colorem eius rubicundum, floridum, et valde gratiosum; disce quibusnam constet. Quibus ergo constat? Pudore atque rubore. Quapropter ait quispiam: *Ante verecundum praecedet gratia* (Eccli. 32, 9). Hoc et aliis membris magnam infundit pulchritudinem. Etiamsi mille misceas colores, non tantam speciem (ὥραν) efficies." [1]

7. Est denique pulchritudo spiritualis, quia pulchra est **castitas**. Legimus enim in illo, qui S. Cypriano adscribitur, libro De discipl. et bono pudicit.: „Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum. . . . Pudicitia semper ornatur solo pudore, bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet; pudicitia nihil ornamentorum quaerit, decus suum ipsa est." [2] Quibus verbis consentit S. Ephraem Syrus Serm. 1 De Ioseph vendito dicens: „Aurum minoris pretii est quam vir probus, castus praecellit impudico; pulchritudo latet in rebus eius, ori suavis est conversatio eius, et mens delectatur illum contemplando, quia in tali viro copiosae absconditae sunt divitiae." [3] — „Pulchra igitur virtus est verecundia", inquit S. Ambrosius lib. 1 De off. c. 18, „et suavis gratia, quae non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus." [4] Et exemplum de castitate

[1] *Migne*, Patr. gr. 58, 485: Σὺ δὲ . . . οὐ καλλωπίζεις σου τὴν ψυχήν, οὐκ ἐπισκοπεῖς συνεχῶς τὴν εἰκόνα τῆς ἀρετῆς, καὶ τὰ μέλη αὐτῆς καταμανθάνεις καὶ τὴν κεφαλήν; Καὶ γὰρ καὶ κεφαλὴν ἔχει, καὶ μέλη παντὸς σώματος εὐειδοῦς καὶ καλοῦ εὐπρεπέστερα. Τίς οὖν ἡ κεφαλή, φησί, τῆς ἀρετῆς; Ἡ ταπεινοφροσύνη. Διὸ καὶ ἀπ' αὐτῆς ἄρχεται ὁ Χρίστος λέγων· „Μακάριοι οἱ πτωχοί." Αὕτη ἡ κεφαλὴ οὐ κόμας ἔχει καὶ βοστρύχους, ἀλλὰ κάλλος τοιοῦτον, οἷον τὸν Θεὸν ἐπισπάσασθαι. „Ἐπὶ τίνα γὰρ ἐπιβλέψω", φησίν, „ἀλλ' ἢ ἐπὶ τὸν πρᾶον καὶ ταπεινόν, καὶ τρέμοντά μου τοὺς λόγους;" . . . Εἶδες κεφαλήν, οἵαν οὐδέποτε εἶδες; Βούλει καὶ τὸ πρόσωπον ἰδεῖν, μᾶλλον δὲ μαθεῖν; Οὐκοῦν μάθε τέως αὐτοῦ τὸ χρῶμα τὸ ἐρυθρὸν καὶ εὐανθὲς καὶ πολλὴν ἔχον τὴν χάριν, καὶ μάθε πόθεν συνίσταται. Πόθεν οὖν συνίσταται; Ἀπὸ τοῦ αἰσχύνεσθαι καὶ ἐρυθριᾶν. Διὸ καί τίς φησι· „Πρὸ αἰσχυντηροῦ προελεύσεται χάρις." Τοῦτο καὶ τῶν ἄλλων μελῶν πολὺ καταχεῖ τὸ κάλλος. Κἂν μυρία μίξῃς χρώματα, οὐκ ἐργάσῃ τοιαύτην ὥραν.

[2] *Migne*, Patr. lat. 4, 858. De auctore huius libri vide quae habet *O. Bardenhewer*, Patrologie (Freiburg i. Br. 1894) p. 201.

[3] *Lamy*, S. Ephraem Syri Hymni et Sermones III, 254.

[4] *Migne*, Patr. lat. 16, 43.

beatae Mariae Virginis capiens, idem S. Doctor lib. 2 De virginib. c. 2 dicit: „Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas vita Mariae, de qua velut speculo refulgeat **species castitatis et forma virtutis**.“ [1] Ennodius postremo Carmin. lib. 1, 9 in natali s. Papae Epiphanii haec de pulchritudine pudicitiae canit:

> „Ille **pudicitiam**, quae **pulchro in corpore vernat**
> **Pulchrior**, et casta ridentem luce figuram
> Laudibus ad caelum portat: **decus** illa profecto
> Attulit huic facies, quae multis causa pericli
> Saepe fuit: **pulchrum satis est mansisse pudicum.**
> Haec nisi de summo non dantur culmine Olympi.“ [2]

Quae omnia brevius et praeclarius complectitur illud Sap. 4, 1: *„O quam pulchra est casta generatio cum claritate.“*

Quoniam igitur S. Patribus testibus virtutes veritatis, sapientiae, caritatis, iustitiae, concordiae atque pacis, humilitatis, castitatis sine ullo dubio pulchrae praedicandae sunt ac decorae, satis elucet pulchritudinem spiritualem seu intelligibilem reapse exsistere. Idem per analogiam dicendum est de virtutibus reliquis. Quapropter cum S. Gregorio Nazianzeno De paup. amor. Orat. (14) summatim concludere licet (sententiis tamen intermediis praetermissis): „**Pulchra res est fides, spes, caritas**, tria haec; ac fidei quidem testis est Abraham . . . spei Enos . . . caritatis divinus Apostolus. . . . **Pulchra res est hospitalitas**; ac testis inter iustos quidem Lot, inter peccatores autem Rahab meretrix. **Pulchra res** est fraternus amor, eiusque rei Iesum testem habemus. Pulchra res benevolentia erga homines, ac testis est idem Iesus. Pulchra res longanimitas, quemadmodum idem ipse testatur. Pulchra res mansuetudo; testes sunt Moyses et David. Pulchra res zelus, testis Phinees qui Madianitidem una cum Israelita gladio traiecit. Pulchra res corporis castigatio; id tibi Paulus persuadeat. Pulchra res oratio et vigilia; huius rei fidem faciat Iesus. Pulchra res castimonia et virginitas; fidem Paulo arroga de his rebus leges statuenti. Pulchra res continentia, moveat te Davidis auctoritas. Pulchra res solitudo et quies; idque me docet Eliae Carmelus, aut Ioannis desertum. Pulchra res victus tenuitas; documento mihi est Elias. Pulchra res humilitas, eiusque multa exempla passim exstant. Pulchra res est inopia et pecuniarum contemptio; testis est Zachaeus atque etiam Iesus. Atque ut compendiosius adhuc de his rebus loquar, **pulchra res** est contemplatio, pulchra item actio.“ [3]

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 16, 208. [2] Ibid. 63, 524.

[3] *Migne*, Patr. gr. 35, 859: Καλὸν πίστις, ἐλπίς, ἀγάπη. . . . Καλὸν ἡ φιλοξενία. . . . Καλὸν ἡ φιλαδελφία etc. etc. Plato praeter sapientiam et iustitiam praecipue **temperantiam et fortitudinem** in numero pulchrorum habuit. In „Charmide“ enim Socratem sic interrogantem inducit: Εἰπὲ γάρ μοι, οὐ τῶν καλῶν μέντοι ἡ σωφροσύνη ἐστίν; Πάνυ γε. Id est: „Dic mihi, nonne **in numero pulchrorum est temperantia**? Sane quidem.“ (*Astius*, Plat. VIII, 429.) Et in „Lache“ Socrates ait: Σχεδὸν γάρ τι οἶδα, ὦ Λάχης, ὅτι τῶν πάνυ καλῶν πραγμάτων ἡγεῖ σὺ ἀνδρείαν

§ 3.

De spirituali pulchritudine animae humanae.

Virtutes, quarum pulchritudinem modo probavimus, non sunt nisi quaedam animae qualitates. Constat autem, non solum accidentia spiritualia exsistere, verum etiam spirituales substantias, ut animam humanam et naturam angelicam. Itaque quaeritur, num etiam spirituales substantiae pulchrae dici possint. Neque cuiquam dubium esse potest, quin hanc quaestionem affirmare oporteat. Etenim iam ex eo, quod pulchritudo notio est transcendentalis, sequitur pulchritudinem omni creaturae convenire, etiam spirituali. Accedit quod, cum S. Augustino teste „omnis pulchritudinis forma unitas sit", natura spiritualis, quia una est, pulchra sit et eo pulchrior oportet, quo magis naturam corpoream unitate superat. Inquiramus proinde hac paragrapho prius de pulchritudine animae humanae, de pulchritudine naturae angelicae paragrapho sequenti dicturi.

I. Itaque animam humanam Patres Ecclesiae una voce docent pulchritudinis participem esse, cum per se spectatam, tum in statu virtutis atque gratiae. Clemens enim Alexandrinus lib. 4 Strom. c. 18 iudicat: „Qui per castam aspicit dilectionem, non carnem, sed animam pulchram esse existimat." [1] Item Origenes Homil. 8 in Ezech. (interprete Hieronymo) dicit: „Anima humana multum speciosa est, et mirabilem habet pulchritudinem. Artifex quippe eius cum eam primum conderet, ait: ***Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*** (Gen. 1, 26). Quid hac pulchritudine et similitudine pulchrius?" Et paulo post: „Quia ingens est animae pulchritudo, minorum quoque societate turpatur. Respice virtutes animae, quae ei insitae sint a Deo, vide pulchritudinem eius, inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam. . . . Haec possidens magnae pulchritudinis est." [2] Neque solum ex creatione, sed etiam ex redemptione colligi potest, quantae pulchritudinis sit anima humana, siquidem Verbum de caelis ad se traxerit: id quod Origenes Homil. 1 in Cant. (interprete Hieronymo) sic exprimit: „Si autem et ad meam animam factam sponsam suam venire dignabitur, quam oportet esse formosam, ut illum de caelo ad se trahat." [3] Fusius vero S. Ioannes Chrysostomus Paraen. ad Theodor. laps. I. de pulchritudine animae sermonem instituit: „Animam quippe nudatam a corpore nemo hactenus vidit: uliunde tamen eius tibi pulchritudinem demonstrare tentabo, a potentiis nimirum maioribus. Audi igitur, quomodo virum desideriorum illa-

εἶναι. Λάχ. Εὖ μὲν οὖν ἴσθι ὅτι τῶν καλλίστων. Id est: „Fere enim scio, Laches, in rebus admodum pulchris te numerare fortitudinem. Laches: Immo vero, probe scito, in pulcherrimis." (*Astius*, Plat. VIII, 507.)

[1] ***Migne***, Patr. gr. 8, 1328: Ὁ δι' ἀγάπην τὴν ἁγνὴν προσβλέπων τὸ κάλλος, οὐ τὴν σάρκα ἥγειται, ἀλλὰ τὴν ψυχὴν καλήν.

[2] ***Migne***, Patr. lat. 25, 747. [3] Ibid. 23, 1122.

rum decor perculserit; cum vellet enim earum pulchritudinem declarare, nec posset corpus his simile reperire, ad metallicam materiam confugit, neque his contentus, fulguris splendorem in exemplum attulit. Si autem illae, licet non puram neque nudam substantiam suam ostenderint, sed obscure admodum ac velut in umbris, tamen adeo resplenduerunt, quales eas apparere verisimile est, cum omne velamentum remotum fuerit? Tale quidpiam et de p u l c h r i t u d i n e a n i m a e cogitare oportet: *Erunt* enim, inquit, ***sicut angeli*** (Luc. 20, 36).“ Et paucis interiectis: „In summa, si posses a n i m a e p u l c h r i t u d i n e m oculis corporeis intueri, corporea haec exempla derideres, usque adeo tenuiter nobis a n i m a e f o r m a m d e c o r e m q u e (ὡραιότητα) delineant.“ [1]

Idem fere sentiunt Patres Latini. S. Ambrosius enim lib. 6 Hexaëm. c. 6 illud Cant. 1, 7 explicans ait: „***Nisi scias te formosa in mulieribus*** . . . Quae est pulchra in mulieribus, nisi a n i m a q u a e i n u t r o q u e s e x u p r a e s t a n t i a m p o s s i d e t p u l c h r i t u d i n i s? Et merito d e c o r a est, quae non terrena sed caelestia, non corruptibilia sed incorrupta desiderat, in quibus decus perire non soleat.“ Et aliquanto post, scil. c. 8: „Cognosce ergo te, d e c o r a a n i m a, q u i a i m a g o D e i es.“ [2] Similiter S. Hieronymus Epist. (54) ad Furiam vid. illud Cant. 4, 7: „***Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te***“ interpretatur: „Q u i d p u l c h r i u s a n i m a, quae Dei filia nuncupatur, et nullos extrinsecus quaerit ornatus?“ [3]

II. Si quis autem profundius quaerat, qua in re pulchritudo animae proprie consistat, audiat S. Basilium M. supra (Parte I, c. 2, § 2, n. 3) dicentem: „Pulchra est omnis anima, quae in s y m m e t r i a propriarum virtutum conspicitur.“ Iam vero, quum „symmetria propriarum virtutum“ et minui et augeri possit, illico apparet, etiam pulchritudinem animae decrementi et augmenti capacem esse. Unde Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 3 docet: „Ei autem, qui pulcher esse velit, quod est in homine pulcherrimum, ornandum est, nempe m e n s, q u a m o p o r t e t q u o t i d i e p u l c h r i o r e m e x h i b e r e.“ [4] „Pulchritudo enim optima“, inquit ibid. c. 11, „. . . est pulchritudo animae, ut

[1] *Migne*, Patr. gr. 47, 297: Ψυχὴν γὰρ καθ' ἑαυτὴν σώματος μὲν γεγυμνωμένην οὐδεὶς εἶδεν οὐδαμοῦ· ὅμως δὲ καὶ οὕτως ἑτέρωθέν σοι παραστῆναι τὸ ταύτης κάλλος πειράσομαι ἀπὸ τῶν δυνάμεων τῶν μειζόνων. Ἄκουσον γοῦν πῶς τὸν ἄνδρα τῶν ἐπιθυμιῶν ἡ τούτων ὡραιότης ἐξέπληξε· βουλόμενος γὰρ αὐτῶν παραστῆναι τὸ κάλλος, καὶ οὐκ ἔχων σῶμα τοιοῦτον εὑρεῖν, ἐπὶ τὰς μεταλλικὰς ὕλας κατέφυγε, καὶ οὐδὲ ταύταις ἠρκέσθη μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν τῆς ἀστραπῆς λαμπρότητα εἰς τὸ ὑπόδειγμα παρελάμβανεν. Εἰ δὲ μὴ καθαρὰς μηδὲ γυμνὰς φήνασαι τὰς ἑαυτῶν οὐσίας ἐκεῖναι, ἀλλ' ἀμυδρῶς σφόδρα καὶ συνεσκιασμένως, ὅμως οὕτω διέλαμψαν, ὁποίας αὐτὰς εἰκὸς παντὸς ἀπηλλαγμένας παραπετάσματος φαίνεσθαι; Τοιοῦτόν τι καὶ περὶ τοῦ κάλλους τῆς ψυχῆς φαντάζεσθαι χρή. „Ἔσονται“ γάρ, φησίν, „ἰσάγγελοι“. . . . Καὶ ὅλως, εἴ γε ἐνῆν τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς τὸ τῆς ψυχῆς κάλλος ἰδεῖν, καταγελάσας ἂν τῶν σωματικῶν ὑποδειγμάτων τούτων, οὕτως ἀσθενῶς ἡμῖν τὴν τῆς ψυχῆς παραστησάντων ὡραιότητα. Versionem Latinam paulo emendavimus. [2] *Migne*, Patr. lat. 14, 266 et 262. [3] Ibid. 22, 551.

[4] *Migne*, Patr. gr. 8, 585: Ἀνδρὶ δὲ βουλομένῳ εἶναι καλῷ τὸ κάλλιστον ἐν ἀνθρώπῳ, τὴν διάνοιαν, κοσμητέον, ἣν καθ' ἑκάστην ἡμέραν εὐπρεπεστέραν ἐπιδεικτέον.

saepe significavimus, quando fuerit sancto Spiritu, et iis, quae ab eo oriuntur, fulgoribus ornata: iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore et pudore, quo nullus color nitidior unquam visus est." [1] Item S. Augustinus Enarr. in Ps. 58, n. 18 dicit: „Videte enim quid est, fratres, in anima humana. Non habet ex se lumen, non habet ex se vires; totum autem quod pulchrum in anima est, virtus et sapientia est." [2]

Quia omnis porro anima, quae in propriarum virtutum symmetria sive ordine debito tum ad extra tum ad intra invenitur, recta atque iusta dicitur et est, tota eius pulchritudo tandem ad cardinem **iustitiae** referri potest, S. Augustino Epist. (120) ad Consentium testante: „Quid est aliud iustitia, cum in nobis est, vel quaelibet virtus qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo? Et certe secundum hanc pulchritudinem magis quam secundum corpus, facti sumus ad imaginem Dei; unde nobis dicitur: *Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate mentis vestrae, ad probandum vos quae sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum et perfectum* (Rom. 12, 2)." [3]

Quodsi ad illud S. Augustini adagium: „Omnis pulchritudinis forma unitas est" spectamus, tota pulchritudo animae ad cardinem **continentiae** revocari potest, teste eodem Augustino, qui lib. 10 Confess. c. 29 ait: „Per continentiam quippe colligimur et redigimur in unum, a quo in multa defluximus." [4]

Neque miramur, immo consentaneum ducimus, si ex eadem ratione pulchritudo animae a nonnullis Patribus ad **caritatem**, quae summa est virtutum, revocari solet. Quia caritas enim, *„quod est vinculum perfectionis"* (Coloss. 3, 14), multitudinem credentium non modo in unum quasi colligit cor unamque animam, verum etiam cum ipso Deo quam intime unit atque coniungit, rursus S. Augustinus, ut iam §° praecedenti citavimus, rectissime dicit: „Quomodo erimus pulchri? Amando eum, qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa caritas est animae pulchritudo."

Quae cum ita sint, optime concludere possumus cum S. Ambrosio De Isaac et anim. c. 8: „Pulchritudo animae sincera virtus et decor." [5] Et iterum De obit. Valent. consol.: Anima est „pulchra per virtutis decorem, suavis per gratiam." [6]

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 8, 639: Κάλλος γὰρ ἄριστον . . . τὸ ψυχικόν, ὡς πολλάκις ἐπεσημηνάμην· ὅτ' ἂν ἡ κεκοσμημένη ψυχὴ ἁγίῳ Πνεύματι, καὶ τοῖς ἐκ τούτου ἐμπνεομένη φαιδρύσμασιν, δικαιοσύνῃ, φρονήσει, ἀνδρίᾳ, σωφροσύνῃ, φιλαγαθίᾳ τε καὶ αἰδοῖ, ἧς οὐδὲν εὐανθέστερον χρῶμα ἑώραται πώποτε.

[2] *Migne*, Patr. lat. 36, 704.

[3] Ibid. 33, 462. In vers. Vulg. hodierna Rom. 12, 2 ita sonat: „. . . *reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta*." Textus Graecus: . . . τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός, εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον.

[4] Ibid. 32, 796. [5] Ibid. 14, 532. [6] Ibid. 16, 1379.

§ 4.

De spirituali pulchritudine angelorum et beatorum in caelis exsistentium.

Postquam pulchrum spirituale exsistere hactenus demonstravimus tam ex pulchritudine virtutis quam ex pulchritudine animae humanae, altiorem gradum ascendamus quaerentes, num etiam spiritus puri, ut angeli Dei, pulchritudine sint donati.

I. Iam vero pulchritudo, quoniam notio transcendentalis est, certo etiam naturae angelicae competit. Adde, quod „pulchritudinis forma unitas est". Atqui natura angelica unitate excellit. Ergo eminet etiam pulchritudine. — Quam conclusionem corroborat sacra Scriptura, quae angelos Dei nonnisi pulchros ac speciosos depingit. Ita enim Dan. 3, 92 legimus illis tribus pueris iussu regis in fornacem missis apparuisse angelum, cuius species erat similis filio Dei. Nabuchodonosor enim rex ad ostium fornacis accedens et introspiciens ait: *„Ecce ego video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis filio Dei."* In libro quoque Tobiae c. 5, 5—6 angelus, qui iuniorem Tobiam ad Gabelum, in Rages civitate Medorum, proficiscentem comitatus est, iuvenis splendidus ac bonus fuisse describitur: *„Tunc egressus Tobias, invenit iuvenem splendidum. . . . Et ignorans, quod angelus Dei esset, salutavit eum, et dixit: Unde te habemus, bone iuvenis?"* [1] Item lib. 2 Macch. 3, 26 legimus Heliodorum, cum ad aes templi diripiendum venisset, repulsum esse a duobus angelis decoris atque speciosis: *„Alii etiam apparuerunt duo iuvenes, virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu."* Praeterea in Evangelio secundum Matthaeum c. 28, 2—3 aspectus angeli, qui super lapidem a se revolutum sedebat, sicut fulgur fuisse describitur, eiusque vestimentum sicut nix: *„Angelus enim Domini descendit de caelo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum; erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius sicut nix."* — Ecclesia quoque in Brev. Rom. die festo S. Laurentii martyris [2] mentionem facit angeli cuiusdam pulcherrimi, qui ante S. Laurentium sistens a Romano visus est: „Dixit Romanus ad beatum Laurentium: Video ante te iuvenem pulcherrimum, festina me baptizare."

---

[1] Graece alium textum atque alium legimus. Ita enim apud *Fritzsche*, qui lib. Tob. in numero Apocryph. habet: Καὶ ἐξῆλθεν καὶ εὗρεν Ῥαφαὴλ τὸν ἄγγελον ἑστηκότα ἀπέναντι αὐτοῦ. καὶ οὐκ ἔγνω, ὅτι ἄγγελος τοῦ θεοῦ ἐστιν, καὶ εἶπεν αὐτῷ· πόθεν εἶ, νεανίσκε; (Libri apocryphi V. T. rec. *Fritzsche*. Lipsiae 1871). Apud *Tischendorf* vero: Καὶ ἐπορεύθη ζητῆσαι ἄνθρωπον, καὶ εὗρε Ῥαφαήλ, ὃς ἦν ἄγγελος, καὶ οὐκ ᾔδει, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Εἰ δύναμαι πορευθῆναι κτλ. (Vetus Testamentum graece ed. *Tischendorf* ed. 5, tom. I. Lipsiae 1875.)

[2] Die X. Aug. II. Noct., 2. Antiph.

Unde S. Ioannes Chrysostomus Serm. 1 in Genes. pulchritudinem naturae angelicae generatim celebrans ait: „*In principio fecit Deus caelum et terram.* Cur non de angelis vel de archangelis loquitur nobis? Nam si ex creaturis creator conspicitur, multo magis ex illis nosci potuit. Pulchrum est caelum, sed non ita pulchrum ut angelus; splendidus sol, sed non ita splendidus ut archangelus.“ [1] Atqui angelus et archangelus sunt spiritus puri. Est ergo pulchritudo pure spiritualis.

II. Haud absimili ratione iudicandum est, si caelum beatorum consideramus, praesertim cum Patres Ecclesiae illum regnum, in quo beati habitant, pulcherrimum esse verbis disertis doceant. Atque S. Ioannes Chrysostomus quidem Homil. 55 (al. 56) in Matth. dicit: „Illo pergis, ubi nullus dolor, moeror nullus, sed ubi multum gaudium, et pax, et caritas, et laetitia, et deliciae: ubi vita aeterna, et gloria ineffabilis, et pulchritudo inenarrabilis.“ [2] Quibus omnino consentit S. Augustinus Serm. 243, c. 8: „Nihil indecorum erit ibi, summa pax erit, nihil discordans, nihil monstruosum, nihil quod offendat aspectum, in omnibus Deus laudabitur. Nam si nunc in ista infirmitate carnis et tenera operatione membrorum apparet tanta corporis pulchritudo, quae illicit libidinosos, et ad quaerendum excitat sive studiosos sive curiosos; et si inveniatur in corpore ratio numerorum, non alius artifex horum, alius invenitur esse caelorum, sed idem ipse creator infimorum atque summorum: quanto magis ibi, ubi erit libido nulla, nulla corruptio, nulla deformis pravitas, nulla aerumnosa necessitas, sed interminata aeternitas, pulchra veritas, summa felicitas.“ [3] — Quam sententiam confirmans Scriptura sacra caelum beatorum appellat „regnum decoris“, Graece τὸ βασίλειον τῆς εὐπρεπείας. Ait enim Sap. 5, 16—17: „*Iusti autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei* (τὸ διάδημα τοῦ κάλλους) *de manu Domini.*“ Quapropter S. Paulus apostolus, cum ad tertium caelum raptus pulchritudinem illic conspexisset, in terram reverti aegre ferebat, S. Ioanne Chrysostomo lib. 1 De compunct. ad Demetr. testante: „Cum enim semel oculos animae in caelum convertisset, et caelestium pulchritudine captus esset, in terram reverti non sustinebat.“ [4] Nam idem Chryso-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 54, 582: . . . Καλὸς ὁ οὐρανός, ἀλλ' οὐχ οὕτω καλός, ὡς ἄγγελος· σφαιδρὸς ὁ ἥλιος, ἀλλ' οὐχ οὕτω σφαιδρός, ὡς ἀρχάγγελος.

[2] Ibid. 58, 540: Καὶ ἀπελεύσῃ ἔνθα „Ἀπέδρα ὀδύνη καὶ λύπη“· ἔνθα πολλὴ ἡ χαρά, καὶ ἡ εἰρήνη, καὶ ἡ ἀγάπη, καὶ ἡ τρυφή, καὶ ἡ εὐφροσύνη, ἔνθα ζωὴ αἰώνιος, καὶ δόξα ἄῤῥητος, καὶ κάλλος ἄφραστον.

[3] *Migne*, Patr. lat. 38, 1146.

[4] *Migne*, Patr. gr. 47, 405: Καθάπαξ γὰρ τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς στρέψας εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ τὸ ἐκεῖ κάλλος καταπλαγείς, οὐκ ἠνέσχετο πρὸς τὴν γῆν ὑποστρέψαι πάλιν.

stomus De poenit. homil. 7 ait: „Pulchra, Domine, promissa tua: pulchrum quod exspectatur regnum tuum.“ [1] — Atqui caelum beatorum maxime consistit in visione Dei beatifica, quae certe est aliquid spirituale. Est ergo pulchritudo spiritualis seu intelligibilis.

Itaque non solum ex pulchritudine virtutum, neque solum ex pulchritudine animae humanae, sed etiam ex pulchritudine angelorum et beatorum in caelis exsistentium dilucide apparet, pulchritudinem spiritualem seu intelligibilem exsistere. Restat, ut inquiramus, sitne spiritualis pulchritudo pulchritudine corporea praestantior.

CAPUT III.

An spiritualis pulchritudo sit praestantior pulchritudine corporea.

Nemo cordatus est qui serio dubitet, quin spiritualis pulchritudo praestantior sit quam pulchritudo corporalis. Rem ita se habere iterum atque iterum colligimus ex percelebri S. Augustini definitione: „Omnis pulchritudinis forma unitas est.“ Natura enim spiritualis, quia partibus caret, unitatem multo magis prae se fert quam natura corporea, utpote quae ex partibus constet. Ergo natura spiritualis maioris pulchritudinis est quam natura corporea. — Iam Plato spiritualem pulchritudinem intellexit pulchritudini corporeae longe antecellere. Ait enim in „Convivio“: „Oportet ... pulchritudinem in animis maioris aestimare quam quae in corpore inest.“ [2] De Platonicis vero S. Augustinus (lib. 8 De civ. Dei c. 6) haec animadvertit: „Consideraverunt, quidquid est, vel corpus esse, vel vitam; meliusque aliquid vitam esse quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitae. Proinde intelligibilem speciem sensibili praetulerunt.“ [3] Sed, quod caput est, audiamus ipsos Patres Ecclesiae, quid hac de re senserint.

I. Patres Graecos pulchritudinem spiritualem anteposuisse pulchritudini corporeae non multis opus est dicere. Quam sententiam Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 1 apto illustrat exemplo: „Samueli prophetae“, inquit, „cum mitteretur, ut ungeret in regem unum ex filiis Iesse, et vidisset eius filium natu maximum, pulchrum et magnum, quando eo laetatus Samuel chrisma protulit, *dixit ei Dominus: Ne respexeris ad aspectum eius, et altitudinem magnitudinis eius, quoniam repuli eum. Homo enim respiciet ad oculos, et Dominus ad cor* (1 Reg. 16, 7). Et non unxit eum qui erat pulcher corpore, sed eum

[1] ***Migne***, Patr. gr. 49, 335: Καλαί σου, ὦ Δέσποτα, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι· καλή σου ἡ προσδοκωμένη βασιλεία.

[2] ***Astius***, Plato III, 517: Δεῖ ... τὸ ἐν ψυχαῖς κάλλος τιμιώτερον ἡγήσασθαι τοῦ ἐν τῷ σώματι.

[3] ***Migne***, Patr. lat. 41, 231.

qui pulcher erat animo... Ergo naturalem corporis pulchritudinem minus quam pulchritudinem animae aestimat Dominus." [1] Cum autem aestimatio Domini vera sit oportet, sequitur ut spiritualis pulchritudo corporalem longe superet. — Alio exemplo utitur S. Basilius Homil. 3 in Hexaëm. dicens: „Castarum pulchritudo meretricia praestabilior est." [2] Quibus verbis significat se pulchritudinem e virtute castitatis efflorescentem maioris aestimare quam illam, quae in lineamentis corporis consistit atque pigmentis. Rectissime igitur S. Gregorius Nyssenus Homil. 1 in Cant. notat: Ecclesiastes „cuilibet, quod sensu comprehenditur, praefert naturalem animae nostrae motionem ad pulchritudinem, quae non cadit sub aspectum" [3], certe nulla alia causa impulsus, quam quod pulchritudo intelligibilis sensibilem longe superet. Neque aliter sentit S. Ioannes Chrysostomus, cum Paraen. ad Theodor. laps. I. scribit: „Pulchritudinem quidem corpoream (τὸ κάλλος τὸ σωματικόν) intra naturae limites conclusit Deus, animae vero decor ab illa necessitate et servitute liberatus est, quippe sane qui multo praestantior sit corporea formositate; in nobis autem totus situs est et nutu Dei. Humanus enim cum sit Dominus noster, etiam hac re maxime nostrum honoravit genus, ut quae minora sunt neque magnum quidquam nobis contribuunt, sed quomodo cadant nihil refert, ea naturae necessitati addixerit; eorum autem quae vere pulchra sunt, nos opifices esse concesserit. Etenim si corporeae pulchritudinis nos dominos reddidisset, superfluam sollicitudinem suscepissemus, atque in rebus infructuosis totum tempus impendissemus, animae cura prorsus neglecta." [4] Et paucis intermissis: „Qua de causa Deus, adempta infelici cura, melioris rei autem nobis indidit; ita ut qui corpus ex deformi elegans reddere non potest, is possit animam, etiamsi in extremam deformitatem deciderit, in summam

[1] *Migne,* Patr. gr. 8, 571: Τῷ Σαμουὴλ τῷ προφήτῃ, ὁπότε πέμπεται ἕνα χρῖσαι τῶν υἱῶν Ἰεσσαὶ εἰς βασιλέα, καὶ τὸν πρεσβύτατον τῶν παίδων αὐτοῦ, καλὸν καὶ μέγαν ἰδόντι, ὁπότε τὸ χρῖσμα προέλαβεν, ὁ Σαμουὴλ ἡσθεὶς ἐπ' αὐτῷ, „εἶπε", φησίν, „ὁ Κύριος αὐτῷ· Μὴ ἐπιβλέψῃς εἰς τὴν ὄψιν αὐτοῦ καὶ τὸ ὕψος τοῦ μεγέθους αὐτοῦ, ὅτι ἀπῶσμαι αὐτόν. Ἄνθρωπος μὲν γὰρ εἰς ὀφθαλμοὺς ὄψεται, καὶ Κύριος εἰς καρδίαν". Καὶ οὐκ ἔχρισε τὸν καλὸν τὸ σῶμα, ἀλλὰ τὸν καλὸν τὴν ψυχήν ... οὖν τὸ φυσικὸν τοῦ σώματος κάλλος ἔλαττον τοῦ ψυχικοῦ λογίζεται Κύριος.

[2] Ibid. 29, 74: Τὸ ἐν ταῖς σώφροσι κάλλος τοῦ ἑταιρικοῦ προτιμότερον.

[3] Ibid. 44, 770: ὑπερτίθησι παντὸς τοῦ δι' αἰσθήσεως καταλαμβανομένου τὴν ἐπιφυτικὴν τῆς ψυχῆς ἡμῶν κίνησιν ἐπὶ τὸ ἀόρατον κάλλος.

[4] Ibid. 47, 295: Τὸ μὲν γὰρ κάλλος τὸ σωματικὸν εἴσω τῶν τῆς φύσεως ὅρων συνέκλεισεν ὁ Θεός, ἡ δὲ τῆς ψυχῆς ὥρα τῆς μὲν ἐκεῖθεν ἀνάγκης καὶ δουλείας ἀπήλλακται, ἅτε δὴ πολλῷ βελτίων οὖσα τῆς σωματικῆς εὐμορφίας· ἐφ' ἡμῖν δὲ ἅπασα κεῖται καὶ τῇ ῥοπῇ τοῦ Θεοῦ. Φιλάνθρωπος γὰρ ὢν ὁ Δεσπότης ἡμῶν, καὶ τούτῳ μάλιστα τὸ ἡμέτερον ἐτίμησε γένος, τὰ μὲν ἐλάττονα καὶ οὐδὲν μέγα συντελοῦντα ἡμῖν, ἀλλ' ὅπως ἂν πέσῃ ἀδιάφορα ὄντα, τῇ τῆς φύσεως ἐπιτρέψας ἀνάγκῃ, τῶν δὲ ὄντως καλῶν ἡμᾶς ποιήσας εἶναι δημιουργούς. Εἰ μὲν γὰρ καὶ τοῦ σωματικοῦ κάλλους ἡμᾶς ἐποίησεν εἶναι κυρίους, καὶ φροντίδα περιττὴν ἐδεξάμεθα ἄν, καὶ ἐν τοῖς οὐδὲν ὠφελοῦσι τὸν ἅπαντα ἂν ἀπησχολήσαμεν χρόνον, καὶ τῆς ψυχῆς σφόδρα ἂν ἠμελήσαμεν. Latinam versionem emendavimus.

pulchritudinem reducere, adeoque amabilem iucundamque reddere, ut non probi tantum viri, sed etiam omnium Rex et Deus in eius concupiscentiam veniat: quemadmodum et psalmista de illa pulchritudine loquitur: *Et concupiscet Rex decorem tuum* (Ps. 44, 12)." [1] Proinde paulo post: „Nam si in corpore pulchritudo multorum animos ita percellit et excitat, quando ea in anima refulserit, quid huiusmodi speciei ac pulchritudinis simile fuerit? . . . Ita ut, si consideres quae pulchritudo insit oculis, quae recte compositis naribus, quae corpori et genis, nihil aliud esse corporis pulchritudinem dicas, quam sepulcrum dealbatum: tanta nempe intus sorde plenum est. . . . At pulchritudo tua non huiusmodi erat, sed ita praestantior illa, ut caeli terram antecellunt, immo caelis ipsis multo splendidior et melior." [2] Unde idem Chrysostomus Homil. 17 ad pop. Antioch. monet: „Ne ab exteriori formositate, sed a mentis pulchritudine omnes beatos censeamus." [3]

II. Ut Patres Graeci, ita etiam Latini pulchritudinem spiritualem censent nobiliorem esse pulchritudine corporea. S. Ambrosius enim De bon. mort. c. 7 docet: „Anima est quae utitur, corpus quod usui est; ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in ministerio: aliud quod sumus, aliud quod nostrum est. Si quis animae pulchritudinem diligit, nos diligit; si quis corporis decorem diligit, non ipsum hominem, sed carnis diligit pulchritudinem, quae tamen cito marcescit et defluit." [4] Quam ob rem idem Ambrosius lib. 1 De virginib. c. 6 virgines adhortatur, ut pulchritudinem animae magis colant amentque quam pulchritudinem corporis: „Habetis sane et vos vestrae militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma, non corporis: quam nulla exstinguit aetas, nulla eripere mors potest, nulla aegritudo corrumpere. Solus formae arbiter petatur Deus, qui etiam in corpore minus pulchro diligat animas pulchriores." [5] S. Augustinus vero, ut spiritualis pulchritudinis prae-

[1] *Migne*, Patr. gr. 47, 296: Διὰ τοῦτο ταύτης ἡμᾶς τῆς κακοσχολίας ἀπαλλάξας ὁ Θεός, τοῦ βελτίονος ἡμῖν τὴν τέχνην ἐνέθηκε· καὶ ὁ τὸ σῶμα μὴ δυνάμενος εὔμορφον ποιῆσαι ἐξ εἰδεχθοῦς· οὗτος τὴν ψυχήν, κἂν εἰς ἐσχάτην δυσειδίαν κατενεχθῇ, εἰς αὐτὴν τῆς ὥρας ἀναγαγεῖν δυνήσεται κορυφήν, καὶ οὕτως ἐπέραστον ποιῆσαι καὶ ποθεινήν, ὥστε μὴ μόνον τοὺς ἄνδρας τοὺς ἀγαθοὺς εἰς ἐπιθυμίαν αὐτῆς ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸν τῶν ἁπάντων βασιλέα καὶ Θεόν, καθὼς καὶ ὁ Ψαλμῳδὸς περὶ τούτου τοῦ κάλλους διαλεγόμενος ἔλεγε· „Καὶ ἐπιθυμήσει ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου."

[2] Ibid. 47, 297: Εἰ γὰρ ἐπὶ τοῦ σώματος ὂν τὸ κάλλος οὕτω τὰς τῶν πολλῶν ἐκπλήττει ψυχὰς καὶ ἀναπτεροῖ, ὅταν ἐν τῇ ψυχῇ τοῦτο ἀποστίλβῃ, τί ἴσον τοῦ οὕτω καλοῦ καὶ ὡραίου γένοιτ' ἄν; . . . ὥστε, ἂν ἐννοήσῃς τί μὲν τῶν καλῶν ἔνδον ἀπόκειται ὀφθαλμῶν, τί δὲ τῆς εὐθείας ῥινός, τί δὲ καὶ τοῦ στόματος καὶ τῶν παρειῶν, οὐδὲν ἕτερον ἢ τάφον κεκονιαμένον εἶναι φήσεις τοῦ σώματος τὴν εὐμορφίαν· τοσαύτης τὰ ἔνδον ἀκαθαρσίας ἐστὶ μεστά . . . Ἀλλ' οὐ τό γε σὸν κάλλος τοιοῦτον ἦν, ἀλλ' ὅσον τῆς γῆς βελτίων ὁ οὐρανός· μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ τούτου λαμπρότερόν τε καὶ ἄμεινον.

[3] Ibid. 49, 179: Μὴ ἀπὸ τῆς ἔξωθεν εὐμορφίας, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ κατὰ τὴν διάνοιαν κάλλους μακαρίζωμεν ἅπαντας.

[4] *Migne*, Patr. lat. 14, 553. [5] Ibid. 16, 197.

stantiam demonstret, merito exemplum affert Iosephi in Aegyptum venditi Serm. 343, n. 6: (Hunc) „Ioseph sancta Scriptura testatur, quem tentavit impudica: amavit pulchrum non casta, sed perversa mente, ubi oculos non habebat, ubi videretur spiritualis et invisibilis pulchritudo; quem amabat pulchrum, nolebat castum. . . . Pulchrior erat intus quam foris, pulchrior in cordis luce quam in carnis cute; quo illius feminae oculi non penetrabant, ibi ipse sua pulchritudine fruebatur.“ [1] Et generatim Epist. (3) ad Nebrid. docet: „Unde constamus? Ex animo et corpore. Quid horum melius? Videlicet animus. Quid laudant in corpore? Nihil aliud video quam pulchritudinem. Quid est corporis pulchritudo? Congruentia partium cum quadam coloris suavitate. Haec forma ubi vera melior, an ubi falsa? Quis dubitet, ubi vera est, esse meliorem? Ubi ergo vera est? In animo scilicet. Animus igitur magis amandus est quam corpus“ [2]; nimirum, quia forma et pulchritudo animi melior quam corporis est. Immo haec cum illa comparata quasi nulla esse videtur aut foeda, ut idem Augustinus De ver. relig. c. 40 ait: „Interior (homo) exteriorem respicit, et in sua comparatione foedum videt, in proprio tamen genere pulchrum et corporum convenientia laetantem.“ [3]

Quibus omnibus argumentis et rationis et auctoritatis Patrum Ecclesiae satis superque probatum esse putamus, spiritualem pulchritudinem non tantum exsistere, sed etiam praestantiorem esse pulchritudine corporea.

---

[1] *Migne,* Patr. lat. 39, 1509. [2] Ibid. 33, 65.

[3] Ibid. 34, 155. Item cf. De mus. lib. 6, c. 14: „Etiam corpus creatura Dei est, et specie sua quamvis infima decoratur, sed prae animae dignitate contemnitur; sicut auri dignitas etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit.“ (*Migne,* Patr. lat. 32, 1187.)

Liber secundus.

De pulchritudine Dei.

„Ita **pulcherrimus** Deus est confitendus,
ut neque intra sententiam sit intelligendi,
neque extra intelligentiam sentiendi."
S. Hilarius, De Trinit. lib. 1, n. 7.

„Καλὸν εἶναι τὸ Θεῖον ὡμολόγηται τῇ φύσει."
S. Gregorius Nyssenus, De vit. Moys.

Postquam libro praecedenti abunde ostendimus, quid sit et quomodo dividatur pulchritudo generatim spectata: ad ipsam tandem pervenimus **pulchritudinem divinam**, cuius gratia totum hoc opus elaborandum suscepimus. Neque parvum tamen periculum subimus, cum hanc pulchritudinem infinitam „immaterialibus et intremulis mentis oculis"[1] contemplari et, quantum fieri potest, perscrutari audeamus, illius memores dicti Prov. 25, 27: *„Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria."*[2] Iam vero pulchritudo Dei sub duplici praecipue respectu considerari potest: primum in sua ipsius exsistentia et natura, deinde quatenus fons sit atque causa omnis pulchritudinis creatae. Quocirca libro secundo tractabimus

I° de pulchritudine Dei in se spectata,
II° de pulchritudine Dei relata ad creaturas.

Pars prima.

De pulchritudine Dei in se spectata.

Priusquam de pulchritudine Dei in se spectata disseramus, exsistentia talis pulchritudinis accurate probanda est. Atqui divinam naturam, quae verissime exsistit, pulchram esse iam ex eo sequi videtur, quod natura quaelibet eo pulchrior sit necesse est, quo altiorem essendi gradum teneat. Nam si constat naturam **corpoream** in suo genere pulchram esse, licet pulchritudine infima et extrema; naturam

[1] Dionysius Pseudo-Areopagita, De caelest. hierarch. c. 1, § 2: ἀΰλοις καὶ ἀτρέμεσι νοὸς ὀφθαλμοῖς. (*Migne*, Patr. gr. 3, 122.)
[2] Textus Masor.: וְחֵקֶר כְּבוֹדָם כָּבוֹד, id est: „Et scrutatio gloriae eorum (?) gloria est"; qui locus certe est corruptus.

vero humanam, praesertim quoad animam, in altiore gradu pulchri constitutam esse; naturam denique angelicam atque beatam maiore adhuc pollere pulchritudine: iam a priori consequi videtur naturam divinam, quia summum essendi gradum tenet, etiam summa pulchritudine potiri. — At enim specialia argumenta, quibus rem sic se habere probabimus, tum e ratione petuntur, tum e sacra Scriptura, tum e documentis Patrum Ecclesiae. Incipiamus ab argumentis rationis.

CAPUT I.

Quomodo ex pulchritudinis definitione Deum pulchrum esse probetur.

S. Augustinus naturam pulchritudinis supra (Lib. I, Parte I, c. 3, § 5) definivit: „Omnis pulchritudinis forma unitas est.“ Qua ex definitione hanc derivavimus alteram: Pulchritudo est multitudinis debitae debita unitas, quae visa placet. Cuius definitionis partes singulae, antequam eas Deo convenire demonstramus, paululum explicandae sunt.

Ac primum quidem illa verba *multitudinis debitae debita unitas* dici possunt definitionis pars obiectiva, quoniam quid sit pulchritudo, in sese aperitur. Additum vero, *quae visa placet,* subiectivam partem definitionis exhibet, quia indicat relationem, quam pulchritudo ad utramque animae vim et cognoscitivam et appetitivam habet. — At terminus intermedius *multitudinis debitae* maiore indiget declaratione. Perspicuum enim est vocem *multitudinis,* si ad Deum referatur, non eodem sensu accipi posse atque in rebus corporeis, licet in ipso Deo multitudo quaedam sit, nempe infinita plenitudo essendi necnon Trinitas personarum in unitate essentiae. Quare S. Thomas Aquinas (S. th. 1, quaest. 30, art. 3, ad 1) in divinis multitudinem quidem esse censet, verum non aliam nisi quae sit transcendens: „Unum“, inquit, „cum sit de transcendentibus, est communius quam substantia et quam relatio, et similiter multitudo. Unde potest stare in divinis et pro substantia et pro relatione, secundum quod competit his quibus adiungitur.“ Et rursus (ibid. ad 2): „Multitudo quae ponit aliquid in rebus creatis, est species quantitatis, quae non transsumitur in divinam praedicationem, sed tantum multitudo transcendens, quae non addit supra ea de quibus dicitur, nisi indivisionem circa singula. Et talis multitudo dicitur de Deo.“ [1] Quibus praemissis dicere nobis licet illam pulchritudinis definitionem et quoad partem subiectivam et quoad partem obiectivam perfectissime quadrare in Deum.

[1] *Franzelin,* De Deo uno (Rom. 1883), sect. III, c. 3, thes. 30, ut vocabulum *multitudinis* evitet, ita definit: „Pulchritudo generatim constitui videtur in multiplicitatis unitate.“ Quam vocem *multiplicitatis* mutuatus esse videtur a S. Bonaventura, qui Breviloqu. Parte I, 6 tractat „De unitate divinae naturae in multiplicitate appropriatorum.“

I. Quod ad definitionis partem attinet obiectivam, quae exhibetur verbis: Pulchritudo est *multitudinis debitae debita unitas*, dicendum est

1. multitudinem debitam, „secundum quod est transcendens", Deo perfectissime convenire. Deus enim in essentia infinitus est et maximus, immensus et aeternus. Deus sensu theologico est „omnia". Deus est „multitudo" atque plenitudo omnis essentiae, vel ut S. Thomas (S. th. 1, quaest. 11, art. 3, c) ait, „Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi." — Omnes insuper nobilitates ac perfectiones, quae aut in mundo videri, aut sola mente excogitari possunt, oportet in Deo praeexsistere secundum eminentiorem rationem, infinite, sine numero, absque modo, quin tamen in hac summa pluralitate nobilitatum perfectionumque divinarum ulla confusio sit aut ulla perturbatio, sed harmonia maxima, summus ordo, unitas perfecta. Unde S. Bernardus De consid. lib. 5, c. 7 rectissime docet: „Multa dicuntur esse in Deo, et quidem sane catholiceque, sed multa unum."[1]

2. Deo autem Optimo Maximo non tantum „multitudo debita", sed etiam „debita unitas" competit, cum Deus summe sit unus. „*Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est*" (Deut. 6, 4)[2]. Hinc S. Augustinus lib. 6 De mus. c. 14 interrogat: „Quid ergo, Deum amare difficile est, quem in quantum potest adhuc saucia et sordida (anima) cogitans, nihil in eo inaequale, nihil sui dissimile, nihil disclusum locis, nihil variatum tempore suspicatur?"[3] Et brevius De ver. relig. c. 11: Deus „omnis concordiae caput est."[4] Nec minus egregie sentit Clemens Alexandrinus, cum lib. 1 Paedag. c. 8 dicit: „Unum autem est Deus, et ultra unum, et supra ipsam unitatem."[5] Quin immo Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 1, § 1: Deus, inquit, „est illa supersubstantialis infinitas, et supra mentes illa supra mentem unitas."[6] — Quae argumenta in syllogismi formam redigere ita licet: Pulchritudo (quoad partem obiectivam) est multitudinis debitae debita unitas. Atqui Deo et *multitudo debita* et *debita unitas* perfectissime conveniunt. Ergo Deus perfectissime est pulcher.

II. Neque solum elementa definitionis obiectiva, sed etiam quae dicuntur subiectiva, nimirum verba: *quae visa placet*, de Deo sensu plenissimo praedicari possunt. Ut enim pulchritudo generatim, ita etiam Deus utramque vim et cognoscitivam et appetitivam pro summo termino habet.

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 182, 797.

[2] שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהוָה אֱלוֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד׃

[3] *Migne*, Patr. lat. 32, 1186. [4] Ibid. 34, 131.

[5] *Migne*, Patr. gr. 8, 335: Ἓν δὲ ὁ Θεός, καὶ ἐπέκεινα τοῦ ἑνός, καὶ ὑπὲρ αὐτὴν μονάδα.

[6] Ibid. 3, 587: Τῶν οὐσιῶν ἡ ὑπερούσιος ἀοριστία· καὶ τῶν νοῶν, ἡ ὑπὲρ νοῦν ἑνότης.

1. Deus enim, licet Exod. 33, 18 et 20 Moysi petenti: *„Ostende mihi gloriam tuam“* (אֶת־כְּבֹדֶךָ), respondeat: *„Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet“*; et licet Paulus apostolus 1 Tim. 6, 16 scribat: Deus *„lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest“* — numen tamen divinum omnium maxime est intelligibile, omnique intelligentiae aptatissimum, quia scriptum est: *„Spiritus est Deus“* (Io. 4, 24); et iterum: Deus est *„veritas“* (Io. 14, 6) et *„lux mundi“* (Io. 8, 12) et *„lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum“* (Io. 1, 9). Nulla igitur intelligentia est sive angelica sive humana, quae Deum cognoscere non possit, ita ut S. Paulus Rom. 1, 20 Gentes, qui illum non cognoverunt, minime excuset: *„Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.“* Deus porro, si nobis in „via“ degentibus tam intelligibilis est, ut is qui eum non cognoscit, inexcusabilis dicatur; quanto visibilior nobis erit, si ad „patriam“ pervenerimus? Unde idem apostolus 1 Cor. 13, 12 scribit: *„Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.“* *„Accedite“* ergo *„ad eum“*, inquit Psalmista 33, 6, *„et illuminamini“*.

2. Neque solum ad cognoscitivam vim Deus relationem maximam habet, sed etiam ad vim appetitivam. Nam, ut syllogismo utamur, „bonum est quod omnia appetunt“ [1]. Atqui Deus bonus est, et quidem κατ᾽ ἐξοχήν, cum scriptum sit Luc. 18, 19: *„Nemo bonus nisi solus Deus“*; et Ps. 117, 1: *„Confitemini Domino, quoniam bonus“* (כִּי־טוֹב) [2]; et iterum Ps. 30, 20: *„Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine“* (מָה רַב טוּבְךָ) [3]. Ergo Deus, quoniam bonus est κατ᾽ ἐξοχήν, ab omnibus maxime est appetendus, sive sponte sive cum necessitate. — Quod argumentum si cum praecedenti apte connectimus, ita syllogistice concludere possumus: Pulchrum est id, quod visum placet, h. e. quod vim cognoscitivam et appetitivam simul respicit. Atqui Deus, ut probavimus, utramque facultatem terminat, sicuti etiam Ps. 4, 7 scriptum est: *„Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti laetitiam in corde meo.“* [4] Ergo Deus est pulcher.

CAPUT II.

Quomodo ex pulchritudine mundi Deum pulchrum esse probetur.

Omnibus iis, qui huius mundi pulchritudinem diligentius contemplantur, tria occurrunt, quae creatorem pulchrum esse demonstrent.

---

[1] *Aristoteles,* Ethic. Nic. A, 1 in princip: τἀγαθόν, οὗ πάντ᾽ ἐφίεται (ed. *Imm. Bekkeri* II [Berolini 1831], 1094).

[2] Hebr. Ps. 118, 1. [3] Hebr. Ps. 31, 20.

[4] Hebr. Ps. 4, 7b et 8a נְסָה־עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ יְהוָה׃ נָתַתָּה שִׂמְחָה בְלִבִּי

Nam **primum** quidem e pulchritudine operis pulchritudo opificis per consequentiam cognosci potest. **Deinde** a pulchritudine mutabili et contingenti ad pulchritudinem immutabilem et necessariam ascendendum est. **Denique** a pulchritudine operum arte factorum ad ipsam artis legem consequenter pervenimus aeternam ac pulcherrimam, quae lex in Deo sit necesse est. — Primum argumentum maiorem vim probandi habet quam duo ultima, quae ad illud primum tandem revocari possunt.

§ 1.
E pulchritudine creaturarum pulchritudo creatoris consequenter cognoscitur.

I. Istam universitatem rerum valde pulchram esse omnes populi aperte confitentur. Unde Graeci mundum rectissime appellant κόσμον, i. e. ornatum. Cui loquendi usui consentit sacra Scriptura, cum Gen. 1, 31 secundum LXX cuncta a Deo pulchra creata esse testatur: Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς τὰ πάντα, ὅσα ἐποίησε, καὶ ἰδού, καλὰ λίαν; Vulgata habet: „et erant valde bona."[1] Et rursus Gen. 2, 1: *„Igitur perfecti sunt caeli et terra, et omnis ornatus* (κόσμος) *eorum."*[2] — Iam vero haec pulchritudo mundi certe aliqua nobilitas est ac perfectio. Quidquid autem nobilitatis perfectionisque est in effectu, oportet etiam inveniri in causa efficienti. Quoniam ergo Deus prima causa pulchritudinis mundi est, oportet etiam pulchritudinem in ipso Deo praeexsistere secundum modum eminentiorem. Ergo Deus eminentissime est pulcher.

Quam veritatem iam Plato lumine rationis cognovit. In „Convivio" enim Diotima, mulier illa Mantinensis, Socratem interrogans: „Dic mihi", inquit, „nonne omnes deos dicis beatos esse et pulchros? an audebis quemquam negare pulchrum et beatum deorum esse?" Socrates: „At mehercule, inquam, non ego." Diotima: „Beatos autem nonne dicis eos qui bona et pulchra possident?" Socrates: „Sane quidem."[3]

II. Id quod ratione probavimus, confirmat rursus sacra Scriptura: namque Sap. 13, 1—5 in gentes invehitur, quippe quae e magnitudine et pulchritudine creaturarum intelligere non potuerint magnitudinem et pulchritudinem creatoris: ***„Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut***

---

[1] וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת־כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד

[2] וְכָל־צְבָאָם

[3] *Astius,* Plato III, 499: Λέγε γάρ μοι, οὐ πάντας θεοὺς φῂς εὐδαίμονας εἶναι καὶ καλούς; ἢ τολμήσαις ἄν τινα μὴ φάναι καλόν τε καὶ εὐδαίμονα θεῶν εἶναι; — Σω.: Μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἔφην. — Δι.: Εὐδαίμονας δὲ δὴ λέγεις οὐ τοὺς τἀγαθὰ καὶ καλὰ κεκτημένους; — Σω.: Πάνυ γε.

gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum, deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator haec omnia constituit. Aut, si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui haec fecit, fortior est illis: a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri." Sapiens igitur pulchritudinem creatoris e pulchritudine mundi creati cognoscibiliter videri posse duobus docet argumentis, quorum alterum quidem his exprimitur verbis: „*Quorum si specie* (τῇ καλλονῇ) *delectati deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator* (ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης) *haec omnia constituit*"; alterum vero iis exhibetur, quae sequuntur: „*A magnitudine enim speciei* (καλλονῆς) *et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*", vel potius secundum LXX: ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων, id est, *ex magnitudine et specie creaturarum* etc. Ita enim Patres Graeci legebant, ut subinde videbimus[1]. — Hunc Sapientiae locum quasi classicum S. Paulus apostolus in mente habuisse videtur, cum Rom. 1, 20 scriberet: „*Invisibilia enim ipsius* (Dei) *a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas.*"

III. Patres Ecclesiae argumenta sua, quibus Deum pulchrum esse a specie et pulchritudine huius mundi concludunt, tum e Sap. 13, 3—5, tum e Rom. 1, 20 haurire solent.

1. Ita e. gr. Origenes, ut a Graecis exordiar, in opere Περὶ Ἀρχῶν (interprete Rufino) docet: „Quasi radii quidam sunt Dei naturae, opera divinae providentiae et ars universitatis huius, ad comparationem ipsius substantiae ac naturae. Quia ergo mens nostra ipsum per seipsam Deum sicut est non potest intueri, ex pulchritudine operum et decore creaturarum parentem universitatis intelligit."[2] Praeclarius est illud S. Basilii Homil. 1 in Hexaëm. n. 11: „*Fecit Deus caelum et terram.* Artifici optimo pro his quae sapienter et industrie peracta sunt, gloriam demus, et ex pulchritudine eorum quae videntur, eum qui omnem pulchritudinem superat, mente concipiamus."[3] Et Homil. 3 in idem Hexaëm. n. 10: „Deus autem . . . tribuat vobis in omnibus suae veritatis intelligentiam, ut per visibilia invisibilem cognoscatis, atque *ex magnitudine et pulchritudine creaturarum* decentem de conditore nostro opinionem concipiatis. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per*

[1] *O. F. Fritzsche*, Libri apocryphi Veteris Testamenti graece (Lipsiae 1871) p. 548: ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων. *Const. de Tischendorf* autem, Vetus Testamentum graece ed. 5, II (Lipsiae 1875), 162: ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων.

[2] *Migne*, Patr. gr. 11, 124.

[3] *Migne*, Patr. gr. 29, 27: . . . Τὸν ἀριστοτέχνην τῶν σοφῶς καὶ ἐντέχνως γενομένων δοξάσωμεν, καὶ ἐκ τοῦ κάλλους τῶν ὁρωμένων τὸν ὑπέρκαλον ἐννοώμεθα.

ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas." [1] Imprimis autem S. Gregorius Nyssenus eadem argumentatione etiam atque etiam utitur. Ait enim De hom. opif. c. 2: Deus „designat in mundo hominem, qui miraculorum in isto partim spectator sit, partim dominus, ut ex fruitione quidem intelligentiam eius qui sumptus praebet concipiat, ex pulchritudine vero atque magnitudine rerum visibilium potestatem creatoris et inenarrabilem et superrationabilem investiget." [2] Et rursus Homil. 8 in Eccl.: „Omnia ergo, quae in aevo facta sunt, dedit Deus cordi humano ad bonum, ut ex magnitudine et pulchritudine creaturarum, ex ipsis contemplemur eum qui fecit." [3] Et iterum Homil. 13 in Cant.: „Is qui sensilem aspexit mundum, et lucentem in ipsa rerum pulchritudine sapientiam consideravit, ratiocinando aestimat per res visibiles invisibilem illam pulchritudinem et fontem sapientiae." [4] „Solet enim, ut Sapientia inquit, *ex magnitudine et pulchritudine creaturarum* etiam ea quae in occulto est pulchritudo aestimari." [5]

Porro, quemadmodum Sapientia omnes gentes, ita S. Gregorius Nyssenus lib. 5 contra Eunom. speciatim Graecos, quoniam a pulchritudine creaturarum pulchritudinem creatoris intelligere non potuerunt, vehementer vituperat: „Postquam enim (Graeci) imperita et pusilla cogitatione ac sententia in creaturae pulchritudines mirabiliter affecti sunt, hac rerum apparentium admiratione non tamquam manuductrice atque viaductrice ad pulchritudinis superiacentis cognitionem usi sunt, sed usque ad ea quae comprehendi possunt, suam intelligentiam admiserunt." [6] Item S. Ioannes Chrysostomus in eos in-

[1] *Migne*, Patr. gr. 29, 78: Ὁ δὲ Θεὸς . . . δῴη ὑμῖν σύνεσιν ἐν παντὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀληθείας, ἵν' ἐκ τῶν ὁρωμένων τὸν ἀόρατον ἐννοῆτε, καὶ ἐκ μεγέθους καὶ καλλονῆς τῶν κτισμάτων τὴν πρέπουσαν δόξαν περὶ τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς ἀναλαμβάνητε. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ κτλ.

[2] Ibid. 44, 134: Ἀναδείκνυσιν ἐν τῷ κόσμῳ τὸν ἄνθρωπον, τῶν ἐν τούτῳ θαυμάτων, τῶν μὲν θεατὴν ἐσόμενον, τῶν δὲ κύριον, ὡς διὰ μὲν τῆς ἀπολαύσεως τὴν σύνεσιν τοῦ χορηγοῦντος ἔχειν, διὰ δὲ τοῦ κάλλους τε καὶ μεγέθους τῶν ὁρωμένων τὴν ἄρρητόν τε καὶ ὑπὲρ λόγον τοῦ πεποιηκότος δύναμιν ἀνιχνεύειν. Versionem Latinam emendavimus.

[3] Ibid. 44, 754: Πάντα οὖν ὅσα ἐν τῷ αἰῶνι γέγονεν, ἔδωκε τῇ ἀνθρωπίνῃ καρδίᾳ ἐπ' ἀγαθῷ ὁ Θεός, ὥστε διὰ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναθεωρεῖν δι' αὐτῶν τὸν ποιήσαντα.

[4] Ibid. 44, 1050: Ὁ πρὸς τὸν αἰσθητὸν ἀπιδὼν κόσμον, καὶ τὴν ἐμφαινομένην τῷ κάλλει τῶν ὄντων σοφίαν κατανοήσας, ἀναλογίζεται διὰ τῶν ὁρωμένων τὸ ἀόρατον κάλλος καὶ τὴν πηγὴν τῆς σοφίας.

[5] Ibid. 46, 762: Οἶδεν γάρ, καθὼς ἡ Σοφία φησίν, ἐκ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων καὶ τὸ ἐν κρυπτῷ κάλλος ἀναλογίζεσθαι (ex Homil. in 40 Martyr.).

[6] Ibid. 45, 682: Ἐπειδὴ γὰρ ἀπαιδεύτῳ καὶ μικροφυεῖ διανοίᾳ πρὸς τὰ τῆς κτίσεως κάλλη θαυμαστικῶς διετέθησαν, οὐ χειραγωγῷ τε καὶ ὁδηγῷ τῷ θαύματι τῶν φαινομένων πρὸς τὴν τοῦ ὑπερκειμένου κάλλους κατανόησιν συγχρησάμενοι· ἀλλὰ μέχρι τῶν καταλαμβανομένων ἔστησαν ἑαυτῶν τὴν διάνοιαν. — Latina apud Migne versio sonat: „Postquam . . . affecti sunt, non eorum quae cernebantur admiratione ceu manuductore et optimo duce ad supereminentis pulchritudinis cognitionem sunt usi" etc.

vehitur, qui istam pulchritudinem mundanam admirati ad divinae pulchritudinis cognitionem non perveniunt. Ait enim Homil. 10 ad pop. Antioch.: „*Quam magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti* (Ps. 103, 24). Sed quid ad haec solent infideles dicere, quoties ipsis commemoramus magnitudinem mundi, ornatum, abundantiam, copiam in omnibus? Hoc ipsum, inquiunt, maxima criminis est causa, quod tam pulchrum et magnum fecit Deus mundum: nisi enim magnum et pulchrum fecisset, non ipsum Deum fecissemus; nunc vero magnitudine perculsi, et ipsius pulchritudinem admirati, ipsum Deum esse putavimus. Sed vanus est hic sermo: quod enim neque magnitudo neque pulchritudo impietatis sit causa, sed illorum ignorantia, nos nil tale passi declaramus." [1] Et paulo post ita prosequitur: „Haec enim Deus olim praevidens, et hanc ipsis ansam secundum sapientiam suam sustulit; propterea non tantum mirabilem et magnum fecit mundum, sed et corruptibilem et marcescibilem." [2] Unde pluribus interiectis: „Vides, quomodo utrumque nobis Deus providit, per elementorum quidem pulchritudinem nos in divinitatis suae cognitionem inducens, per infirmitatem vero non permittens in illorum cadere adorationem." [3]

Quam distinctionem rerum cognoscere et servare praecipue Christus nos docuit, ut S. Cyrillus Alexandrinus lib. 3 in Isai. tom. 3 his indicat verbis: „*Aperientur oculi caecorum* (Isai. 35, 5). Nam qui olim creaturae supra creatorem servierunt, ipsam creaturam quae olim seduxit, tamquam ducem quandam facient, pulchre ad agnitionem opificis adducentem. Ex pulchritudine enim creaturarum analogice creator earum conspicitur; et ut Paulus ait: *Invisibilia eius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.*" [4] Quae Apostoli verba ulterius

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 49, 114: „Ὡς μεγαλύνθη τὰ ἔργα σου, Κύριε· πάντα ἐν σοφίᾳ ἐποίησας". Ἀλλὰ τίς ὁ σοφὸς τῶν ἀπίστων λόγος, ὅταν ἅπαντα ταῦτα διέλθωμεν πρὸς αὐτούς, τὸ μέγεθος, τὸ κάλλος τῆς κτίσεως, τὴν δαψίλειαν, τὴν ἀφθονίαν τὴν ἐν ἅπασιν; Αὐτὸ μὲν οὖν τοῦτο μάλιστά ἐστιν ἔγκλημα, φησίν, ὅτι οὕτω καλὸν καὶ μέγαν τὸν κόσμον ἐποίησεν ὁ Θεός· εἰ μὴ γὰρ αὐτὸν καλὸν καὶ μέγαν ἐποίησεν ὁ Θεός, οὐκ ἂν αὐτὸν ἐθεοποιήσαμεν· νῦν δὲ ἐκπλαγέντες αὐτοῦ τὸ μέγεθος, καὶ θαυμάσαντες αὐτοῦ τὸ κάλλος ἐνομίσαμεν αὐτὸν εἶναι θεόν. Ἀλλ' ἕωλος οὗτος ὁ λόγος ἐστίν. Ὅτι γὰρ οὔτε τὸ μέγεθος οὔτε τὸ κάλλος τῆς ἀσεβείας αἴτιον, ἀλλ' ἡ ἐκείνων ἄνοια, δείκνυμεν ἡμεῖς οἱ μηδὲν τοιοῦτον παθόντες ποτέ.

[2] Ibid. 49, 115: Ταῦτα γὰρ ἄνωθεν ὁ Θεὸς προειδώς, καὶ ταύτην αὐτῶν ἀνεῖλε τὴν πρόφασιν κατὰ τὴν αὐτοῦ σοφίαν· διὰ τοῦτο οὐ μόνον θαυμαστὸν καὶ μέγαν τὸν κόσμον ἐποίησεν, ἀλλὰ καὶ φθαρτὸν καὶ ἐπίκηρον.

[3] Ibid. 49, 118: Ὁρᾷς πῶς ἑκατέρωθεν ἡμῶν προενόησεν ὁ Θεός, διὰ μὲν τοῦ κάλλους τῶν στοιχείων εἰς τὴν αὐτοῦ θεογνωσίαν ἡμᾶς ἄγων, διὰ δὲ τῆς ἀσθενείας οὐκ ἀφιεὶς εἰς τὴν ἐκείνων καταπεσεῖν λατρείαν;

[4] Ibid. 70, 751: . . . Οἱ γὰρ πάλαι τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίστην λατρεύοντες, αὐτὴν τὴν ποτε πλανήσασαν κτίσιν, χειραγωγὸν ὥσπερ τινὰ ποιήσονται, καλῶς ἀποφέρουσαν πρὸς ἐπίγνωσιν τοῦ δημιουργοῦ. Ἀπὸ γὰρ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται· καὶ ὡς φησὶν ὁ Παῦλος· „Τὰ ἀόρατα αὐτοῦ" κτλ.

De ss. Trinit. dialog. 7 hunc in modum explicavit: „Itaque divinae naturae pulchritudinem clarius nobis veluti proferet *sempiterna eius virtus*.“ [1]

II. Ut Patres Graeci, ita tradunt Latini, inter quos praesertim S. Augustinus pulchritudinem Dei a pulchritudine mundi cognosci posse identidem docet. Ait enim e. gr. Serm. 241, n. 1: „Ad quaerendum artificem rerum mundi species invitabat.“ Et postquam illud S. Pauli Rom. 1, 21: *„Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt“*, citavit, ita prosequitur: „Unde cognoscentes? Ex his quae fecit. Interroga pulchritudinem terrae, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati et diffusi aëris, interroga pulchritudinem caeli . . . interroga ista! Respondent tibi omnia: Ecce vide, pulchra sumus. Pulchritudo eorum, confessio eorum. Ista pulchra mutabilia quis fecit nisi incommutabilis pulcher?“ [2] Similiter Enarr. in Ps. 148, n. 15: „Omnium pulchritudo quodam modo vox eorum est, confitentium Deum. . . . *Confessio eius in terra et caelo* (Ps. 148, 14). Attende caelum, pulchrum est; attende terram, pulchra est; utrumque simul valde pulchrum[3]. . . . Si pulchra sunt quae fecit, quanto pulchrior est qui fecit?“ [4] Neque minus praeclare dictum est illud lib. 11 De civ. Dei c. 4: „Mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate et visibilium omnium pulcherrima specie quodam modo tacitus, et factum esse et nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno et ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.“ [5] Quid autem dicam, Deus ineffabiliter atque invisibiliter magnus et pulcher nobis promisit „ostendere se nobis“, ut idem S. Doctor Enarr. in Ps. 84, n. 9 ait: „Qui diligit me, mandata mea custodit, *et ego diligam illum, et ostendam meipsum illi* (Io. 14, 21). . . . Ergo nobis promisit ostendere se nobis. Qualis est pulchritudo eius, fratres, cogitate. Omnia ista pulchra quae videtis, quae amatis, ipse fecit. Si haec pulchra sunt, quid est ipse? Si haec magna sunt, quantus est ipse?“ [6]

Patres igitur Ecclesiae, ut finem faciamus, Deum magnum et pulchrum dicunt, quoniam totum mundum creavit et magnum et pulchrum. Ex omnibus fere argumentis eorum illud resonat: *„E magnitudine et pulchritudine creaturarum analogice creator earum conspicitur“*, id est, creatoris magnitudo et pulchritudo. (Cf. Sap. 13, 5.) Itaque Deus pulchritudinem suam non sine testimonio reliquit, ut S. Prosper Aquitanus lib. 2 De voc. omn. gent. c. 4 rectissime ait: *„Et* (Deus) *quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de caelo* . . . (Act. 14, 16). Quod est autem hoc testimonium, quod semper

[1] *Migne*, Patr. gr. 75, 1111: Ἐξοίσει δὴ οὖν τὸ τῆς θείας φύσεως κάλλος εἰς ὄψιν ὥσπερ ἐμφανεστέραν, ἡ ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις.
[2] *Migne*, Patr. lat. 38, 1134. [3] Cf. Gen. 1, 31 secundum LXX.
[4] *Migne*, Patr. lat. 37, 1946. [5] Ibid. 41, 319. [6] Ibid. 37, 1075.

Domino deservivit et nunquam de eius bonitate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo et inenarrabilium beneficiorum eius dives et ordinata largitio?" [1] — „Ergo, anima mea," inquit Robertus Cardinalis Bellarminus, „si tanta est pulchritudo in res creatas a conditore Deo effusa, quanta putas, et quam admirabilis est pulchritudo pulcherrimi conditoris? Nemo enim dare potest, quod non habet; et si solis et stellarum specie delectati homines luminosa illa corpora *Deos putarerunt*, inquit Sapiens, *sciant quanto dominator eorum speciosior est, speciei enim generator haec omnia constituit.*" [2]

§ 2.

Quomodo ex pulchro contingente concludatur ad pulchrum necessarium.

Pulchritudo creatoris e pulchritudine creaturarum consequenter intelligi potest; nam, ut vetus proverbium est, opifex ex opere suo cognoscitur. Cui argumentationi haud dissimilis est haec altera: Cum pulchrum mutabile atque contingens exsistat, necesse est exsistere pulchrum immutabile atque necessarium. — Et profecto omnia pulchra, quae in hoc mundo videntur et amantur, mutabilia sunt atque contingentia, quia „oriuntur et occidunt, et oriendo quasi esse incipiunt, et crescunt ut perficiantur, et perfecta senescunt et intereunt", ut S. Augustinus lib. 4 Confess. c. 10 optime ait. Ista autem pulchra quare oriuntur? et quare intereunt? Quia sunt mutabilia, quia „simul non possunt habere omnia" [3] neque unitatem implere valent summam. Iam vero repugnat omne pulchrum, quod exsistit, mutabile esse. Necesse ergo est exsistere aliquid pulchrum quod, quia simul habet omnia summamque unitatem implet, etiam immutabile sit atque necessarium. Tale autem pulchrum immutabile ac necessarium inveniri non potest nisi in Deo. Ergo Deus immutabiliter et necessario est pulcher.

S. Augustinus enimvero lib. 8 De civ. Dei c. 6 eadem de re ita philosophatur: „Consideraverunt (Platonici), quidquid est, vel corpus esse, vel vitam; meliusque aliquid vitam esse quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitae. Proinde intelligibilem sensibili praetulerunt. Sensibilia dicimus, quae visu tactuque corporis sentiri queunt: intelligibilia, quae conspectu mentis intelligi possunt. Nulla est enim pulchritudo corporalis, sive in statu corporis sicut est figura, sive in motu sicut est cantilena, de qua non animus iudicet. Quod profecto non posset, nisi melior in illo esset haec species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis. Sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio melius de specie

[1] *Migne*, Patr. lat. 51, 880.

[2] De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum. Opusculum *Roberti* Cardinalis *Bellarmini* S. J. (Editio ab ipso auctore recognita. Coloniae Agrippinae a. 1624), Grad. II, c. 5, p. 45.

[3] Cf. *S. Augustinum*, De ver. relig. c. 21.

sensibili iudicaret: melius ingeniosior quam tardior, melius peritior quam imperitior, melius exercitatior quam minus exercitatus, et idem ipse unus cum proficit, melius utique postea quam prius. Quod autem recipit magis et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabilis esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, et si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid, ubi prima esset et incommutabilis et ideo nec comparabilis: atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset et ex quo facta cuncta essent."[1] S. Augustinus „ideam" Platonis et Platonicorum bene reddit „primam speciem", quo in vocabulo imago et exemplar et pulchritudo intime complexa sunt, ut supra (Lib. I, Parte I, c. 1, § 2) diligenter ostendimus. Deus ergo, qui et in quo illa prima species est, incommutabiliter est pulcher.

§ 3.

A pulchritudine operum artis consequenter ad ipsam artis legem pervenimus aeternam ac pulcherrimam.

Pulchritudo creatoris e creaturarum pulchritudine analogice cognosci potest. Quam conclusionem a minore ad maius, i. e. a pulchritudine mundi ad pulchritudinem Dei procedentem, non solum e pulchris rebus natura productis confirmare possumus, sed subtilius etiam e pulchris operibus arte factis. Inter omnes enim constat opera artificiosa in tantum esse pulchra, in quantum legibus artis atque normis accommodata sint, eisque ad amussim respondeant. Iam vero artis leges aeternae, de quibus omnis pulchritudo tandem aliquando pendet, non sunt nisi in Deo, de quo Sap. 11, 21 scriptum est: „***Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.***" Ergo etiam Deus, quoniam summa est ars, pulcherrimus esse iudicandus est.

Et haec quidem certe est sententia S. Augustini, qui De ver. relig. c. 52 scribit: „Ab operibus artium conversi ad legem artium, eam speciem mente contuebimur, cuius comparatione foeda sunt, quae ipsius benignitate sunt pulchra."[2] Quam ad sententiam lib. 1 De genes. contr. Manich. c. 8 ita proludit: „In animo ars ipsa pulchrior est quam illa, quae arte fabricantur."[3] Quanto pulchrior igitur ars esse debet in divina mente vivens prae illa pulchritudine, quae ex operibus sive arte factis sive natura productis emicat!

Etiam sacra Scriptura hoc argumentum tangit, cum sapientiam Dei appellat summum artificem, qui sciat quid sit pulchrum. Scriptum est enim Sap. 7, 21: „***Omnium artifex docuit me sapientia.***" Et Sap. 8, 6: „***Quis horum, quae sunt, magis quam illa est artifex?***"

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 41, 231. [2] Ibid. 34, 167. [3] Ibid. 34, 179.

Ac praecipue illud Sap. 9, 9: *„Et tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, et sciebat, quid esset placitum oculis tuis"*, i. e. sciebat quid esset pulchrum; nam secundum S. Augustinum (Enarr. in Ps. 32, n. 7) „pulchra sunt omnia, quae oculis placent."[1] — Quibus e locis Scripturae sacrae colligi potest sapientiam Dei non solum summum artificem esse, sed ipsam quoque artem. Atqui S. Augustino teste „ars ipsa pulchrior est quam illa, quae arte fabricantur". Ergo Deus, in quo ipsa ars vera atque aeterna est et vivit, infinite pulchrior sit oportet, quam omnia opera arte fabricata. Haec enim, ut idem Augustinus supra dixit, Dei „comparatione foeda sunt, quae ipsius benignitate sunt pulchra."

Optimum igitur consilium cepit Athenagoras, „philosophus christianus", in Legat. pro Christ. n. 16 exclamans: „Mundus, ut ait Plato, ars Dei est; admirans eius pulchritudinem ad artificem adeo."[2]

CAPUT III.

Ecclesiae Patres Deum expresse vocant „pulchrum" et „pulchriorem omnibus" et „pulcherrimum".

Ad rationis argumenta, quibus Deum pulchrum esse cum ex definitione pulchritudinis, tum ex pulchritudine mundi hactenus demonstravimus, adiungemus argumenta ex mera auctoritate petita. Neque enim parvi interest cognovisse, quid Patres qui maximam in Ecclesia habent auctoritatem, hac de re ut testes traditionis docuerint, quin philosophicam rationem doctrinae suae redderent. Iam vero Ecclesiae Patres Deum gradatim appellant pulchrum et pulchriorem omnibus et pulcherrimum.

I. Et primo quidem Patres Deum simpliciter vocant **pulchrum.** — In Ecclesia orientali Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 12 homines adhortatur ad Deum laudandum, „qui est undequaque bonus, undequaque pulcher."[3] Similia habet Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 7: „Hoc bonum (divinum) laudatur a sacris theologis ut pulchrum."[4] Praeclarius est illud S. Gregorii Nysseni De vit. Moys.: „Deus natura pulcher esse conceditur."[5] Immo iam Plato Deum pulchrum esse cognovit, cum in „Phaedro" dicit: „Divinum autem pulchrum est."[6]

In Ecclesia vero occidentali S. Augustinus tract. 9 in epist. Ioan. ad Parth. asseverat: „Deus semper pulcher est, nunquam defor-

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 36, 282.

[2] *Migne*, Patr. gr. 6, 922: Κόσμος . . . ὡς Πλάτων φησί, τέχνη τοῦ Θεοῦ. θαυμάζων αὐτοῦ τὸ κάλλος, τῷ τεχνίτῃ πρόσειμι.

[3] Ibid. 8, 682: Πάντα τῷ ἀγαθῷ, πάντα τῷ καλῷ.

[4] Ibid. 3, 702: Τοῦτο τἀγαθὸν ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων καὶ ὡς καλόν.

[5] Ibid. 44, 403: Καλὸν εἶναι τὸ Θεῖον ὡμολόγηται τῇ φύσει.

[6] *Astius*, Plato 1, 171: Τὸ δὲ Θεῖον καλόν.

mis.“ [1] Et subtilius lib. 11 Confess. c. 4: „Ecce sunt caelum et terra; clamant, quod facta sint. . . . Tu ergo, Domine, fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt.“ [2] Illud incisum: „Domine qui pulcher es, qui bonus es, qui es“, divinae Trinitatis mysterium ita insinuare videtur, ut Patri esse, Filio pulchrum-esse, Spiritui sancto bonum-esse approprietur: qua de re infra (Lib. III) fusius tractabimus. Hoc enim loco nihil antiquius habemus, quam ut Deum pulchrum esse gravissima auctoritate Patrum demonstremus.

II. Porro Patres Ecclesiae, praecipue S. Augustinus, Deum non solum pulchrum vocant, sed etiam **pulchriorem omnibus**, praeeunte sacra Scriptura Sap. 13, 3: „*Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est.*“ Quibus verbis assentitur S. Augustinus Enarr. in Ps. 148, n. 5: „Si pulchra sunt quae fecit, quanto pulchrior qui fecit!“ [3] Unde etiam lib. 13 Confess. c. 20 Deum sic alloquitur: „Pulchra sunt omnia faciente te, et ecce tu inenarrabiliter pulchrior qui fecisti omnia.“ [4] — Immo Deus non solum pulchrior est omnibus quae pulchra sunt in terris, sed etiam pulchrior omnibus quae pulchra sunt in caelis, teste eodem Augustino, qui Enarr. in Ps. 64 versum 2: „*Te decet hymnus, Deus, in Sion*“ interpretans, de conditore Sionis caelestis haec dicit: „Nescio quod nobis magnum spectaculum promittitur; et hoc ipse Deus est qui condidit civitatem. Pulchra et decora civitas, quam pulchriorem habet conditorem!“ [5] Similiter Enarr. in Ps. 43, n. 16: „Unde gaudent angeli nisi unde Dominus ait: *Nescitis quia angeli eorum semper vident faciem Patris?* (Matth. 18, 10.) Si ergo ad faciem Patris gaudent angeli, ad tale gaudium te praepara: aut si invenis melius quam videre faciem Dei? Vae tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quam est ille a quo est omne pulchrum quod te teneat, ne illum cogitare merearis.“ [6]

III. Postremo Patres Deum expresse vocant **pulcherrimum**. Ita S. Basilius Deum πάγκαλον δημιουργόν, i. e. perpulchrum opificem appellat, cum Homil. 2 in Hexaëm. eos, qui materiam informem omnium rerum principium esse contenderunt, hunc in modum redarguit: „Si ingenita est materia, par ei ac Deo honor tribuendus est. Quo quid magis impium esse possit? materiam scilicet qualitatis ac formae expertem, extremam ipsam deformitatem, foeditatem ipsam figura destitutam (ipsis enim eorum utor vocabulis) pari cum sapiente et potente et perpulchro opifice atque universorum conditore praerogativa ac dignitate cohonestari?“ [7] Item S. Gregorius Nazianzenus in illa Oratione

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 35, 2051. [2] Ibid. 32, 811. [3] Ibid. 37, 1947.
[4] Ibid. 32, 856. [5] Ibid. 36, 774. [6] Ibid. 36, 488.
[7] *Migne*, Patr. gr. 29, 31: . . . Οὗ τι ἂν γένοιτο ἀσεβέστερον, τὴν ἄποιον, τὴν

de Pace II., qua populum Constantinopoli dissidentem ad unitatem et pacem adhortatus est, Deum, quia summe unus sit et pacatus, pulcherrimum vocat: „Illud primum“, inquit, „cum animis reputantes Deum, omnium quae sunt, pulcherrimum et sublimissimum esse.“ [1] Quibus consentit S. Gregorius Nyssenus De hom. opif. c. 12: „Omnium pulcherrimum ac praestantissimum bonum ipse Deus est.“ [2]

In Ecclesia vero occidentali S. Hilarius praecipue et S. Augustinus Deum iterum atque iterum appellant pulcherrimum. Ille enim De Trinit. lib. 1, n. 7 praeclare disserit: „Magnorum creator in maximis est, et pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est. Et cum sensum ipsum egrediatur operatio, omnem tamen sensum longe necesse est excedat operator. Pulchrum itaque caelum, aether, terra, maria et universitas omnis est, quae ex ornatu suo, ut etiam Graecis placet, digne κόσμος, id est mundus, nuncupari videtur. Sed si hanc ipsam rerum pulchritudinem ita sensus naturali metitur instinctu, ut etiam in quarundam volucrum ac pecudum accidit specie, ut dum infra sententiam sermo est, sensus tamen idipsum intelligens non eloquatur; quod tamen rursum, dum sermo omnis ex sensu est, sensus sibi ipse loquatur intelligens: nonne huius ipsius pulchritudinis Dominum necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum intelligi; ut cum aeterni ornatus sui species sensum intelligentiae omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiae sensus non relinquat ornatus? Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus, ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.“ [3] Et haec quidem S. Hilarius. S. Augustinus vero lib. 1 Confess. c. 4 Deum sic alloquitur: „*Quis Deus praeter Deum nostrum?* (Ps. 17, 32). Summe, optime; potentissime, omnipotentissime; misericordissime et iustissime, secretissime et praesentissime, pulcherrime et fortissime.“ [4] Item lib. 2 Confess. c. 6: „Pulcherrime omnium, creator omnium.“ [5] Subtiliora sunt, quibus idem Augustinus De ver. relig. c. 11 Deum pulcherrimum et formosissimum et speciosissimum esse analogice con-

---

ἀνείδεον, τὴν ἐσχάτην ἀμορφίαν, τὸ ἀδιατύπωτον αἶσχος (τοῖς γὰρ αὐτῶν ἐκείνων προσρήμασι κέχρημαι) τῆς αὐτῆς προεδρίας ἀξιοῦσθαι τῷ σοφῷ καὶ δυνατῷ καὶ παγκάλῳ δημιουργῷ καὶ κτίστῃ τῶν ὅλων;

[1] *Migne*, Patr. gr. 35, 738: Ἐκεῖνο πρῶτον ἐνθυμηθέντες, ὅτι κάλλιστον μὲν τῶν ὄντων καὶ ὑψηλότατον Θεός.

[2] Ibid. 44, 161: Τὸ κάλλιστον πάντων καὶ ἐξοχώτατον ἀγαθὸν αὐτὸ τὸ Θεῖόν ἐστι.

[3] *Migne*, Patr. lat. 10, 30. Commentarius ultima verba hunc in modum explicat: „*Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus, ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.* Id est, licet pulchritudinem illius ne intelligentiae quidem sensu complectamur, adeoque non sit *intra sententiam intelligendi*; sensus tamen dictat eum, qui ita captum suum superat, intelligendum esse pulcherrimum: qua ratione Dei species non est *extra intelligentiam sentiendi*, puta eam esse omnium pulcherrimam.“

[4] Ibid. 32, 662. Quo loco miramur, quod S. Augustinus perinde ac sacra Scriptura pulchritudinem cum fortitudine coniungit (cf. supra Lib. 1, Part. 1, c. 1, § 2, n. 3). [5] Ibid. 32, 680.

cludit e corporum concordia et forma et specie: „Et ipsum“ (corpus). inquit, „habet aliquam concordiam partium suarum, sine qua omnino esse non potest. Ab eo factum est et corpus, qui omnis concordiae caput est. Habet corpus quandam pacem suae formae, sine qua prorsus nihil esset. Ergo ille est et corporis conditor, a quo pax omnis est, et qui forma est infabricata atque omnium formosissima. Habet aliquam speciem, sine qua corpus non est corpus. Si ergo quaeritur, quis instituerit corpus, ille quaeratur qui est omnium speciosissimus. Omnis enim species ab illo est. Quis est autem hic, nisi unus Deus?“ [1]

Cum igitur Patres Ecclesiae Deum expressis verbis pulchrum et pulchriorem omnibus et pulcherrimum appellent, iam gradatim ad illam perducimur conclusionem ultimam, qua Deum ipsam pulchritudinem esse praedicamus.

CAPUT IV.

Deus est ipsa pulchritudo.

I. Deus non tantum pulcher et pulchrior omnibus et pulcherrimus iure vereque dicitur, sed ipsa pulchritudo est substantialis. Quaecunque praeter Deum pulchra sunt, sunt pulchra per participationem sive per qualitatem. Solus Deus pulcher est per essentiam, cum in eo neque ulla participatio neque qualitas ulla proprie esse possit; sed quidquid Deus est, substantia est. Unde S. Leo M. Epist. (15) ad Turribium scribit: „Solus autem Deus nullius participationis indigus est: de quo quidquid digne utcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit.“ [2] Quam ob rem omnes nobilitates ac perfectiones Dei cum sua ipsius essentia converti et identificari debent: idem prorsus sunt re, ratione tantum differunt. Atqui Deus, ut antea demonstravimus, pulcher est omniumque pulcherrimus. Ergo iam inde consequitur Deum, quia pulcher per qualitatem esse nequit, pulchrum esse per essentiam.

Neque Deus, ut mente S. Augustini philosophemur, ea pulchritudine pulcher est, quae non sit quod est ipse; alioquin illa esset maior pulchritudo quam Deus, Deo autem nihil pulchrius esse potest. Ea igitur pulchritudine pulcher est, qua ipse est ipsa pulchritudo. In illum autem magnum errorem, quasi Deus pulchritudinem participet, se iuvenem incidisse S. Augustinus lib. 4 Confess. c. 16 poenitens confitetur: „Quid hoc [didicerat enim sine magistro categorias Aristotelis] mihi proderat, quando et oberat? cum etiam te, Deus meus, mirabiliter simplicem atque incommutabilem, illis decem praedicamentis putans quidquid esset omnino comprehensum, sic intelligere conarer, quasi et tu subiectus essos magnitudini tuae aut pulchritudini, ut illa essent in te quasi subiecto, sicut in corpore; cum tua magnitudo et tua pul-

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 131. [2] Ibid. 54, 683.

chritudo tu ipse sis: corpus autem non eo sit magnum et pulchrum, quo corpus est; quia etsi minus magnum et minus pulchrum esset, nihilominus corpus esset." [1] Pulchritudo vero divina nec minor nec maior fieri potest, cum Deus simplicissimus sit et prorsus immutabilis. Proinde Deus est ipsa pulchritudo.

Quod verum esse iam divus Plato intellexit, cum „Polit. II." Deum omnem pulchritudinem possidere dicit nec pulchritudinis ullius indigere. „Neque enim indigere dicemus deum pulchritudinis aut virtutis. . . . Fieri nequit, ut Deus velit sese mutare, sed, ut perspicitur, pulcherrimus et optimus est." [2] Unde idem philosophus Deum τὸ θαυμαστὸν τὴν φύσιν καλόν, i. e. „admirabile illud natura pulchrum" rectissime vocat. Diotima enim, mulier illa Mantinensis, Socratem in „Convivio" haec praeclara docet: „Intuens pulchritudinem", inquit, „late patentem iam non unius, sicut servus, diligat (homo probus) pulchritudinem vel hominis alicuius vel studii unius eique addictus vilem se exhibeat atque pusillum, sed ad immensum pulchritudinis mare conversus . . . spectans ordine et recte pulchra, ad finem iam pergens amatoriorum repente conspiciet admirabile quid ad naturam pulchrum (τί θαυμαστὸν τὴν φύσιν καλόν), illud ipsum, Socrates, cuius causa priores etiam omnes labores suscipiebantur: ac primum quidem semper exstans, neque exsistens neque interiens, neque crescens neque decrescens; tum non una ex parte pulchrum, altera ex parte deforme; neque alias pulchrum, alias contra; neque ratione unius pulchrum, ratione alterius deforme; neque hic pulchrum, illic deforme; aliquibus pulchrum, aliquibus deforme; neque etiam apparebit ipsum pulchrum ita ut vultus aliquis vel manus vel aliud quid eorum quorum corpus est particeps, neque ut oratio aliqua vel scientia, neque in alio quopiam inesse videbitur, ut in animante vel in terra vel in caelo vel alio quopiam, sed ipsum per se secum uniusmodi semper esse, reliqua vero omnia pulchra partem illius habere." [3] Atque haec quidem hactenus.

---

[1] *Migne,* Patr. lat. 32, 704.

[2] *Astius,* Plato IV, 119: Οὐ γάρ που ἐνδεᾶ γε φήσομεν τὸν θεὸν κάλλους ἢ ἀρετῆς εἶναι. . . Ἀδύνατον καὶ θεῷ ἐθέλειν αὑτὸν ἀλλοιοῦν, ἀλλ', ὡς ἔοικε, κάλλιστος καὶ ἄριστος ὤν.

[3] Ibid. III, 517: Βλέπων πρὸς πολὺ ἤδη τὸ καλὸν μηκέτι τὸ παρ' ἑνί, ὥσπερ οἰκέτης ἀγαπῶν παιδαρίου κάλλος ἢ ἀνθρώπου τινὸς ἢ ἐπιτηδεύματος ἑνός, δουλεύων φαῦλος ᾖ καὶ σμικρολόγος, ἀλλ' ἐπὶ τὸ πολὺ πέλαγος τετραμμένος τοῦ καλοῦ . . . θεώμενος ἐφεξῆς τε καὶ ὀρθῶς τὰ καλὰ πρὸς τέλος ἤδη ἰὼν τῶν ἐρωτικῶν ἐξαίφνης κατόψεταί τι θαυμαστὸν τὴν φύσιν καλόν, τοῦτο ἐκεῖνο, ὦ Σώκρατες, οὗ δὴ ἕνεκεν καὶ οἱ ἔμπροσθεν πάντες πόνοι ἦσαν, πρῶτον μὲν ἀεὶ ὂν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον, οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθῖνον, ἔπειτα οὐ τῇ μὲν καλόν, τῇ δὲ αἰσχρόν, οὐδὲ τοτὲ μέν, τοτὲ δ' οὔ, οὐδὲ πρὸς μὲν τὸ καλόν, πρὸς δὲ τὸ αἰσχρόν, οὐδ' ἔνθα μὲν καλόν, ἔνθα δὲ αἰσχρόν, ὡς τισὶ μὲν ὂν καλόν, τισὶ δὲ αἰσχρόν· οὐδ' αὖ φαντασθήσεται αὐτῷ τὸ καλὸν οἷον πρόσωπόν τι, οὐδὲ χεῖρες οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν ὧν σῶμα μετέχει οὐδέ τις λόγος οὐδέ τις ἐπιστήμη, οὐδέ που ὂν ἐν ἑτέρῳ τινί, οἷον ἐν ζώῳ ἢ ἐν γῇ ἢ ἐν οὐρανῷ ἢ ἐν τῷ ἄλλῳ, ἀλλὰ αὐτὸ καθ' αὑτὸ μεθ' αὑτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν, τὰ δὲ ἄλλα πάντα καλὰ ἐκείνου μετέχοντα.

II. Patres vero Ecclesiae de Deo, quatenus ipsa pulchritudo sit, breviore quidem sermone utuntur, at eo certiore. Ita enim S. Basilius Homil. in Ps. 44, n. 5 numen divinum appellat ἐκεῖνο τὸ ὄντως καλόν, i. e. „illud essentialiter pulchrum" vel illam pulchritudinem essentialem: „Illud enim essentialiter pulchrum est", inquit, „quod humanam omnem intelligentiam et potentiam excedit, quodque mente sola queas contemplari." [1] Etiam S. Gregorius Nyssenus De vit. Moys. Deum natura pulchrum esse fatetur dicens: „Deus natura pulcher esse conceditur." [2] Similiter ait De anim. et resurr.: „Semper divina per caritatem exigetur vita, quae pulchra et secundum naturam est, et amantem in pulchrum e natura se habet." [3] Immo vero Homil. 4 in Cant. Deum pulchrum esse testatur αὐτῇ τῇ τοῦ καλοῦ οὐσίᾳ, i. e. „ipsa pulchritudinis essentia." Illud enim Cant. 1, 15: *„Ecce, tu pulcher es, dilecte mi, et decorus"* interpretans docet: „Tu autem vere es pulcher; neque solum pulcher, sed ipsa pulchritudinis essentia semper talis es omnino id quod es: nec in tempore florens, nec in tempore rursus florem abiciens, sed cum vitae aeternitate simul extendens speciem atque decorem." [4] Quare De virginit. c. 11 Deum appellat „illud ipsum solum pulchrum, quod ex se, et per se, et in se pulchrum est." Ait enim: Qui ista terrena deseruerit, „hic profecto et amore et cupiditate ad illud ipsum solum pulchrum trahetur, quod non aliunde exsistere potest, neque aliquando, neque ad aliquid eiusmodi refertur; sed quod ex se, et per se, et in se pulchrum est, hoc sane est semper pulchrum, neque aliquando non fuit, aut aliquando non futurum, sed perpetuo se uno eodemque modo habet, neque omnino augeri, neque amplificari, neque ulla mutatione mutari potest." [5]

Huc illa quoque pertinent, quibus Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 7 Deum non solum pulchrum et pulchritudinem esse praedicat, sed etiam unde ac qua ratione sic appelletur: „Hoc bonum" (divinum), inquit, „laudatur a sacris theologis et ut pulchrum et

[1] *Migne*, Patr. gr. 29, 399: Ἐκεῖνο γὰρ τὸ ὄντως καλόν, τὸ κατάληψιν πᾶσαν ἀνθρωπίνην καὶ δύναμιν ὑπερβαῖνον, καὶ διανοίᾳ μόνῃ θεωρητόν.

[2] Ibid. 44, 403: Καλὸν εἶναι τὸ Θεῖον ὡμολόγηται τῇ φύσει.

[3] Ibid. 46, 98: Ἀεὶ ἡ θεία ζωὴ δι' ἀγάπης ἐνεργηθήσεται, ἣ καλή τε κατὰ φύσιν ἐστί, καὶ ἀγαπητικῶς πρὸς τὸ καλὸν ἐκ φύσεως ἔχει. Latina apud Migne versio haec est: „Divina vita semper per caritatem ac dilectionem exigetur, quae vita cum natura pulchra est, tum erga id quod pulchrum est, dilectionis affectu natura praedita est."

[4] Ibid. 44, 835: Σὺ δὲ ἀληθῶς εἶ καλός· οὐ καλὸς δὲ μόνον, ἀλλ' αὐτῇ τῇ τοῦ καλοῦ οὐσίᾳ ἀεὶ τοιοῦτος ὑπάρχων, πάντοτε ὢν ὅπερ εἶ· οὔτε κατὰ καιρὸν ἀνθῶν, οὔτε ἐπὶ καιροῦ πάλιν ἀποβάλλων τὸ ἄνθος· ἀλλὰ τῇ ἀϊδιότητι τῆς ζωῆς συμπαρατείνων τὴν ὥραν.

[5] Ibid. 46, 367: Ὁ τοιοῦτος πρὸς ἐκεῖνο μόνον ἐρωτικῶς τε καὶ ἐπιθυμητικῶς ἕξει, ὃ οὐχ ἑτέρωθεν ἔχει τὸ καλὸν εἶναι, οὐδὲ ποτέ, ἢ πρός τι τοιοῦτόν ἐστιν· ἀλλὰ ἐξ ἑαυτοῦ καὶ δι' ἑαυτοῦ καλόν, καὶ ἐν ἑαυτῷ τοιοῦτον καλὸν ὄν, καὶ οὐδὲ ποτὲ καλὸν γενόμενον, ἢ ποτὲ οὐκ ἐσόμενον, ἀλλὰ πάντοτε ὡσαύτως ἔχον, προσθήκης τε καὶ αὐξήσεως ὑπεράνω, καὶ ἀνεπίδεκτον πάσης τροπῆς τε καὶ ἀλλοιώσεως.

ut pulchritudo, et ut dilectio et ut dilectum, et quaecunque alia sunt divina nomina, quibus ipse speciosus decor et effector pulchritudinis decenter nominatur. Pulchrum autem et pulchritudo sunt distinguenda in causa, quae universa in uno complexa est; haec enim in omnibus rebus, in participationes et in participantia dividentes, pulchrum quidem dicimus, quod pulchritudinis particeps est; pulchritudinem vero, participationem causae omnia pulchra efficientis. Ipsum autem pulchrum superessentiale (τὸ ὑπερούσιον καλόν) pulchritudo quidem appellatur propter illam pulchritudinem, quam rebus omnibus pro cuiusque modulo communicat, in quantum est causa omnis pulchritudinis ac venustatis, dum rebus omnibus pulchrificas fontalis sui radii distributiones lucis in morem afflat, omniaque ad se καλεῖ, id est *vocat* (unde et κάλλος, id est *pulchritudo*, dicitur) et tota in totis quasi in se colligit. Pulchrum vero vocatur, quod ex omni parte pulchrum sit et plus quam pulchrum (καλὸν δὲ ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπέρκαλον) et tamquam semper exsistens, secundum eadem et eodem modo pulchrum, neque factum neque destructum, neque augescens neque decrescens, neque ex parte una pulchrum, ex altera vero turpe; neque tum pulchrum, tum minime; neque ad hoc pulchrum, ad illud inconcinnum; neque hic quidem ita, alibi vero aliter; neque ut aliis formosum, aliis vero deforme; sed ut ipsum secundum se atque secum uniforme, semper exsistens pulchrum." [1] Quibus ex verbis sequitur Deum e mente Dionysii esse „ipsum pulchrum superessentiale", id est, tale pulchrum quod, si essentiale tantum diceretur, iam quasi minus recte appellaretur. Neque minus patet, Dionysium ultima verba e Platonis „Convivio" ita mutuatum esse, ut fere verbum e verbo transferre eum non piguerit[2].

S. Gregorius quoque Nyssenus Platonem hac in re secutus esse videtur, cum illud, quod paulo ante citavimus, inculcat: Pulchrum di-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 702: Τοῦτο τἀγαθὸν ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν θεολόγων καὶ ὡς καλόν, καὶ ὡς κάλλος, καὶ ὡς ἀγάπη καὶ ὡς ἀγαπητόν, καὶ ὅσαι ἄλλαι εὐπρεπεῖς εἰσι τῆς καλλοποιοῦ καὶ κεχαριτωμένης ὡραιότητος θεωνυμίαι. Τὸ δὲ καλὸν καὶ κάλλος διαιρετέον ἐπὶ τῆς ἐν ἑνὶ τὰ ὅλα συνειληφυίας αἰτίας· ταῦτα γὰρ ἐπὶ μὲν τῶν ὄντων ἁπάντων εἰς μετοχὰς καὶ μετέχοντα διαιροῦντες, καλὸν μὲν εἶναι λέγομεν τὸ κάλλους μετέχον, κάλλος δὲ τὴν μετοχὴν τῆς καλλοποιοῦ τῶν ὅλων καλῶν αἰτίας. Τὸ δὲ ὑπερούσιον καλὸν κάλλος μὲν λέγεται, διὰ τὴν ἀπ᾽ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς οὖσι μεταδιδομένην οἰκείως ἑκάστῳ καλλονήν, καὶ ὡς τῆς πάντων εὐαρμοστίας καὶ ἀγλαΐας αἴτιον, δίκην φωτὸς ἐναστράπτον ἅπασι τὰς καλλοποιοὺς τῆς πηγαίας ἀκτῖνος αὐτοῦ μεταδόσεις, καὶ ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν (ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται) καὶ ὡς ὅλα ἐν ὅλοις εἰς ταὐτὸ συνάγον. Καλὸν δὲ ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπέρκαλον, καὶ ἀεὶ ὄν, κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως καλόν, καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον, οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθίνον, οὐδὲ τῇ μὲν καλόν, τῇ δὲ αἰσχρόν, οὐδὲ τοτὲ μέν, τοτὲ δὲ οὔ, οὐδὲ πρὸς μὲν τὸ καλόν, πρὸς δὲ τὸ αἰσχρόν· οὐδὲ ἔνθα μέν, ἔνθα δὲ οὔ, ὡς τισὶ μὲν ὂν καλόν, τισὶ δὲ οὐ καλόν· ἀλλ᾽ ὡς αὐτὸ καθ᾽ ἑαυτὸ μεθ᾽ ἑαυτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὂν καλόν.

[2] Hoc idem iam animadvertit Thomassinus in Dogmat. theol. De Deo Deique proprietat. (Venetiis 1730), tom. II, lib. 3.

vinum „nec in tempore florens, nec in tempore rursus florem abiciens"; et iterum: „neque aliquando non fuit, aut aliquando non futurum, sed perpetuo se uno eodemque modo habet, neque omnino augeri, neque amplificari, neque ulla mutatione mutari potest."

Sed quantumvis S. Gregorius Nyssenus et Dionysius Pseudo-Areopagita Platonis vestigiis ingressi sint, hoc unum e toto argumento dilucide apparet Deum ipsam pulchritudinem essentialem esse, immo etiam „superessentialem" [1].

CAPUT V.

Quomodo pulchritudo Dei a sacra Scriptura exhibeatur.

Scriptura sacra, quamquam maiestatem et gloriam Dei singulis fere libris, praesertim vero propheticis et Psalmorum, pulcherrime describit, de pulchritudine tamen divina rarissime loquitur, expressis saltem verbis. Itaque plurimum interest, paucos hos de pulchritudine divina locos Scripturae sacrae undique conquirere atque breviter explicare. — Ac primum quidem illos explanabimus locos, ubi Deo pulchritudo simpliciter tribuitur; deinde illos, ubi Deus pulchritudinem quasi vestimentum induisse dicitur; postea illos, ubi hominibus iustis visio pulchritudinis divinae promittitur tamquam praemium virtutis; denique inquiremus, num etiam Novum Testamentum mentionem pulchritudinis divinae faciat.

I. A sacra Scriptura pulchritudinem Deo simpliciter tribui constat e Sap. 13, 5: *„A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri;* vel potius secundum Patres Graecos: *„E magnitudine et pulchritudine creaturarum analogice creator earum conspicitur."* Quo in versu ellipsis inest, cum ordo verborum si perfectus esset, ita se haberet: E magnitudine et pulchritudine creaturarum analogice magnitudo et pulchritudo creatoris earum conspicitur. At per ellipsin hagiographus *„a magnitudine et pulchritudine creaturarum"* statim exsistentiam creatoris colligere maluit. Nihilominus pulchritudo Dei ex hoc loco cum certitudine probari potest, praesertim cum paulo ante (vers. 3) scriptum sit: *„Quorum si specie delectati, deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit."* Ceterum confer, quae supra (c. 2, § 1, n. 2 huius Lib.) iam diximus.

Deinde scriptum est Ps. 49, 2: Ἐκ Σιὼν ἡ εὐπρέπεια τῆς ὡραιότητος αὐτοῦ, i. e. *„ex Sion species decoris eius"*. Quae imprimis ad ipsum

---

[1] Clemens Alexandrinus Cohort. ad Gent. c. 4 memoriae tradidit Phidiam deo Olympio nomen „Pulcher" imposuisse vel potius digito statuae eius insculpsisse: Ὁ μὲν Ἀθηναῖος Φειδίας ἐπὶ τῷ δακτύλῳ τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ἐπιγράψας ΠΑΝΤΑΡΚΗΣ ΚΑΛΟΣ: „Phidias quidem Atheniensis Olympii Iovis digito inscripsit OMNES IUVANS **PULCHER.**" (*Migne*, Patr. gr. 8, 147.)

Deum referenda esse facile intelligitur e contextu: „*Deus, deorum Dominus, locutus est: et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum: Ex Sion species decoris eius. Deus manifeste veniet.*“ Quae ultima verba secundum textum Hebraicum ita sonant: „Ex Sion perfectio pulchritudinis Dei effulgebit.“ [1] Sed illa: „*Ex Sion species decoris eius*“, quid tandem significant? Nihil aliud indicare videntur nisi quod ex Sione caelesti egredietur resplendens species atque imago decoris Dei. Iam vero ille, qui a S. Paulo Col. 1, 15 „*imago Dei invisibilis*“ (i. e. Patris) appellatur, Filius Dei est. Ergo illud „*Ex Sion species decoris eius*“ ita interpretari possumus: Ex Sione caelesti apparebit speciosus Filius Dei Patris decori. Cui interpretationi textus Hebraicus minime obstare videtur; nam Filius Dei revera est „perfecta pulchritudo“ Patris eiusque imago consubstantialis.

S. Cyrillus vero Alexandrinus Explan. in Ps. 49, 2 utrumque momentum, et „*species*“ et „*decoris*“, ad unum Filium Dei refert: „Fuit et est“, inquit, „Deus Verbum consubstantiale Patri, et omnimoda aequalitate praeditum. Ita tamen cum esset natura comparatum, demisit se ad exinanitionem servique formam suscepit (Phil. 2, 6—8). Videbatur ergo formositatis suae iam non prae se ferre decorem, quia similitudinem nostram asciverat. Quod tamen non ex humanae eius condicionis modulo divinam eiusdem excellentemque pulchritudinem aestimare quis debeat, sed quatenus potius Deus est et Patri potentia compar, demonstrat dicens: *Ex Sion species decoris eius.* Iam ex Sione, pro ex superna Sione dictum intelliges; nempe in vocabulo Sion, id quod desuper et caeleste est.“ [2]

Aliam interpretationem praefert S. Augustinus sub verbis „*species decoris eius*“ intelligens decus Evangelii Iesu Christi, qui speciosus Filius Dei Patris est. Ait enim Enarr. in Ps. 49, n. 4: „*Ex Sion species decoris eius,* quod inde coepit decus Evangelii eius, quod inde annuntiari coepit *speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44, 3). . . . Cum ipse Dominus venisset, quia passurus venit, occultus venit: et cum esset fortis in se, infirmus in carne apparuit. . . . Erat gloriae species in divinitate, sed haec latebat in carne. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent* (1 Cor. 2, 8).“ [3] — Ceterum quomodocunque versus „*Ex Sion species decoris eius*“ explicatur, dubium nemini esse potest, quin speciem ac pulchritudinem Dei satis clare exprimat.

[1] Hebr. Ps. 50, 2: מִצִּיּוֹן מִכְלַל־יֹפִי אֱלֹהִים הוֹפִיעַ׃.

[2] *Migne*, Patr. gr. 69, 1074: Ἦν μὲν γὰρ καὶ ἔστι Θεὸς ὁ Λόγος ὁμοούσιος τῷ Πατρί, καὶ τῇ κατὰ πᾶν ὁτιοῦν ἐμφερείᾳ διαπρεπής. Ἀλλ᾽ ὧδε φύσεως ἔχων, καθῆκεν ἑαυτὸν εἰς κένωσιν, ἔλαβέν τε δούλου μορφήν. Ἐδόκει δὴ οὖν οὐκ ἐν τῷ τῆς ὡραιότητος ὁρᾶσθαι κάλλει, διά τοι τὸ ἐν ὁμοιώσει γενέσθαι τῇ πρὸς ἡμᾶς. Ὅτι τοίνυν κατίδοι τις ἂν οὐκ ἀπό γε τῶν τῆς ἀνθρωπότητος μέτρων τὸ θεῖον αὐτοῦ καὶ ἐξαίρετον κάλλος, ἀλλ᾽ ἐξ ὧν ἐστι Θεὸς καὶ ἰσοσθενὴς τῷ Πατρί, διαδείκνυσι λέγων· „Ἐκ Σιὼν ἡ εὐπρέπεια τῆς ὡραιότητος αὐτοῦ.“ Τὸ δὲ „ἐκ Σιὼν“ νοήσεις ἀντὶ τοῦ ἐκ τῆς ἄνω Σιών· ἤγουν διὰ τῆς Σιὼν τὸ ἐξ οὐρανῶν καὶ ἄνωθεν.

[3] *Migne*, Patr. lat. 36, 667.

II. Metaphorice Deus in sacra Scriptura saepius pulchritudinem induisse dicitur quasi vestimentum. Cf. Ps. 92, 1: *„Dominus regnavit, decorem indutus est"* (LXX εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο; Hebr. גֵּאוּת לָבֵשׁ). Et Ps. 103, 1 s.: *„Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Confessionem et decorem induisti* (LXX εὐπρέπειαν ἐνεδύσω; Hebr. הוֹד וְהָדָר לָבָשְׁתָּ), *amictus lumine sicut vestimento."* Quae verba alio atque alio modo a Patribus Ecclesiae exponuntur. S. Augustinus exempli causa Enarr. in Ps. 103, n. 6 illud: *„Confessionem et decorem induisti"*, non ad Dei gloriam et pulchritudinem refert, sed ad confessionem et decorem Ecclesiae, quam Deus Salvator quasi vestem pulchram induerit: „Ergo induit se Dominus Deus noster confessionem et decorem, induit se Ecclesiam; ipsa enim Ecclesia confessio et decor. Ante confessio, postea decor; confessio peccatorum, decor recte factorum: *Confessionem et decorem induisti."* [1]

Obvius tamen sensus versus illius: *„Dominus regnavit, decorem indutus est"*, necnon alterius: *„Confessionem et decorem induisti"*, hic sane esse videtur: Iste mundus, cum a Deo valde pulcher factus sit, pulchritudine sua quasi admirabili voce praedicat atque confitetur Deum esse creatorem. Deus igitur confessione et decore huius mundi velut suavissimo concentu circumsonitus et quasi veste pulcherrima circumdatus est. Cui expositioni suffragatur Ps. 101, 26—28, quo S. Paulus Hebr. 1, 10—12 usus est, ut divinitatem Iesu Christi patefaceret: *„Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient."* Quae verba apostoli et illorum psalmorum ab omni sensu pantheistico, quasi hic mundus pulcherrimus corpus Dei sit, prorsus abhorrere vix est demonstrandum. Verum licet expositiones quas praemisimus, ut verae concedantur, tamen nihil obstat, quominus illud: *„Dominus regnavit, decorem indutus est"*, aut illud: *„Confessionem et decorem induisti"*, ad ipsam pulchritudinem Dei referatur atque decorem.

Huc etiam pertinet Iob 40, 5, ubi respondens Dominus Iob de turbine iubet: *„Circumda tibi decorem et in sublime erigere, et esto gloriosus et speciosis induere vestibus."* [2] Deus enim Iob de providentia divina cum amicis suis contendere auso ita quasi respondet: Si vis consiliarius meus esse, oportet ut Deo similis sis, oportet ut maiestatem et gloriam et decorem Dei induas — vel ut ipse

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 37, 1340. S. Augustini enarrationem secutus est S. Prosper Aquitanus Expos. Ps. 103 dicens: „Induit se Dominus Deus noster confessionem et decorem, id est, induit se Ecclesiam, quae per confessionem deposuit foeditatem, et accepit decorem; ipsa enim confessio peccatorum decus est recte factorum." (*Migne*, Patr. lat. 51, 288.)

[2] Masor. Iob 40, 10: עֲדֵה־נָא גָאוֹן וָגֹבַהּ וְהוֹד וְהָדָר תִּלְבָּשׁ׃, id est: „Exorna te maiestate atque celsitudine, et gloria ac decore induere."

hagiographus habet 40, 3—5: „*Numquid irritum facies iudicium meum, et condemnabis me, ut tu iustificeris? Et si habes brachium sicut Deus, et si voce simili tonas? Circumda tibi decorem et in sublime erigere, et esto gloriosus et speciosis induere vestibus.*" Quo textu sacra Scriptura Deum testatur decore circumdatum et speciosis vestibus quodammodo indutum esse. Quae pulchritudo Dei talis ac tanta est, ut animis adspicientibus formidinem quandam et terrorem iniciat secundum illud Iob 37, 22: „*Ad Deum formidolosa laudatio*", vel potius: „Super Deum formidolosus splendor." [1] — S. Gregorius M. autem lib. 32 Moral. c. 6. illud „*Spesiosis induere vestibus*" hunc in modum interpretatus est: „Ipse (Deus) speciosis induitur vestibus, quia sanctorum angelorum choros quos condidit, in usum sui decoris assumpsit, ut velut quandam vestem gloriosam sibi Ecclesiam exhibet non habentem rugam aut maculam (Eph. 5, 27)." [2]

Verum Deus non solum pulchritudine velut amictu indutus esse a sacra Scriptura dicitur, sed etiam talis exhibetur, qui pulchritudinem contempletur eaque perfruatur, testante Psalmo 95, 6: „*Confessio et pulchritudo in conspectu eius*" (LXX ἐξομολόγησις καὶ ὡραιότης ἐνώπιον αὐτοῦ)[3]. Quae verba, ut superiora, duobus modis intelligi possunt: primum de confessione et pulchritudine mundi et praecipue Ecclesiae, quae in conspectu Dei sunt; deinde sensu sublimiore de confessione et pulchritudine Filii Dei, quem Pater intelligendo gignit, et in quo sibi bene complacet (Matth. 3, 17). Sed quoquo modo res se habet, sacra Scriptura 1 Par. 16, 29 optimo iure nos adhortatur: „*Adorate Dominum in decore sancto.*" [4]

III. Accedit quod sacra Scriptura divinae pulchritudinis mentionem illis facit locis, ubi docet, homines qui iustam vitam in terra degerint, pulchritudinem Dei beatificam visuros esse in caelis. Ita Isaias c. 33, 15—17: „*Qui ambulat in iustitiis et loquitur veritatem . . . Regem in decore suo videbunt oculi eius.*" Hic autem rex, quem in pulchritudine sua (Hebr. בְּיָפְיוֹ) oculi iusti videbunt, Deus est, qui super Israel redemptum se regnaturum esse promiserat [5]. Idem

---

[1] Hunc locum *V. Loch* et *W. Reischl*, Die heiligen Schriften des Alten und Neuen Testamentes I (ed. 3, Regensburg 1885), 733 vertunt: „Um Gott ist schauerliche Herrlichkeit." Masoretae habent :עַל־אֱלוֹהַּ נוֹרָא הוֹד. Aliter LXX: Ἀπὸ βοῤῥᾶ νέφη χρυσαυγοῦντα· ἐπὶ τούτοις μεγάλη ἡ δόξα καὶ τιμὴ παντοκράτορος, id est: „Ab Aquilone nubes aureo fulgore praeditae, super his magna gloria et decus Domini omnipotentis." Versio igitur vulgata et textus Masor. de illa gloria loquuntur, quae ipsi Deo competit; versio autem Alexandrina decus laudat et gloriam, quam Deus nubibus tribuit, e. gr. tempore aurorae.

[2] *Migne*, Patr. lat. 76, 639.

[3] Hebr. Ps. 96, 6: הוֹד־וְהָדָר לְפָנָיו, hoc est: „Splendor et decus in conspectu eius."

[4] :הִשְׁתַּחֲווּ לַיהוָה בְּהַדְרַת־קֹדֶשׁ

[5] *Jos. Knabenbauer* S. J., Commentar. in Isai. proph. I (Parisiis 1887), 575 optime scribit: Alii „iure advertunt typice hoc dici de Ezechia in eoque typice

propheta c. 35, 1—2 dicit: „*Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit laetabunda et laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri.*"[1] Israel enim e captivitate et calamitate, quasi e loco deserto reditura typice adumbrat illam multitudinem a Iesu redemptorum, qui in Ierusalem caelestem redibunt ad pulchritudinem Dei videndam eaque perfruendam; et „*ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri*". Unde etiam S. Ioannes Apoc. 7, 9—12 scribit: „*Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum; et clamabant voce magna dicentes: Salus ... benedictio et claritas ... Deo nostro.*" Quae claritas Dei tam admirabilis tamque decora est, ut ea fruentes beati satientur, quemadmodum legimus Ps. 16, 15: „*Satiabor, cum apparuerit gloria tua*" (תְּמוּנָתֶךָ, i. e. imago tua).

IV. Inquiramus denique, utrum in scripturis etiam Novi Testamenti pulchritudo divina commemoretur necne. Expresse saltem ea nusquam locorum infertur, sed ad summum implicite. Atque clarissimus quidem et fere unicus locus est Phil. 2, 6—7, ubi S. Paulus de Christo Iesu haec scribit: „*Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*" Iam vero illud *in forma Dei* (ἐν μορφῇ θεοῦ) quidnam significat? Sub Dei forma, in qua Christus, antequam incarnatus est, fuisse dicitur, intelligere solemus essentiam vel naturam Dei. Qua tamen interpretatione utut verissima, tota notio *formae Dei* minime exhausta esse censenda est, cum *forma Dei* sensu pressiore non tam essentiam quam speciem essentiae Dei significare videatur, id est. Dei quasi figuram speciosam vel uno verbo pulchritudinem. (Cf. Lib. I. Parte I, c. 1, § 2.) Quo sensu strictiore Christus praecipue quoad divinitatem „*speciosus forma*" (ὡραῖος κάλλει) in Ps. 44, 3 praedicatur. Speciem saltem ac pulchritudinem a notione *formae Dei* excludi iam vetat antithesis. Et profecto Filius Dei unigenitus „*formam servi*" (μορφὴν δούλου), i. e. speciem servilem et ingloriosam accipiens, non ipsam essentiam divinam exinanivit, sed speciem et pulchritudinem, maiestatem et gloriam essentiae divinae quodammodo deposuit atque abscondidit, ut iam Isaias propheta c. 53, 2—3 praedixerat: „*Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et*

factum, perfectum autem esse et consummatum in Messia rege (cf. Mald., Mar., Malv., Sanct., Sasb., Pint., Gord.); alii tamen immediate et unice de Christo vel Deo in caelis claro viso interpretantur (cf. S. Hiero., Cyr., Theod., Thom., Lap., Men., Tir., Troch., Loch)*.

[1] יִרְאוּ כְבוֹד־יְהוָה הֲדַר אֱלֹהֵינוּ׃

desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum." Haec enim verba praecipue quidem tempus passionis designant, sed de tota quoque Iesu Christi vita bene accipi possunt, ut plurimis Patribus Ecclesiae placuit (cf. infra Lib. III, c. 4, § 2). — Verumtamen Christus divinam suam speciem et pulchritudinem, maiestatem et gloriam post resurrectionem a mortuis quasi resumpsit, perfecte vero post ascensionem in caelos, ubi tamquam „*Rex gloriae*" (Ps. 23, 7) „ad dexteram Dei sedet in gloria Patris."[1] Ad tempus autem hac gloria et pulchritudine Christus resplenduit in transfiguratione sua, ut S. Matthaeus c. 17, 2. 4 testatur: „*Transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. . . . Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse.*"

Quae cum ita sint, facile sequitur, ut illud „*in forma Dei*" non solum essentiam divinam, sed etiam essentiae divinae significet pulchritudinem. Ergo etiam Novum Testamentum divinae pulchritudinis mentionem facit, licet paulo obscurius, cum Christum „*in forma Dei*" esse docet, i. e. in specie Dei ac pulchritudine[2]. Unde ipse Dominus Iesus Io. 5, 41 de se testatus est: „*Claritatem ab hominibus non accipio*". „*Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam*", inquit S. Petrus (epist. II, c. 1, 17. 19), „*voce delapsa ad eum huiusmodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. . . . Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.*" Qui lucifer Iesus Christus est, et ipse splendidissimus ac speciosissimus, et omnes fideles suos in similem speciem immutans atque splendorem. — Et haec quidem e sacra Scriptura; quid autem Patres Ecclesiae de Deo, quatenus ipsa pulchritudo sit, sentiant, nunc audiamus.

CAPUT VI.

Quomodo pulchritudo Dei a Patribus Ecclesiae generatim cognoscatur et laudetur.

Inter Patres Ecclesiae omnino constat Deum sine dubio esse ipsam pulchritudinem. Etsi non omnes sicuti Dionysius Pseudo-Areopagita rationem reddiderunt, cur Deus pulchritudo appelletur, tamen in operibus suis occasione data de pulchritudine Dei identidem praeclara docent.

[1] Ex hymno „Te Deum laudamus".

[2] Animadversione dignum videtur, quod Vulfilas in sua versione Gotica σύμμορφον (Phil. 3, 21) vertit ibnaskauniamma, i. e. gleichschön, et μορφῇ θεοῦ (Phil. 2, 6) guþaskaunein, i. e. Gottesschönheit (*E. Bernhardt*, Vulfila oder die Gotische Bibel [Halle 1875] p. 511. 517).

I. Atque in Ecclesia orientali quidem S. Basilius Homil. in Ps. 32 Deum pulchritudine praeditum esse testatur. Eiusdem enim Ps. versiculum 1: „*Exsultate iusti in Domino*“ declarans hortatur: „Exsultate itaque iusti in Domino, non cum res domi vobis prospere succedant, non cum bona sit corporis habitudo, non cum agri fructibus omnigenis referti sint: sed quod Dominum habetis tali pulchritudine, tali bonitate, tali sapientia praeditum.“ [1] Idem Epist. (233) ad Amphilochium scribit: „Quae autem Spiritus divinitati mens immiscetur, ea iam speculatur magna, divinasque intuetur pulchritudines (τὰ θεῖα κάλλη), quantum quidem gratia impertit ipsiusque capit constitutio.“ [2] Illae „pulchritudines divinae“, quas mens a Spiritu sancto illuminata contemplatur, abundantiam quandam pulchritudinis Dei significare videntur. Tanta est enim pulchritudo divina, ut S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Pace I, n. 12 se ad eam declarandam nimis hebetem esse fateatur: „Hoc me inferiore loco tenebat humilemque reddebat . . . nempe maiestas et altitudo et dignitas . . . Dei . . . qui et pulchritudo omnis est, et supra omnem pulchritudinem.“ [3] In quo autem haec pulchritudo Dei consistat, S. Gregorius Nyssenus De hom. opif. c. 5 inquirit: „Pulchritudo illa divina“, inquit, „non ulla specie aut formae compositione cum coloris quadam suavitate resplendet, sed in beatitate secundum virtutem ineffabili spectatur.“ [4] Postquam tres illi Cappadoces unus post alium mentem suam aperuerunt, audiamus etiam verba plane aurea, quae S. Chrysostomum Homil. in Ps. 41 auctorem habent: „Iam vero“, inquit, „alias quoque tria sunt, quae amorem apud nos efficere consueverunt: forma corporis, magnitudo beneficii, vel quod ab aliquo amemur. Unumquodque enim eorum per se potest in nobis amorem procreare. Etsi enim nullum beneficium ab aliquo acceperimus, solum autem audiamus eum nos perpetuo amare, ut qui nos laudet et admiretur, ei confestim conglutinamur, et eum tamquam benefactorem diligimus: in Deo autem non

[1] *Migne,* Patr. gr. 29, 323: Ἀγαλλιᾶσθε οὖν, δίκαιοι, ἐν Κυρίῳ· μὴ ὅταν ὑμῖν εὐθηνῆται τὰ κατὰ τὸν οἶκον, μὴ ὅταν εὐεκτῆτε τῷ σώματι, μὴ ὅταν αἱ ἄρουραι πληθύνωσι καρπῶν παντοδαπῶν· ἀλλ’ ὅτι Κύριον ἔχετε, τοιοῦτον μὲν τὸ κάλλος, τοιοῦτον δὲ τὴν ἀγαθότητα, τὴν σοφίαν τοιοῦτον.

[2] Ibid. 32, 866: Ὁ μέντοι τῇ θεότητι τοῦ Πνεύματος ἀνακραθεὶς νοῦς, οὗτος ἤδη τῶν μεγάλων ἐστὶ θεωρημάτων ἐποπτικός, καὶ καθορᾷ τὰ θεῖα κάλλη, τοσοῦτον μέντοι, ὅσον ἡ χάρις ἐνδίδωσι, καὶ ἡ κατασκευὴ αὐτοῦ ὑποδέχεται.

[3] Ibid. 35, 483: Τοῦτό με ἵστη κάτω, καὶ ταπεινὸν ἐποίει . . . ἡ μεγαλειότης, καὶ τὸ ὕψος, καὶ τὸ ἀξίωμα . . . Θεοῦ . . . ὃς καλόν ἐστιν ἅπαν, καὶ ἄνω παντὸς καλοῦ.

[4] Ibid. 44, 138: Τὸ δὲ θεῖον κάλλος οὐ σχήματί τινι, καὶ μορφῆς εὐμοιρίᾳ, διά τινος εὐχροίας ἀγλαΐζεται, ἀλλ’ ἐν ἀφράστῳ μακαριότητι κατ᾽ ἀρετὴν θεωρεῖται. — Latina apud Migne versio minus accurata est, nempe: „Pulchritudo illa divina, non ulla forma vel eximia venustate externa resplendet, sed in beatitate secundum virtutem ineffabili consistit.“ — Hoc Nysseni „in beatitate secundum virtutem“ respondere videtur illis verbis Aristotelis in 1 Ethic. c. 7: „Felicitas est operatio secundum virtutem perfectam“ (*S. Thomas Aqu.*, S. th. 1. 2, qu. 3, a. 2 c.).

hoc solum, sed haec etiam tria videre licet tanta et tam insignia, ut nulla ea possit explicare oratio. — Et primum pulchritudo illius beatae et ab interitu alienae naturae, res est quaedam infinita, et nulla ratione superabilis, quae omnem excedit rationem et omnem effugit cogitationem. Quando autem pulchritudinem audiveris, nihil corporeum suspiceris, o dilecte, sed gloriam quandam incorpoream et magnificentiam ineffabilem. Hanc itaque declarans propheta dicebat: *Et Seraphim stabant in circuitu eius, et duabus quidem pennis vultum tegebant, duabus vero tegebant pedes, duabus autem volabant, et clamabant: Sanctus, sanctus, sanctus* (Isai. 6, 2—3), ex stupore, ex admiratione, ex illo decore, ex gloria. Et rursus David, cum mente apprehendisset hanc ipsam beatae illius naturae pulchritudinem (αὐτὸ τοῦτο τὸ κάλλος) et gloriam obstupuisset, dicebat: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua* (Ps. 44, 4—5). Propterea Moyses eum saepe cupiebat videre, hoc amore sauciatus et illam amans gloriam (Exod. 33, 13). Quocirca dicebat quoque Philippus: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (Io. 14, 8). Vel potius quaecunque dixerimus, ne parvum quidem, immo ne exile quidem vestigium illius decoris poterimus explicare"[1] etc.

II. In Ecclesia vero occidentali S. Augustinus Epist. (118) ad Dioscor. de pulchritudine Dei disserens Ciceronem adhibet testem, qui De nat. deor. I, 10 Anaximenem philosophum refutans haec de pulcherrima specie Dei dicit: „Anaximenes aëra Deum statuit, eumque gigni esseque immensum et infinitum et semper in motu; quasi aut aër sine ulla forma Deus esse possit, cum praesertim Deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie deceat esse."[2] Quibus verbis praemissis S. Augustinus in epist. cit. ita prosequitur: „Utrum refellendi causa tamquam Academicus Anaximeni Cicero obiecerit formam et pulchritudinem Deum habere oportere, quasi corpoream speciem cogitans, quia ille

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 55, 160: . . . Καὶ πρῶτον, τὸ κάλλος τῆς μακαρίας ἐκείνης καὶ ἀκηράτου φύσεως, ὅτι ἀμήχανον οὕτω πώς ἐστι καὶ ἄμαχον, καὶ πάντα ὑπερβαῖνον λόγον, καὶ πᾶσαν ἐκφεῦγον διάνοιαν. Κάλλος δὲ ὅταν ἀκούσῃς, μηδὲν σωματικὸν ὑποπτεύσῃς, ἀγαπητέ, ἀλλὰ ἀσώματόν τινα δόξαν καὶ μεγαλοπρέπειαν ἄφραστον. Ταύτην οὖν ὁ προφήτης ἐκφαίνων ἔλεγε· „Καὶ τὰ Σεραφεὶμ εἱστήκεισαν κύκλῳ αὐτοῦ, καὶ ταῖς μὲν δυσὶ πτέρυξι κατεκάλυπτον τὸ πρόσωπον, ταῖς δὲ δυσὶ κατεκάλυπτον τοὺς πόδας, ταῖς δὲ δυσὶν ἐπέτοντο καὶ ἔκραζον, "Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος", ἀπὸ τῆς ἐκπλήξεως, ἀπὸ τοῦ θαύματος, ἀπὸ τῆς εὐπρεπείας ἐκείνης, ἀπὸ τῆς δόξης. Καὶ πάλιν ὁ Δαυεὶδ κατανοήσας αὐτὸ τοῦτο τὸ κάλλος, καὶ τὴν δόξαν ἐκπλαγεὶς τῆς μακαρίας ἐκείνης φύσεως, ἔλεγε· „Περίζωσαι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, δυνατέ, τῇ ὡραιότητί σου καὶ τῷ κάλλει σου." Διὰ τοῦτο καὶ Μωϋσῆς ἐπεθύμει πολλάκις αὐτὸν ἰδεῖν, τῷ φίλτρῳ τρωθεὶς τούτῳ, καὶ τῆς δόξης ἐκείνης ἐρῶν. Διὰ τοῦτο καὶ Φίλιππος ἔλεγε· „Δεῖξον ἡμῖν τὸν Πατέρα, καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν." Μᾶλλον δὲ ὅσα ἂν εἴπωμεν, οὐδὲ μικρόν, οὐδὲ ἀμυδρὸν ἴχνος τι τῆς εὐπρεπείας ἐκείνης παραστῆσαι δυνησόμεθα.

[2] Cicero ibid. I, 27 Velleium de pulchritudine naturae divinae ita loquentem inducit: „Quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debeat."

corporeum Deum esse dixerat, aër enim corpus est: an ipse sentiebat esse formam et pulchritudinem incorpoream veritati, qua ipse animus informatur, et per quam omnia sapientis facta pulchra esse iudicamus, ut non tantum refellendi gratia, sed etiam verissime dixerit quod Deum pulcherrima specie deceat esse, quia nihil est pulchrius ipsa intelligibili atque incommutabili veritate." [1] Nec tantum mutatis verbis, sed etiam propriis idem Augustinus Deum pulchritudine praeditum esse saepius confitetur, cum e. gr. lib. 7 Confess. c. 17 ait: „Rapiebar ad te decore tuo, diripiebar abs te pondere meo" [2]; et ibid. lib. 10, c. 34 quam brevissime: „Deus meus et decus meum!" [3]

Neque vero Patribus Ecclesiae satis erat Deum simpliciter pulchritudinem vocare, sed eam variis insuper exornabant attributis; id quod capite sequenti fusius declarandum est.

CAPUT VII.

Quibus attributis Patres Ecclesiae pulchritudinem Dei exornent.

Generatim Ecclesiae Patres pulchritudini Dei eadem fere adscribunt attributa, quae Deo simpliciter conveniunt. Deus enim ab illis dicitur pulchritudo prima, summa, infinita; pulchritudo simplex, incorruptibilis, incommutabilis; pulchritudo abscondita et inaccessa; pulchritudo incomprehensibilis et ineffabilis; pulchritudo vera et intelligibilis; pulchritudo denique amabilissima et valde desiderabilis. De quibus singulis quam brevissime tractabimus.

§ 1.

Deus a Patribus Ecclesiae dicitur pulchritudo prima, summa, infinita.

I. Deus dicitur pulchritudo **prima.** Et sane Dionysius Pseudo-Areopagita De caelest. hierarch. c. 3, § 2 eam quae Deo conveniat pulchritudinem appellat „principalem", cum vocabulum „hierarchiae" definiens dicat: „Qui hierarchiam nominat, quandam omnino sacram designat dispositionem, Dei principalis pulchritudinis imaginem, ordinibus scientiisque sacroprincipalibus illustrationis suae mysteria celebrantem atque proprio, quantum fas est, principio conformem." [4] Clarius autem et districtius S. Gregorius Nazianzenus Defin. min. exact. (Ὅροι παχυμερεῖς) Deum vocat πρῶτον καλόν, i. e. primum pulchrum:

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 33, 448. [2] Ibid. 32, 744. [3] Ibid. 32, 801.

[4] *Migne*, Patr. gr. 3, 166: Ὁ λέγων ἱεραρχίαν, ἱεράν τινα καθόλου διακόσμησιν δηλοῖ, εἰκόνα τῆς θεαρχικῆς ὡραιότητος, ἐν τάξεσι καὶ ἐπιστήμαις ἱεραρχικαῖς, τὰ τῆς οἰκείας ἐλλάμψεως ἱερουργοῦσαν μυστήρια καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν ἀρχὴν ὡς θεμιτὸν ἀφομοιουμένην.

„Deus est ens substantiale, primum pulchrum.“ [1] In eadem sententia est S. Gregorius Nyssenus, qui De virginit. c. 11 Deum τὸ κυρίως καὶ πρώτως καὶ μόνως καλὸν nuncupat, i. e. pulchritudinem principem et primam et singularem. Ait enim: „Principem et primam et singularem pulchritudinem et bonitatem et puritatem Deum omnium esse, nemo ita mente caecus est, quin per se intelligat.“ [2]

II. Deus deinde a Patribus Ecclesiae exhibetur ut pulchritudo **summa** et supra omnem pulchritudinem. Ita S. Gregorius Nazianzenus Orat. II. Apologet. n. 76: „Deus“, inquit, „pulchritudo omnis est et supra omnem pulchritudinem[3]. S. Augustinus quoque De nat. boni contra Manich. Deum supra omnem speciem esse testatur: „Deus supra omnem creaturae modum est, supra omnem speciem, supra omnem ordinem: nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili et singulari potentia, a quo omnis modus, omnis species, omnis ordo.“ [4] Quae, ut tamquam per transennam moneamus, ad Trinitatem divinam ita referri possunt, ut Patri „supra omnem modum“ esse competat, Filio „supra omnem speciem“, Spiritui sancto „supra omnem ordinem“ (cf. infra Lib. III, c. 1, § 2). Praeterea idem Augustinus De immort. anim. c. 15 Deum expresse vocat pulchritudinem summam, quam omnia alia pro genere suo gradatim participent: „Tradunt ergo“, inquit, „speciem a summa pulchritudine acceptam potentiora infirmioribus naturali ordine.“ [5]

III. Deus denique a Patribus Ecclesiae vocatur pulchritudo **infinita.** Clemens enim Alexandrinus lib. 5 Strom. c. 1 Deum κάλλος ἀδιόριστον appellat, i. e. „pulchritudinem indefinitam“ [6] sive immensam. S. Ioannes autem Chrysostomus (Homil. in ps. 41), ut iam supra citavimus, haec habet: „Pulchritudo illius beatae et ab interitu alienae naturae res est quaedam infinita.“ [7]

§ 2.

Deus a Patribus Ecclesiae dicitur pulchritudo simplex, incorruptibilis, incommutabilis.

I. Pulchritudo Dei ideo dicitur **simplex,** quia incomposita est neque „ulli omnino admixta dissimilitudini“, sicuti Dionysius Pseudo-

[1] *Migne*, Patr. gr. 37, 945: Θεὸς μέν ἐστιν οὐσία, πρῶτον καλόν.
[2] Ibid. 46, 370: Τὸ κυρίως καὶ πρώτως καὶ μόνως καλόν τε καὶ ἀγαθὸν καὶ καθαρὸν ὁ τῶν ὅλων ἐστὶ Θεός, οὐδεὶς οὕτω τυφλὸς τὴν διάνοιαν, ὡς μὴ ἀφ' ἑαυτοῦ συνιδεῖν. Latina apud Migne versio satis obscura est, nimirum: „Proprie, et primum, et solum honestum purumque Deum esse“ etc. Deinde verba media „ὁ τῶν ὅλων Θεός“ non „omnium Deus“ translata sunt, sed tantum „Deus“.
[3] Ibid. 35, 483: Θεός, ὃς καλόν ἐστιν ἅπαν, καὶ ἄνω παντὸς καλοῦ.
[4] *Migne*, Patr. lat. 42, 553. [5] Ibid. 32, 1034. [6] *Migne*, Patr. gr. 9, 11.
[7] Ibid. 55, 160: Τὸ κάλλος τῆς μακαρίας ἐκείνης καὶ ἀκηράτου φύσεως, ἀμήχανον. *Rufinus* (Interpret. Homil. Basilii M. de Fide) illud κάλλος ἀμήχανον bene vertit „inexquisitum decorem“. Vocabulum ἀμήχανος primo significat „inexquisitus“ sive „inscrutabilis“, deinde „immensus“.

Areopagita De caelest. hierarch. c. 3, § 1 optime ait: „Ea quae Deum decet pulchritudo, ut simplex, ut bona, ut origo perfectionis, nulli omnino est admixta dissimilitudini."[1] Quae verba a Pachymera, eximio Dionysii interprete, ita exponuntur: „Divina pulchritudo nequaquam creaturis est permixta, quoniam est ipsamet uniformitas et aequalitas et identitas, quinimmo una est et unifica, utpote simplex et impermixta et incomposita: quod vero difforme est et inaequale et diversum et parvum et mutabile, id etiam materiatum est."[2] Haec ergo „paraphrasis" Pachymerae non tantum pulchritudinem Dei simplicem atque incompositam exhibet, sed confirmat etiam definitionem S. Augustini: „Omnis pulchritudinis forma unitas est." Etenim „divina pulchritudo", inquit ille, „est ipsamet uniformitas et aequalitas et identitas, quinimmo una est et unifica." Quanto autem aliquid ab unitate sua magis discedit, tanto etiam a pulchritudine sua deficit: „quod vero difforme est et inaequale, id etiam materiatum est" (cf. supra Lib. I, Parte I, c. 3, § 5).

II. Deinde pulchritudo Dei, quoniam absolute simplex est, etiam **incorruptibilis** sit oportet. Ita S. Gregorius Nyssenus Homil. 2 in Cant. Deum appellat τὸ ἄφθαρτον κάλλος, i. e. incorruptibilem pulchritudinem, cuius imago sit anima humana: „Cognosce" (anima), inquit, „quantum sis honorata a creatore plus quam reliqua creatura. Non factum fuit caelum imago Dei, non luna, non sol, non siderum pulchritudo, neque quidquam aliud ex iis quae cernuntur secundum naturam. Tu sola facta es effigies naturae, quae omnem superat intelligentiam, similitudo pulchritudinis incorruptibilis."[3] Quibus consentit S. Cyrillus Alexandrinus, cum De ador. in spir. et verit. lib. 12 Deum vocat τὸ ἀκήρατον κάλλος, i. e. pulchritudinem incorruptam, vel potius immixtam, intemeratam: „Quod enim est oculus in terreno corpore, hoc idem in animo mens dici potest, cum divino lumine illustratur, et illam incorruptam pulchritudinem suspicit, ac levi celerique motu cogitationum ad summam illam gloriam optime penetrat."[4]

III. Denique pulchritudo Dei a S. Augustino praecipue laudatur ut **incommutabilis.** Etenim lib. 9 De civ. Dei c. 22 angelos, quoniam

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 168: Τὸ δὲ θεοπρεπὲς κάλλος, ὡς ἁπλοῦν, ὡς ἀγαθόν, ὡς τελεταρχικόν, ἀμιγὲς μέν ἐστι καθόλου πάσης ἀνομοιότητος.

[2] Ibid. 3, 171: Τὸ θεῖον κάλλος ἐστὶ μὲν ἀμιγὲς πρὸς ταῦτα· ὁμοιότης γὰρ καὶ ἰσότης καὶ ταὐτότης, τὸ ἓν καὶ ἑνοποιόν, ἅτε ἁπλοῦν καὶ ἀμιγὲς καὶ ἀσύνθετον· ἀνόμοιον δὲ καὶ ἄνισον, καὶ ἑτερότης, καὶ μικρόν, καὶ ἐν μεταβολῇ, τὸ πρόσυλον.

[3] Ibid. 44, 808: Γνῶθι πόσον ὑπὲρ τὴν λοιπὴν κτίσιν παρὰ τοῦ πεποιηκότος τετίμησαι. Οὐκ οὐρανὸς γέγονεν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, οὐ σελήνη, οὐχ ἥλιος, οὐ τὸ τῶν ἄστρων κάλλος, οὐκ ἄλλο τι τῶν κατὰ τὴν κτίσιν φαινομένων οὐδέν. Μόνη σὺ γέγονας τῆς ὑπερεχούσης πάντα νοῦν φύσεως ἀπεικόνισμα, τοῦ ἀφθάρτου κάλλους ὁμοίωμα.

[4] Ibid. 68, 788: Ὃ γάρ ἐστιν ὀφθαλμὸς τῷ γηΐνῳ σώματι, τοῦτο καὶ ἐν ψυχῇ λέγοιτ' ἂν ὁ νοῦς, φωτὶ μὲν τῷ θείῳ καταλαμπόμενος, καὶ πρὸς αὐτὸ τὸ ἀκήρατον ἀναμύων κάλλος, καὶ ταῖς τῶν ἐννοιῶν ἰσχναῖς οἱονεί πως καὶ εὐστρόφοις κινήσεσιν ἀναθρώσκων εὖ μάλα πρὸς τὸ ἀκριβὲς ἐν δόξῃ.

pulchritudinem Dei immutabilem contemplentur, omnia terrena et mutabilia despicere docet: „Prae Dei non tantum incorporali, verum etiam incommutabili et ineffabili pulchritudine, cuius sancto amore (angeli) inardescunt, omnia quae infra sunt . . . contemnunt.“ [1] Unde etiam lib. 10 Confess. c. 27 Deum nominat pulchritudinem tam antiquam et tam novam: „Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi. Et ecce intus eras et ego foris, et ibi te quaerebam, et in ista formosa deformis irruebam.“ [2] Ceterum iam Plato, ut paulo ante (c. 4) citavimus, pulchritudinem Dei immutabilem esse intellexit „conspiciens admirabile quid ad naturam pulchrum . . . semper exstans, neque exsistens neque interiens, neque crescens neque decrescens, tum non una ex parte pulchrum, altera ex parte deforme . . . sed ipsum per se secum uniusmodi semper esse.“ [3] Quam sententiam S. Augustinus imitatus esse videtur, cum De ver. relig. c. 3 scripsit: „Sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, et eodem modo semper se habentem atque undique sui similem pulchritudinem, nec distantem locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem.“ [4]

§ 3.

Deus a Patribus Ecclesiae dicitur pulchritudo abscondita et inaccessibilis.

I. Mirum non est, quod post tot laudes Patres Ecclesiae, praesertim uterque S. Gregorius et Nazianzenus et Nyssenus, Deum etiam pulchritudinem **absconditam** appellant. Atque ille quidem Nazianzenus Orat. de moder. in disput. n. 15 Deum vocat τὸ ἀπόθετον κάλλος, i. e. pulchritudinem reconditam: „Deus quidem lux est“, inquit, „atque adeo lux omnium sublimissima, cuius perexiguus quidam rivus ac radius ad inferiora pertingens, est lumen id omne quod cernimus, quantumvis splendidum videatur: sed ut vides, caliginem nostram calcat, *et posuit tenebras latibulum suum* (Ps. 17, 12), easque inter se ac nos, quemadmodum olim Moyses velamen inter se et obduratos Israelitas, interiecit, ne sepositam ac reconditam pulchritudinem, qua pauci digni sunt, caliginosa natura facile videat, facileque huiusmodi aspectus compos effecta, facile quoque propter adipiscendi facilitatem amittat.“ [5] Hic vero

[1] *Migne*, Patr. lat. 41, 274. [2] Ibid. 32, 795.

[3] *Astius*, Plato III, 519: κατόψεταί τι θαυμαστὸν τὴν φύσιν καλόν . . . ἀεὶ ὂν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον, οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθῖνον, ἔπειτα οὐ τῇ μὲν καλόν, τῇ δ' αἰσχρόν . . . ἀλλὰ αὐτὸ καθ' αὑτὸ μεθ' αὑτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν.

[4] *Migne*, Patr. lat. 34, 124.

[5] *Migne*, Patr. gr. 36, 190: Φῶς μὲν ὁ Θεός, καὶ φῶς ἀκρότατον, οὗ βραχεῖά τις ἀποῤῥοὴ καὶ ἀπαύγασμα κάτω φθάνον φῶς ἅπαν, κἂν ὑπέρλαμπρον φαίνηται· ἀλλ' ὁρᾷς, γνόφον πατεῖ τὸν ἡμέτερον, „καὶ ἔθετο σκότος ἀποκρυφὴν αὐτοῦ“, μέσον αὐτοῦ τε καὶ ἡμῶν θείς, ὥσπερ καὶ Μωϋσῆς πάλαι τὸ κάλυμμα ἑαυτοῦ τε καὶ τῆς πωρώσεως Ἰσραήλ, ἵνα μὴ ῥᾳδίως ἴδῃ σκοτεινὴ φύσις τὸ ἀπόθετον κάλλος, καὶ ὀλίγων ἄξιον, μηδὲ ῥᾳδίως ἐπιτυχὸν ῥᾳδίως ἀποβάλῃ διὰ τὴν εὐκολίαν τῆς κτήσεως.

Nyssenus De vit. Moys. Deum nuncupat et τὸ ὑπερκείμενον καλόν, i. e. pulchritudinem superiacentem, et τὸ κεκρυμμένον καλόν, i. e. pulchritudinem absconditam. Dictum enim Moysis a Deo petentis: „*Ostende mihi gloriam tuam*“ (Exod. 33, 18) respiciens dicit: „Videtur autem (Moyses) mihi in illud natura pulchrum (τὸ φύσει καλόν) ita affectus fuisse quodam amoris desiderio animi illuc propensi, ut eius exspectatio semper a pulchris quae videntur ad pulchritudinem superiacentem traheretur: ideo quod (animus) a quacunque re pulchra deprehensa in pulchritudinem absconditam semper desiderio accenditur; unde vehemens amator pulchritudinis, eam quam videbat tamquam imaginem illius desideratae esse credens, ipsa forma primigeniae (pulchritudinis) frui desiderabat. Atque id vult audax et in montibus illa petitio, ne per specula quaedam et imagines, sed in faciem frueretur pulchritudine.“ [1]

II. Deinde illos citemus locos, quibus idem Nyssenus Deum τὸ ἀπρόσιτον κάλλος vocat, i. e. pulchritudinem **inaccessibilem,** vel pulchritudinem ad quam non patet accessus. Etenim Homil. 3 in Cant. illud Cant. 1, 11: „*Nardus mea dedit odorem suum*“ explicans asserit, sicut naturam odoris, ita pulchritudinem Dei inaccesam describi non posse, nisi forte mediantibus virtutibus eius et imaginibus: „Una est“, inquit, „quae ex omnibus fit sententia, nempe quod boni superantis omnem intelligentiam per virtutes nobis cognitio inest, sicut per quandam imaginem cogitari potest primaria pulchritudo (τὸ ἀρχέτυπον κάλλος). Ita etiam Paulus, qui est sponsa, per virtutes sponsum imitans, et per speciem in se describens eam ad quam non patet aditus pulchritudinem (τὸ ἀπρόσιτον κάλλος), ex fructibus spiritus, caritate, gaudio et pace, et quae sunt huiusmodi species, hanc nardum componens tamquam unguentarius, dicit in se esse Christi bonum odorem.“ [2] Quare Homil. 1 in Cant. merito nos adhortatur: „Oportet

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 402: Δοκεῖ δέ μοι τὸ τοιοῦτο παθεῖν ἐρωτικῇ τινι διαθέσει πρὸς τὸ φύσει καλὸν τῆς ψυχῆς διατεθείσης, ἣν ἀεὶ ἡ ἐλπὶς ἀπὸ τοῦ ὀφθέντος καλοῦ πρὸς τὸ ὑπερκείμενον ἐπεσπάσατο, διὰ τοῦ πάντοτε καταλαμβανομένου, πρὸς τὸ κεκρυμμένον ἀεὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἐκκαίουσα· ὅθεν ὁ σφοδρὸς ἐραστὴς τοῦ κάλλους, τὸ ἀεὶ φαινόμενον, ὡς εἰκόνα τοῦ ποθουμένου δεχόμενος, αὐτοῦ τοῦ χαρακτῆρος τοῦ ἀρχετύπου ἐμφορηθῆναι ποθεῖ. Καὶ τοῦτο βούλεται ἡ τολμηρά τε καὶ παριοῦσα τοὺς ὅρους τῆς ἐπιθυμίας ἡ αἴτησις, τὸ μὴ διὰ κατόπτρων τινῶν καὶ ἐμφάσεων, ἀλλὰ κατὰ πρόσωπον ἀπολαῦσαι τοῦ κάλλους. Latina apud *Migne* versio nimis libera est, nimirum: „Unde (!) arbitror immenso (!) desiderio atque ardenti erga Deum ita fuisse affectum, quod visionibus sibi enituit (!), ut ferre non posset (!), quin ab iis (!) quae comprehendit, ad occultiora (!) compelleret: quocirca supremae (!) pulchritudinis amator, quod iam viderat, tamquam imaginem eius quod non viderat credens, ipso frui primitivo desiderabat. Id ergo (!) vult audax in monte illo petitio, ne per specula et imagines, sed per veram et propriam (!) faciem frui pulchritudine posset.“ Qui locus aliique, qui infra sequuntur, satis demonstrant opera S. Gregorii Nysseni hucusque accuratiore translatione indigere.

[2] Ibid. 44, 828: Ἓν ἐξ ἁπάντων ἐστὶ τὸ ἐγγινόμενον νόημα, τὸ διὰ τῶν ἀρετῶν ἡμῖν τοῦ πάντα νοῦν ὑπερέχοντος ἀγαθοῦ τὴν γνῶσιν ἐγγίνεσθαι, ὥσπερ ἔστι διὰ

animam oculos defigentem ad inaccessibilem naturae divinae pulchritudinem, tantum illam amare, quantam habet corpus habitudinem ad id quod est ei cognatum et eiusdem generis.“ [1] Et iterum Homil. 4 in Cant. illud Cant. 1, 14: „*Ecce pulchra es, propinqua* (Vulg. *amica*) *mea*“, interpretans, Deum inducit animam sponsam sic alloquentem: „A mali quidem societate recedens mihi appropinquasti; propius autem accedens inaccessibili pulchritudini (τῷ ἀπροσίτῳ κάλλει) ipsa quoque pulchra es, velut speculum quoddam, typo meo conformata.“ [2] Neque casu factum esse arbitror, ut Nyssenus quoties de pulchritudine Dei inaccessibili loquitur, eadem semper utatur voce ἀπρόσιτον, quam etiam S. Paulus adhibet, cum 1 Tim. 6, 16 scribit: Deus „*lucem inhabitat inaccessibilem* (φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον), *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*“

§ 4.

Deus a Patribus Ecclesiae dicitur pulchritudo incomprehensibilis et ineffabilis.

Patres Ecclesiae pulchritudinem Dei neque ulla ratione comprehendi, neque lingua ulla exprimi posse unanimiter docent. Unde comparationes quaerunt atque illustrationes, quibus talis pulchritudo utcunque declaretur.

I. Ac primum quidem Patres Deum pulchritudinem vocant **incomprehensibilem** et **ineffabilem.** Iam Athenagoras, philosophus christianus, Legat. pro Christ. n. 10 Deum luce ac pulchritudine inenarrabili circumdatum esse docet: „Unum ingenitum et aeternum tenemus Deum, invisibilem et impassibilem, qui nec capi aut comprehendi potest, qui sola mente et ratione cognoscitur, ac luce et pulchritudine et spiritu ac potentia inenarrabili circumdatus est.“ [3] Similiter S. Basilius Homil. de Fid. pulchritudinem Dei tantam esse fatetur, ut pro dignitate sermone explicari non possit: „Transcurrens omnia“, inquit, „et supra omnem creaturam rationibus caput extollens, et mente ultra haec

---

τινος εἰκόνος τὸ ἀρχέτυπον κάλλος ἀναλογίσασθαι. Οὕτω καὶ Παῦλος, ἡ νύμφη, ὁ διὰ τῶν ἀρετῶν τὸν νυμφίον μιμούμενος, καὶ ζωγραφῶν ἑαυτῷ διὰ τοῦ βίου τὸ ἀπρόσιτον κάλλος, ἔκ τε τῶν καρπῶν τοῦ πνεύματος, ἀγάπης τε καὶ χαρᾶς, καὶ εἰρήνης, καὶ τῶν τοιούτων εἰδῶν μυρεψῶν ταύτην τὴν νάρδον, Χριστοῦ εὐωδίαν ἔλεγεν ἑαυτὸν εἶναι.

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 774: Χρὴ τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ ἀπρόσιτον τῆς θείας φύσεως κάλλος ἐνατενίζουσαν, τοσοῦτον ἐρᾷν ἐκεῖνον, ὅσον ἔχει τὸ σῶμα τὴν σχέσιν πρὸς τὸ συγγενὲς καὶ ὁμόφυλον.

[2] Ibid. 44, 884: Ἀποστᾶσα μὲν τῆς τοῦ κακοῦ κοινωνίας ἐμοὶ προσήγγισας· πλησιάσασα δὲ τῷ ἀπροσίτῳ κάλλει, καὶ αὐτὴ καλὴ γέγονας, οἷόν τι κάτοπτρον τῷ ἐμῷ χαρακτῆρι ἐμορφωθεῖσα. Apud Migne illa verba πλησιάσασα δὲ τῷ ἀπροσίτῳ κάλλει translata sunt: „appropinquans autem primariae et exemplari pulchritudini“. At τὸ ἀπρόσιτον κάλλος est pulchritudo inaccessibilis.

[3] Ibid. 6, 908: Ἕνα τὸν ἀγέννητον καὶ ἀΐδιον καὶ ἀόρατον καὶ ἀπαθῆ καὶ ἀκατάληπτον καὶ ἀχώρητον, νῷ μόνῳ καὶ λόγῳ καταλαμβανόμενον, φωτὶ καὶ κάλλει καὶ πνεύματι καὶ δυνάμει ἀνεκδιηγήτῳ περιεχόμενον.

superior factus, contemplare divinam naturam . . . gloriam superemicantem, bonitatem desiderabilem, pulchritudinem inexquisitam, quae vehementer quidem sauciatam animam afficiat, sermone autem explicari pro dignitate non possit."[1] Praeclarior est eiusdem Basilii responsio ad interrog. II. Regul. fus. tract., quae de pulchritudine Dei ineffabili haec habet: „Ecquid, quaeso, divina pulchritudine admirabilius? Quae cogitatio magnificentia Dei gratior est et suavior? Quale animi desiderium tam vehemens est et violentum, quam illud quod a Deo ingeneratur animae vitio omni purgatae et dicenti ex vero affectu: *Vulnerata caritatis ego sum* (Cant. 2. 5)? Ineffabiles omnino sunt et inenarrabiles divinae pulchritudinis fulgores: non eas detegit oratio, non excepit auris."[2] — Neque minus elegantia sunt, quae eadem de re S. Gregorius Nyssenus Homil. 1 in Cant. disserit: „Quis est enim", inquit, „qui hanc non amet pulchritudinem, si solummodo habeat oculum quem possit defigere in venustatem et decorem? Non est quidem magna quae comprehenditur pulchritudo, est autem infinitis partibus maior ea, cuius per id quod apparet facimus coniecturam. . . . Sola autem ea anima, quae . . . ad spiritualis aetatis florem pervenit ac vigorem, nec maculam accepit aut rugam, aut aliquid huiusmodi . . . ea paret magno et primo praecepto legis, toto corde et totis viribus diligens illam pulchritudinem, cuius descriptionem et exemplum et interpretationem humana non invenit cogitatio."[3] Immo aliquanto ante in ead. Homil. 1 in Cant. Deum expresse vocat τὸ ἄφραστον κάλλος, i. e. pulchritudinem ineffabilem. Inquirens enim, quare auctor Proverbiorum pulchritudinem sapientiae divinae multis coloribus et figuris effinxerit, ita respondet: „Et sic ei (discipulo) incipit describere sapientiam multis coloribus et figuris interpretans ineffabilis pulchritudinis speciem ac decorem (τοῦ ἀφράστου κάλλους τὴν ὥραν), ne ullo metu aut necessitate, sed cupiditate et desiderio excitetur ad

[1] *Migne,* Patr. gr. 31, 466: Διαδραμὼν τὰ σύμπαντα, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν τὴν κτίσιν ἀνανεύσας τοῖς λογισμοῖς, καὶ ἐπέκεινα τούτων τὸν νοῦν ἀνυψώσας, ἐννόησον τὴν θείαν φύσιν . . . δόξαν ὑπεραστράπτουσαν, ἀγαθότητα ἐπιθυμητήν, κάλλος ἀμήχανον σφοδρῶς μὲν τῆς τετρωμένης ψυχῆς καθαπτόμενον, λόγῳ δὲ δηλωθῆναι πρὸς ἀξίαν ἀδύνατον. Latinam versionem apud Migne reddidimus paulo accuratiorem.

[2] Ibid. 31, 910: Τί οὖν κάλλους θείου θαυμασιώτερον; Τίς ἔννοια τῆς τοῦ Θεοῦ μεγαλοπρεπείας χαριεστέρα; Ποῖος πόθος ψυχῆς οὕτω δριμὺς καὶ ἀφόρητος, ὡς ὁ ἀπὸ Θεοῦ ἐγγινόμενος τῇ ἀπὸ πάσης κακίας κεκαθαρμένῃ ψυχῇ, καὶ ἀπὸ ἀληθινῆς διαθέσεως λεγούσῃ, ὅτι „Τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ εἰμι"; Ἄῤῥητοι παντελῶς καὶ ἀνεδιήγητοι τοῦ θείου κάλλους αἱ ἀστραπαί· οὐ παρίστησι λόγος, οὐ δέχεται ἀκοή.

[3] Ibid. 44, 788: Τίς γὰρ τοιούτου κάλλους ἀνέραστος γίνεται, εἰ μόνον ὀφθαλμὸν ἔχοι τὸν ἐνατενίσαι τῇ ὥρᾳ δυνάμενον; Οὐ πολὺ μὲν τὸ καταλαμβανόμενον κάλλος, ἀπειροπλάσιον δὲ τὸ διὰ τοῦ φαινομένου στοχαστικῶς εἰκαζόμενον. . . . Μόνη δὲ ἡ τοιαύτη ψυχὴ ἡ . . . διὰ τῆς πνευματικῆς ἡλικίας ἀκμάσασα, μὴ προσλαβοῦσα σπίλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων . . . αὕτη πείθεται τῇ μεγάλῃ καὶ πρώτῃ ἐντολῇ τοῦ νόμου, ἐξ ὅλης καρδίας τε καὶ δυνάμεως ἀγαπῶσα τὸ κάλλος ἐκεῖνο, οὗ ὑπογραφὴν καὶ ὑπόδειγμα καὶ ἑρμηνείαν οὐχ εὑρίσκει ἡ ἀνθρωπίνη διάνοια.

bonorum participationem."[1] — S. Ioannes quoque Chrysostomus Paraen. ad Theodor. laps. I pulchritudinem Dei fatetur omnem sermonem et mentem effugere: „De rege (Deo) enim, qualis sit, ne dicere quidem possumus; adeo sermonem et mentem omnem excedit eius pulchritudo (κάλλος), species (ὡραιότης), splendor, gloria, maiestas, magnificentia."[2] Neque aliter sentit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1 in Ioan. Evang. c. 9 dicens: „Igitur mentis subtilitate et acumine variam quidem naturae divinae pulchritudinem contemplamur, sed de ipsa humano modo et nostro more loquimur, cum illius veritatis cacumen assequi lingua non possit."[3] — Immo ne angeli quidem illam pulchritudinem divinam effari possunt, licet eadem per caritatem contemplando perfruantur, teste S. Augustino, qui Serm. 12, c. 4 dicit: „Veritas autem Deus est", quae multis modis locuta est hominibus, nec non angelis, „qui eius ineffabili specie et pulchritudine per mirabilem caritatem contemplando perfruuntur."[4]

II. Iam vero ingenium humanum tale est, ut ea, quae nec mente perscrutari nec lingua exprimere valet, saltem similitudinibus quibusdam et comparationibus studeat, quantum fieri potest, illustrare atque declarare. Hinc etiam Ecclesiae Patres imagines figurasque captarunt, quibus tantam pulchritudinem prorsus incomprehensibilem et ineffabilem quoquo modo patefacerent.

Atque S. Basilius quidem Homil. 6 in Hexaëm. n. 1 pulchritudinem Dei cum pulchritudine istius solis mundani comparat: „Si sol ille corruptioni obnoxius", inquit, „adeo pulcher est et adeo magnus, cum velox ad motum, tum ordinatos circuitus explens, magnitudinem quidem ad universum ita accommodatam nactus, ut eam quam universo habet, proportionem non excedat, sua vero pulchritudine tamquam naturae oculus quidam pellucidus res creatas condecorans: huius si insatiabilis est aspectus, quali pulchritudine *sol iustitiae* (Malach. 4, 2) praeditus est? Si hunc solem non conspicere caeco detrimentum est, quale est peccatori dispendium luce vera carere?"[5]

---

[1] ***Migne***, Patr. gr. 44, 767: Καὶ οὕτως ὑπογράφειν ἄρχεται τὴν σοφίαν αὐτῷ ποικίλως τε καὶ πολυειδῶς τοῦ ἀφράστου κάλλους διερμηνεύων τὴν ὥραν· μὴ φόβῳ τινὶ καὶ ἀνάγκῃ, ἀλλὰ ἐπιθυμίᾳ καὶ πόθῳ πρὸς τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν διαναστῆναι.

[2] Ibid. 47, 292: Περὶ γὰρ τοῦ βασιλέως οὐδὲ εἰπεῖν ἔνι οἷός ἐστιν· οὕτως ἅπαντα λόγον καὶ νοῦν ἐκεῖνο διαφεύγει τὸ κάλλος, ἡ ὡραιότης, ἡ λαμπρότης, ἡ δόξα, ἡ μεγαλοσύνη, ἡ μεγαλοπρέπεια.

[3] Ibid. 73, 161: Οὐκοῦν ὅσον ἧκεν εἰς λεπτότητα νοῦ, καὶ τὴν ὀξεῖαν ἐν αὐτῷ κίνησιν, τὸ ποικίλον τῆς θείας φύσεως κατεθεώμεθα κάλλος· λαλοῦμεν δὲ περὶ αὐτῆς ἀνθρωπινώτερον, καὶ λόγῳ τῷ καθ' ἡμᾶς, οὐκ ἐχούσης τῆς γλώττης πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας ἐκτείνεσθαι μέτρον.

[4] ***Migne***, Patr. lat. 38, 102.

[5] ***Migne***, Patr. gr. 29, 119: Εἰ ὁ τῇ φθορᾷ ὑποκείμενος ἥλιος οὕτω καλός, οὕτω μέγας, ὀξὺς μὲν κινηθῆναι εὐτάκτους δὲ τὰς περιόδους ἀποδιδούς, σύμμετρον μὲν ἔχων τὸ μέγεθος τῷ παντί, ὥστε μὴ ἐκβαίνειν τὴν πρὸς τὸ ὅλον ἀναλογίαν, τῷ δὲ κάλλει τῆς φύσεως οἷόν τις ὀφθαλμὸς διαυγὴς ἐμπρέπων τῇ κτίσει· εἰ ἀκόρεστος τούτου θέα, ποτα-

Attamen si pulchritudo Dei cum pulchritudine solis confertur, magis dissimilitudo est quam similitudo, ut idem Basilius Regul. fus. tract. Respons. ad interrog. II. commemorat dicens: „Ineffabiles omnino sunt et inenarrabiles divinae pulchritudinis fulgores. . . . Etsi luciferi splendores dixeris, et lunae claritatem, et solis lumen, omnia prae illius gloria vilia sunt et obscura, atque cum vera luce comparata, magis distant ab illa, quam profunda tristisque ac illunis nox a clarissimo meridie dissidet.“ [1]

Porro S. Gregorius Nyssenus De virginit. c. 10 tantum abesse censet, ut pulchritudo totius mundi cum pulchritudine Dei conferri possit, ut ad summum liceat minimam scintillam cum magno sole, aut stillam parvam cum immenso pelago comparare. „Quanta enim iactura fiat“, inquit, „cum quis e verae pulchritudinis (τοῦ ὄντως καλοῦ) possessione cadit, quae oratio hoc explicaret? quantave mentis esset adhibenda praestantia? . . . Nos propria verba, quae illius pulchritudinis speciem significarent, non didicimus; non ullum eius, de quo quaeritur, exstat exemplum: comparatione vero aliqua hoc ipsum illustrari difficile sane est. Quis enim parvae scintillae solem comparat? aut parvam stillam cum immensa aquarum voragine confert? nullam enim comparationem habet neque cum voragine gutta, neque cum solis radiis minima scintilla. Eodem modo se habent omnia quaecunque homines tamquam pulchra admirantur comparatione facta cum illa pulchritudine, quae circa illud primum bonum et ultra omne bonum conspicitur.“ [2] Iam Plato rem aliquam pulchram, quacum Dei pulchritudinem forsitan conferre possit quaerens atque investigans, Deum appellat τὸ πολὺ πέλαγος τοῦ καλοῦ, i. e. magnum pulchritudinis pelagus, in cuius quasi altum navicula animae omnibus rebus relictis vehi atque rapi debeat. Diotima enim, mulier illa Mantinensis, quomodo a pulchris corporibus gradatim

πὸς τῷ κάλλει ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος; Εἰ τυφλῷ ζημία τοῦτον μὴ βλέπειν, ποταπὴ ζημία τῷ ἁμαρτωλῷ τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς στερηθῆναι;

[1] *Migne*, Patr. gr. 31, 910: Ἄῤῥητοι παντελῶς καὶ ἀνεκδιήγητοι τοῦ θείου κάλλους αἱ ἀστραπαί. . . . Κἂν ἑωσφόρου αὐγὰς εἴπῃς, κἂν σελήνης λαμπρότητα, κἂν ἡλίου φῶς, πάντα ἄτιμα πρὸς εἰκασίαν τῆς δόξης, καὶ πλέον ἀπολειπόμενα πρὸς τὴν τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς σύγκρισιν, ἢ καθόσον βαθεῖα νύξ, καὶ στυγνὴ σκοτομήνη μεσημβρίας καθαρωτάτης.

[2] Ibid. 46, 360 et 362: Ὅση γάρ ἐστιν ἡ ζημία ἐν ἀποπτώσει γενέσθαι τῆς τοῦ ὄντως καλοῦ κτήσεως, τίς ἂν παραστήσειε λόγος; ποίᾳ δ' ἄν τις χρήσαιτο διανοίας ὑπερβολῇ; . . . Ἰδίας φωνὰς σημαντικὰς ἐκείνου τοῦ κάλλους οὐ μεμαθήκαμεν· ὑπόδειγμα τοῦ ζητουμένου ἐν τοῖς οὖσιν οὐκ ἔστιν οὐδέν· ἐκ συγκρίσεώς γε μὴν αὐτὸ δηλωθῆναι ἀμήχανον. Τίς γὰρ ὀλίγῳ σπινθῆρι προσεικάζει τὸν ἥλιον, ἢ ῥανίδα βραχεῖαν πρὸς τὴν τῶν ἀβύσσων ἀπειρίαν ἀνθίστησιν; Ὃν γὰρ ἔχει λόγον πρὸς τὰς ἀβύσσους ἡ ὀλίγη σταγών, ἢ πρὸς τὴν μεγάλην ἀκτῖνα τοῦ ἡλίου τὸ μικρὸν σπινθηράκιον· οὕτω διάκειται καὶ πάντα τὰ παρὰ τῶν ἀνθρώπων ὡς καλὰ θαυμαζόμενα πρὸς ἐκεῖνο τὸ κάλλος, ὃ περὶ τὸ πρῶτον ἀγαθὸν καὶ τὸ ἐπέκεινα παντὸς ἀγαθοῦ θεωρεῖται. Versio Latina apud Migne verba ultima: πρὸς ἐκεῖνο τὸ κάλλος, ὃ περὶ τὸ πρῶτον ἀγαθὸν καὶ τὸ ἐπέκεινα παντὸς ἀγαθοῦ θεωρεῖται, non verbum de verbo reddit, sed solum sensum ita exhibet: „comparatione facta cum eo quod omne pulchrum et bonum excedit.“

per animas et scientias et virtutes pulchras ad pulchritudinem tandem ipsam seu divinam ascendatur, Socrati in „Convivio" perpulchre ita explicat: (Philosophus) „intuens pulchritudinem late patentem iam non unius, sicut servus, diligat pulchritudinem vel hominis alicuius vel studii unius eique addictus vilem se exhibeat atque pusillum, sed ad magnum pulchritudinis pelagus conversus . . . spectans ordine et recte pulchra, ad finem iam pergens amatoriorum repente conspiciet admirabile quid ad naturam pulchrum." [1] Quod „admirabile ad naturam pulchrum" nihil aliud est nisi ipsa pulchritudo divina, vel ut comparatione Platonis utamur, magnum illud pulchritudinis pelagus.

§ 5.

Deus a Patribus Ecclesiae dicitur pulchritudo vera et intelligibilis.

Deus, ut supra (c. 4 huius Partis) demonstravimus, est τὸ ὄντως καλόν, i. e. pulchritudo essentialis, vel potius illud essentialiter pulchrum. Quodsi Patres Ecclesiae Deum etiam pulchritudinem veram appellant, haec sententia ab illa non differt, nisi in eo, quod res sub alio conspectu consideratur. Omnes enim creaturae, quae a nobis pulchrae habentur, quodammodo sunt vestigia tantum, vel umbrae, vel imagines pulchritudinis; solus autem Deus est pulchritudo vera. Porro, ut omnia quae vera sunt, rationem ad intellectum habent ideoque intelligibilia vocantur: ita Deus, quoniam pulchritudo est vera, etiam pulchritudo intelligibilis sit necesse est.

I. Et profecto Patres Deum non raro appellant pulchritudinem **veram.** Ita S. Basilius Homil. in Ps. 29, n. 5 dicit: „Pulchritudo vera (κάλλος ἀληθινόν) et amabilissima, quam is solus qui puram mentem habet, contemplari potest, circa divinam ac beatam naturam consistit. Cuius fulgores et gratias qui intente conspexerit, ab ea velut aliqua tinctura nonnihil mutuatur, floridum quendam splendorem in propriam faciem imprimens. Unde et Moysis facies, simul atque ex familiari cum Deo congressu pulchritudinis illius particeps fuit, clarificata est." [2] Et iterum Homil in Ps. 44, n. 6: „Beati igitur, qui contemplandae verae illius pulchritudinis (τοῦ ἀληθινοῦ κάλλους) sunt cupidi." [3] Quibus consentit S. Gregorius Nyssenus, cum Homil. 4 in Cant. notat animam peccatricem, si ad pulchritudinem veram accedat, venustatem suam perditam recuperare: „Docet . . . oratio hanc pulchritu-

[1] *Astius*, Plato III, 517. Textum Graecum vide supra c. 4, n. 1 huius Partis.

[2] *Migne*, Patr. gr. 29, 318: Κάλλος δὲ ἀληθινόν, καὶ ἐρασμιώτατον, μόνῳ τῷ τὸν νοῦν κεκαθαρμένῳ θεωρητόν, τὸ περὶ τὴν θείαν καὶ μακαρίαν φύσιν. Οὗ ὁ ἐναντενίσας ταῖς μαρμαρυγαῖς καὶ ταῖς χάρισι, μεταλαμβάνει τι ἀπ' αὐτοῦ, ὥσπερ ἀπό τινος βαφῆς, αὐγήν τινα ἀνθηρὰν εἰς τὴν οἰκείαν ὄψιν ἀναχρωννύμενος. Ὅθεν καὶ Μωϋσῆς, τῷ μετεσχηκέναι τοῦ κάλλους ἐκείνου ἐν τῷ ὁμιλεῖν Θεῷ, ἐδοξάσθη τὸ πρόσωπον.

[3] Ibid. 29, 402: Μακάριοι οὖν οἱ τοῦ ἀληθινοῦ κάλλους φιλοθεάμονες.

dinis esse resumptionem, quod appropinquet (anima) fonti pulchritudinis, et accedat rursus ad veram pulchritudinem, a qua recessit." [1]

In Ecclesia quoque occidentali S. Ambrosius De Isaac et anim. c. 8 Deum fatetur „magnum illum et verum decorem esse": „Assuescamus", inquit, „nostros (oculos) videre quae dilucida et clara sunt, spectare vultum continentiae et temperantiae, omnesque virtutes, in quibus nihil scabrum, nihil obscurum et tortuosum sit. . . . Nemo bonus nisi unus Deus. Hic est oculus, qui magnum illum et verum decorem **intuetur.**" [2] Similiter S. Augustinus lib. 1 De ord. c. 8 Deum pulchritudinem esse censet verissimam, quam pro natura sua quaeque res imitetur: „Ubi non lex? ubi non meliori debitum imperium? ubi non umbra constantiae? ubi non imitatio verissimae illius pulchritudinis?" [3] — Mirabile est dictu, quod iam Plato cognovit Deum pulchritudinem veram esse, quae omnia ad se trahat. Ait enim in „Phaedro": „Si quis, pulchritudine hic exstante conspecta, verae illius recordans pennis rursus instruitur hisque instructus evolare gestit." [4]

II. Adde quod Ecclesiae Patres Deum vocant etiam pulchritudinem **intelligibilem.** Neque enim pulchritudo Dei, quatenus vera est, oculo carnis videri potest, sed sola mentis acie intelligitur. Quocirca S. Gregorius Nyssenus De virginit. c. 11 Deum merito appellat τὸ νοητὸν κάλλος, i. e. pulchritudinem intelligibilem. „Qui mente quidem imperfectus est", inquit, „cum aliquid cernit, quod speciem pulchritudinis cuiusdam prae se fert, illud ipsum pulchrum sua natura esse opinabitur, quod quidam voluptate sensus eius affecerit: nihilque supra hoc requirit. Sed qui integerrimo est animi oculo et eiusmodi res inspicere potest, is materiam relinquens pulchri formae subiectam, eo, quod oculis cernitur, quasi fundamento aliquo utetur ad contemplationem illius pulchritudinis, quae mente intelligitur (πρὸς τὴν τοῦ νοητοῦ κάλλους θεωρίαν), cuius communione reliqua pulchra sunt atque nominantur. Mihi vero difficile esse videtur, cum plerique obtusa mentis acie sint, eos qui sermone materiam disiungunt, et a pulchritudine illa secernunt, quae aspicitur, posse ipsam per se pulchritudinis naturam cognitam habere." [5] His ultimis verbis Nyssenus exprimere videtur.

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 831: Παιδεύει . . . ὁ λόγος ταύτην εἶναι τοῦ κάλλους τὴν ἐπανάληψιν, τὸ πλησίον γενέσθαι τῆς τοῦ καλοῦ πηγῆς, καὶ προσεγγίσαι πάλιν τῷ ἀληθινῷ κάλλει, οὗ ἀπεφοίτησε. In Latina versione apud Migne verba media τὸ πλησίον γενέσθαι τῆς τοῦ καλοῦ πηγῆς translata non sunt, sed omissa.

[2] *Migne*, Patr. lat. 14, 532. [3] Ibid. 32, 989.

[4] *Astius*, Plato I, 179: Ὅταν τὸ τῇδέ τις ὁρῶν κάλλος, τοῦ ἀληθοῦς ἀναμιμνησκόμενος, ἀναπτερῶταί τε καὶ ἀναπτερούμενος προθυμῆται ἀναπτέσθαι.

[5] *Migne*, Patr. gr. 46, 368: Ὁ μὲν ἀτελὴς τὴν διάνοιαν, ἐπειδὰν ἴδῃ τι πρᾶγμα ᾧ κάλλους τινὸς περικέχυται φαντασία, αὐτὸ ἐκεῖνο καλὸν εἶναι τῇ ἑαυτοῦ φύσει οἰήσεται, ὅπερ ἂν τὴν αἴσθησιν αὐτοῦ δι' ἡδονῆς ἐπισπάσηται, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τοῦτο πλέον περιεργάζεται. Ὁ δὲ κεκαθαρμένος τὸν τῆς ψυχῆς ὀφθαλμόν, καὶ δυνατὸς τὰ τοιαῦτα βλέπειν, χαίρειν ἐάσας τὴν ὕλην τὴν ὑποβεβλημένην τῇ τοῦ καλοῦ ἰδέᾳ, οἷον ἀποβάθρᾳ τινὶ τῷ

notionem pulchritudinis abstractam nondum esse pulchritudinem ipsam atque per se, quandoquidem ii, qui notionem pulchritudinis a materia seiunctae concipiunt, ultra autem non progrediuntur, naturam ipsius pulchritudinis essentialis cognitam atque perspectam minime habent. S. Augustinus quoque lib. 10 De civ. Dei c. 14 Deum laudibus extollit illam pulchritudinem intelligibilem, cuius vestigia usque ad haec terrena et ima pertingant: „De providentia", inquit, „certe Plotinus Platonicus disputat, eamque a summo Deo, cuius est intelligibilis et ineffabilis pulchritudo, usque ad haec terrena et ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat." [1]

Neque tamen pulchritudo Dei eo sensu dicitur intelligibilis, ut plene ac perfecte intelligi a nobis possit — siquidem supra demonstravimus pulchritudinem Dei esse incomprehensibilem et inaccessam —, sed ita intelligibilis est, ut neque intelligentiam nostram omnino effugiat, neque prorsus a mente nostra comprehendatur. Quod ipsum S. Hilarius insigni calamo expressit, cum lib. 1 De Trinit. n. 7 scripsit: „Nonne huius ipsius (mundi) pulchritudinis Dominum necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum intelligi, ut, cum aeterni ornatus sui species sensum intelligentiae omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiae sensus non relinquat ornatus? Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus, ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi." [2]

§ 6.

Deus a Patribus Ecclesiae dicitur pulchritudo amabilissima et valde desiderabilis.

Ecclesiae Patres pulchritudinem Dei amabilissimam et valde desiderabilem eodem appellant iure, quo veram et intelligibilem eam antea vocaverunt. Nam ut plus semel diximus, quidquid pulchrum est, non solum vim cognoscitivam respicit, sed etiam appetitivam (cf. supra Lib. I, Parte I, c. 2, § 2); id quod iam Plato in „Phaedro" ita expressit: „Pulchritudo sola hanc nacta sortem est, ut dilucidissima sit atque amabilissima." [3] Quae sententia, ut apparet, cum ad pulchritudinem quamlibet pertinet, tum maxime ad pulchritudinem divinam.

I. Sed ut ad Patres Ecclesiae redeamus, ipsi de pulchritudine **amabilissima** et **valde desiderabili** praeclara docent. Clemens enim

---

ὁρωμένῳ χρῆται, πρὸς τὴν τοῦ νοητοῦ κάλλους θεωρίαν, οὗ κατὰ μετουσίαν τὰ ἄλλα καλὰ γίνεταί τε καὶ ὀνομάζεται. Δοκεῖ δέ μοι χαλεπὸν εἶναι, τῶν πλείστων τῇ τοιαύτῃ παχύτητι τῆς διανοίας συζώντων, τὸ διατεμόντας τῷ λόγῳ καὶ χωρίσαντας τὴν ὕλην ἀπὸ τοῦ καλοῦ τὴν φύσιν κατανοῆσαι. Latinam versionem paulo emendavi.

[1] *Migne*, Patr. lat. 41, 292. [2] Ibid. 10, 80.

[3] *Astius*, Plato I, 181: Κάλλος μόνον ταύτην ἔσχε μοῖραν, ὥστ' ἐκφανέστατον εἶναι καὶ ἐρασμιώτατον.

Alexandrinus e. gr. lib. 6 Strom. c. 9 hominem iustum, dummodo per caritatem pulchritudinem divinam amplectatur, nihil amplius expetere censet: „Qui per caritatem“, inquit, „in iis, in quibus est futurus, iam versatur spem anticipans per cognitionem, neque quidquam expetit possidens, quoad fieri potest, quod est expetendum . . . neque ergo vehementer ardebit studio ut assimiletur pulchris, cum habeat per caritatem ipsam pulchritudinem.“ [1] Itaque haec pulchritudo divina, quoniam hominem iustum iam in terris quasi beatum reddit, amabilissima sit necesse est. Sed quid dicam S. Basilius Deum expresse vocat et τὸ κάλλος ἐρασμιώτατον, i. e. pulchritudinem amabilissimam, et τὸ πολυπόθητον κάλλος, i. e. pulchritudinem valde desiderabilem. Ait enim Homil. in Ps. 29, ut iam §° praecedente citavimus: „Pulchritudo vera et amabilissima . . . circa divinam ac beatam naturam consistit.“ Et Homil. 1 in Hexaëm. dicit: Deus, qui „*in principio fecit caelum et terram*“, est illa „beata natura, bonitas invidiae expers, idipsum quod omnibus rationis participibus est amabile, pulchritudo valde desiderabilis.“ [2] In hanc pulchritudinem homines sancti magno vehebantur desiderio, ut idem Basilius Regul. fus. tract. Respons. ad interrog. II testatur: „Pulchritudo haec carneis quidem oculis conspici non potest, sed a sola anima ac mente apprehenditur. Ea si quando quempiam sanctorum illustravit, statim intolerandum in ipsis reliquit desiderii stimulum: quippe qui praesentis vitae pertaesi dicebant: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (Ps. 119, 5). *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*“ (Ps. 41, 3.) [3] Cuius desiderii excitandi causa etiam auctor Proverbiorum pulchritudinem sapientiae divinae „multis coloribus et figuris“ descripsit, eo fine ut discipuli magna erga illam cupiditate afficerentur. Etenim S. Gregorius Nyssenus, ut eius verba repetamus, Homil. 1 in Cant. egregie monet: „Et sic ei (discipulo) incipit describere sapientiam, multis coloribus et figuris interpretans ineffabilis pulchritudinis speciem ac decorem, ne ullo metu aut necessitate, sed cupiditate et desiderio excitetur ad bonorum participationem. Nam descriptio pulchritudinis attrahit omnem iuvenum cupiditatem ad id quod ostenditur, accendens desiderium ut sit particeps speciei ac decoris (τῆς ὥρας). Ut ergo ei magis augeatur

[1] *Migne,* Patr. gr. 9, 295: Ὁ δ' ἐν οἷς ἔσται δι' ἀγάπης ἤδη γενόμενος, τὴν ἐλπίδα προειληφὼς διὰ τῆς γνώσεως οὐδὲ ὀρέγεταί τινος, ἔχων, ὡς οἷόν τε, αὐτὸ τὸ ὀρεκτόν . . . οὐδ' ἄρα ζηλώσει ἐξομοιωθῆναι τοῖς καλοῖς εἶναι, δι' ἀγάπης ἔχων τοῦ κάλλους. Latinam apud Migne versionem paulo emendavi.

[2] Ibid. 29, 10: Ἡ μακαρία φύσις, ἡ ἄφθονος ἀγαθότης, τὸ ἀγαπητὸν πᾶσι τοῖς λόγου μετειληφόσι, τὸ πολυπόθητον κάλλος. In versione Latina ἡ ἄφθονος ἀγαθότης translata est „ingens bonitas“, tamen verbotenus sonat „bonitas invidiae expers“.

[3] Ibid. 31, 910: Τοῦτο τὸ κάλλος σαρκίνοις μὲν ὀφθαλμοῖς ἀθεώρητον, ψυχῇ δὲ μόνῃ καὶ διανοίᾳ καταληπτόν, εἴ πού τινα περιέλαμψε τῶν ἁγίων, καὶ ἀφόρητον τοῦ πόθου τὸ κέντρον αὐτοῖς ἐγκατέλιπεν, οἳ ἀλύοντες πρὸς τὴν ἐνταῦθα ζωὴν ἔλεγον· „Οἴ μοι, ὅτι ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη. Πότε ἥξω καὶ ὀφθήσομαι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ;“

cupiditas a materiali traducta affectione ad materiae expertem habitudinem, ornat laudibus sapientiae pulchritudinem." [1] „Neque timeas" inquit Robertus Cardinalis Bellarminus, „ex vehementi amore pulchritudinis illius inquinari; amor enim divinae pulchritudinis perficit corda, non inficit, sanctificat, non inquinat." [2]

II. S. Ambrosius, ut hanc de Dei pulchritudine doctrinam magis magisque illustraret, varia **exempla** per sacras Litteras investigavit. Atque inter alia adduxit exemplum Moysis servi Dei, et Eliae prophetae, et Petri apostoli in monte transfigurationis beati.

Ac de Moyse quidem, qui a Deo petebat: „*Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*" (Exod. 33, 13), et iterum: „*Ostende mihi gloriam tuam*" (Exod. 33, 18) — s. Doctor In ps. 118 serm. 8 haec concinne scribit: „Viderat angelum illum et faciem eius in gloria. Denique fulgente eius lumine, pavefactus est, et vidit rubum uri, et non exuri. Visum coepit fulgoremque mirari: accessit cupiditate et gratia provocatus, ut diligentius fulgorem illum in rubo consideraret. Itaque si tantum accepit ardorem, tantam subiit cupiditatem, cum angelum vidisset in flamma ignis de rubo, ut licet pavore apprehensus considerare non auderet, considerare tamen vellet: quanto magis vultum Domini corporaliter videre desiderabat, dicens intra se vultum illum plenum lucis, plenum gloriae, plenum virtutis, plenum divinitatis. Non plus possum dicere vel sentire de Deo." [3] Ut statim exempla Eliae prophetae et Petri apostoli adiungamus, idem Ambrosius Epist. (29) ad Irenaeum haec habet: „*Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel* et favum *ori meo!* (Ps. 118, 103.) Quid enim aliud desiderat anima, quae semel suavitatem Verbi gustaverit, quae semel claritatem eius viderit? Moyses in monte positus quadraginta diebus Legem accipiens, cibum corporis non requirebat (Exod. 34, 28): Elias ad illam festinans requiem, rogabat ut acciperetur a se anima sua (3 Reg. 19, 4): Petrus aspiciens, et ipse in monte, dominicae resurrectionis gloriam, nolebat descendere, dicens: ***Domine, bonum est nos hic esse*** (Matth. 17, 4). Quanta igitur illa divinae substantiae gloria, quanta Verbi bona, in quae concupiscunt et angeli prospicere (1 Petr. 1, 12)!" [4] Quapropter talem ac tantam gloriam et pulchritudinem Dei vehementer desiderans S. Augustinus lib. 1 Soliloqu. c. 10 de se ipso fatetur: „Quanto augetur spes videndae illius cui vehementer aestuo pulchritudinis, tanto ad illam totus amor voluptasque convertitur." [5]

III. Immo vero vel ipse Deus secundum mentem Patrum pulchritudinem suam amabilissimam infinite perpetuoque desiderat ac purissimo

[1] ***Migne***, Patr. gr. 44, 767. Textum Graecum vide supra Lib. I, Parte II, c. 2, § 2, n. 2.

[2] In cit. opusc. De ascensione mentis in Deum per scal. rer. creat. Grad. II, c. 5 (p. 47).

[3] ***Migne***, Patr. lat. 15, 1801. [4] Ibid. 16, 1057. [5] Ibid. 32, 879.

amore amplectitur. Amor enim divinus, ut Dionysius Pseudo-Areopagita De caelest. hierarch. c. 2, § 4 docet, nihil aliud est nisi constans desiderium pulchritudinem divinam contemplandi eaque perfruendi: „Divinus amor stabile est atque constans desiderium superessentialiter purae atque impassibilis contemplationis et communionis verae, sempiternae ac spiritualis, sublimissimae purissimaeque claritatis, et infallibilis pulchrificaeque venustatis.“ [1] Quem locum „Paraphrasis“ Pachymerae ita interpretatus est: „Quando autem concupiscentiam rebus spiritualibus attribuimus, divinus amor cogitandus rei supra rationem ac mentem immaterialis atque indeficiens desiderium contemplationis quae passionis expers sit, nec non aeternae omnino ac spiritualis communionis illius purae claritatis et occulti atque divini decoris (θεΐαν εὐπρέπειαν). Rursum, incontinentia in nobis quidem est quidam impetus, quo in aliquid tumultuario modo ferimur; in illis vero constantia est, quae a nemine infringi possit, propter suum simplicem ac purum et in nullo exorbitantem divinae pulchritudinis amorem (τῆς θείας καλλονῆς ἔρωτα) et totalem impetum in id quod vere amabile exsistit.“ [2]

Rationem autem, cur amor divinus constanti desiderio in pulchritudinem divinam feratur, S. Gregorius Nyssenus De anim. et resurr. ita explicare conatus est: „Nam et vita superae naturae“, inquit, „amor est, quoniam pulchrum amabile omnino est noscentibus; cognoscitur autem id a numine divino; notitia vero in amorem convertitur. Propterea quod pulchrum a natura est id, quod cognoscitur; id autem, quod vere pulchrum (τὸ ἀληθῶς καλόν) est, a petulante satietate non attingitur; satietate autem affectum amoris in id, quod pulchrum est, non interrumpente, semper divina per amorem exigetur vita, quae pulchra et secundum naturam est, et amantem in pulchrum e natura se habet, et terminum actionis diligendi non habet, quoniam nec pulchri quidem aliquis finis deprehenditur, ut una cum fine pulchri amor quoque desinat; nam solo contrario pulchrum finitur.“ [3] Deus ergo pulchritudinem naturae suae amare nunquam desinit, quia haec ipsa pulchritudo nunquam finem habet; vel aliis verbis: Pulchritudo Dei infinita est et

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 143: ἔρωτα θεῖον . . . τὴν ἀκλινῆ καὶ ἀνέδοτον ἔφεσιν τῆς πρὸς ἐκείνην τὴν καθαρὰν καὶ ἀκροτάτην διαύγειαν, καὶ τὴν ἀπλανῆ καὶ καλλοποιὸν εὐπρέπειαν αἰωνίας ὄντως καὶ νοητῆς κοινωνίας.

[2] Ibid. 3, 158.

[3] Ibid. 46, 95: Ἡ τε γὰρ ζωὴ τῆς ἄνω φύσεως ἀγάπη ἐστίν, ἐπειδὴ τὸ καλὸν ἀγαπητὸν πάντως ἐστὶ τοῖς γινώσκουσι· γινώσκει δὲ αὐτὸ τὸ θεῖον· ἡ δὲ γνῶσις ἀγάπη γίνεται. Διὸ τὸ καλὸν ἐστι τῇ φύσει τὸ γινωσκόμενον, τοῦ δὲ ἀληθῶς καλοῦ ὁ ὑβριστὴς οὐ προσάπτεται κόρος· κόρου δὲ τὴν ἀγαπητικὴν πρὸς τὸ καλὸν σχέσιν οὐ διακόπτοντος, ἀεὶ ἡ θεία ζωὴ δι᾽ ἀγάπης ἐνεργηθήσεται, ἣ καλή τε κατὰ φύσιν ἐστί, καὶ ἀγαπητικῶς πρὸς τὸ καλὸν ἐκ φύσεως ἔχει, καὶ ὅρον τῆς κατὰ τὴν ἀγάπην ἐνεργείας οὐκ ἔχει, ἐπειδὴ οὐδὲ τοῦ καλοῦ τι πέρας καταλαμβάνεται, ὡς συναπολήγειν τῷ πέρατι τοῦ καλοῦ τὴν ἀγάπην· μόνῳ γὰρ τῷ ἐναντίῳ τὸ καλὸν περατιοῦται. Latinam versionem apud Migne reddidimus accuratiorem.

aeterna; ergo etiam amor huius pulchritudinis infinitus et aeternus sit necesse est. Hinc apparet vitam Dei semper beatissimam esse, siquidem iam ante mundi constitutionem Deus summa cum beatitudine infinitam pulchritudinem suam contemplabatur atque diligebat, ut S. Gregorius Nazianzenus in carmine Περὶ κόσμου, i. e. De mundo, vers. 60—64 canit: „Consideremus, quid cogitaverit divina cogitatio (non enim mihi Deus nihil agens aut imperfectus), antequam haec universitas staret et speciebus ornaretur. Saeculis vacuis summus regnator movebatur pulchritudinis suae dulcem considerans splendorem.“ [1]

Omnes loci, quos paragraphis praecedentibus explicavimus, evidenter demonstrant, quam multa et varia sint attributa, quibus Ecclesiae Patres pulchritudinem Dei exornaverunt atque illustraverunt. Deus itaque revera est, ut illi docuerunt, pulchritudo prima, summa, infinita; pulchritudo simplex, incorruptibilis, immutabilis; pulchritudo abscondita et inaccessa, pulchritudo incomprehensibilis et ineffabilis, pulchritudo vera et intelligibilis, pulchritudo denique amabilissima et valde desiderabilis [2].

CAPUT VIII.

Qua ratione quaedam proprietates Dei vocentur pulchrae.

Non solum ipsa natura divina, sed etiam proprietates quaedam naturae divinae et a sacra Scriptura et a Patribus Ecclesiae pulchrae praedicantur. Ut enim supra pulchritudo Dei variis attributis exornata fuit, ita hic vice versa attributa Dei pulchritudine donantur; exempli causa, quemadmodum pulchritudo Dei supra appellata est vera, ita hoc capite Dei veritas optimo iure pulchra dicetur.

Tales Dei proprietates, quae tum a sacra Scriptura, tum ab Ecclesiae Patribus pulchrae vocantur, sunt: sapientia, iustitia, miseri-

---

[1] *Migne*, gr. 37, 420:

— — φραζώμεσθα τί κίνυτο θεία νόησις
(Οὐδὲ γάρ ἐστιν ἄπρηκτος ἐμοὶ Θεὸς οὐδ᾽ ἀτέλεστος),
Πρὶν τόδε πᾶν στῆναί τε καὶ εἴδεσι κοσμηθῆναι.
Αἰῶσιν κενεοῖσιν ὑπέρτατος ἐμβασιλεύων
Κίνυτο κάλλεος οἷο φίλην θηεύμενος αἴγλην.

[2] Ut breviter hoc moneam, Patres neque somnia neque vanitates de pulchritudine Dei protulerunt, quemadmodum quidam auctores opinari videntur. Falsum enim est, quod Dr. phil. *Iosef Müller*, Eine Philosophie des Schönen (Mainz 1897), p. 67 dicit: „Auch die Kirchenväter Dionysius und Augustin und die Scholastiker haben Gott als das ewige Urbild aller Schönheit in überschwänglichen Worten gefeiert. Aber sie alle vergaßen zu sagen, worin denn jene unsichtbare Schönheit eigentlich bestehe. Man kam höchstens, soweit man nicht in reinen Negationen stecken blieb, zu leeren, vagen Begriffsbestimmungen . . . oder zu einer rätselhaften Symbolik". Miror quod *G. Gietmann* S. J., Allgemeine Ästhetik (Freiburg i. Br. 1899) p. 22, über „die ältesten Kirchenschriftsteller“ nihil amplius dicere habuit quam: „Was Klemens von Alexandrien, Origenes, Basilius, Gregor von Nyssa und Augustin gelegentlich über die Schönheit bemerken, erinnert deutlich an den Platonismus; insbesondere nehmen die Schriften Dionysius' des Areopagiten einen gleich hohen Flug, wo die Schönheit besprochen wird.“

cordia, quae pulchrae dicuntur a sacra Scriptura; deinde: veritas, bonitas, innocentia, et iterum sapientia et iustitia, immo ira Dei, quae pulchrae nominantur a Patribus Ecclesiae.

I. Et primo quidem **veritas** Dei a S. Ambrosio pulchra dicitur, siquidem Epist. (29) ad Irenaeum scribit: „Non ergo his (rebus terrenis) uti beatum est, sed illud (summum bonum) videre, quo ista despicias, et vana veris refellas, atque inania et cassa iudices, illam nudae veritatis pulchritudinem diligas, quae has saeculi fucosissimas vanitates redarguat.“ [1] Et iterum lib. 1 De excess. frat. sui Satyr. n. 42: „Non mediocris“, inquit, „prudentiae testimonium, quae ita a sapientibus definitur: bonorum primum esse Deum scire, et verum illud atque divinum pia mente venerari, illam amabilem et concupiscendam aeternae pulchritudinem veritatis tota mentis caritate diligere.“ [2] Idem sentit S. Augustinus, cum Epist. ad Dioscor. scribit, „esse formam et pulchritudinem incorpoream veritati, qua ipse animus informatur, et per quam omnia sapientis facta pulchra esse iudicamus, ut non tantum refellendi gratia, sed etiam verissime dixerit (scil. Cicero) [3], quod Deum pulcherrima specie deceat esse, quia nihil est pulchrius ipsa intelligibili atque incommutabili veritate.“ [4] Unde lib. 2 Confess. c. 6 Deum sic alloquitur: „Neque blandius est aliquid tua caritate, nec amatur quidquam salubrius quam illa prae cunctis formosa et luminosa veritas tua.“ [5]

II. Deinde, quod fere in idem recidit, etiam **sapientia** Dei pulchra habetur et a Patribus et a sacra Scriptura. Omnes sane sapientialium librorum loci, quibus pulchritudo sapientiae divinae describitur, huc pertinent; nimirum Sap. 7, 29: „*Est enim haec* (sapientia) ***speciosior*** *sole, et super omnem dispositionem stellarum.*“ Quare „*super salutem et* ***speciem*** (εὐμορφίαν) *dilexi illam*“ (Sap. 7, 10). „*Et amator factus sum* ***formae illius***“ (τοῦ κάλλους αὐτῆς — Sap. 8, 2). „***Decor*** *enim vitae est in illa*“ (Eccli. 6, 31).

E Patribus autem Ecclesiae praecipue S. Augustinus divinae sapientiae pulchritudinem laudibus effert. Ait enim De ver. relig. c. 51: „Si nos miracula spectaculorum, et pulchritudo delectant, illam desideremus videre sapientiam, quae pertingit *a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (Sap. 8, 1). Quid enim mirabilius vi incorporea mundum corporeum fabricante et administrante? aut quid pulchrius ordinante et ornante?“ [6] Et brevius Enarr. II in Ps. 37, n. 7: „Sapientia Dei, quam pulchritudinem habet! Per illam pulchra sunt omnia, quae oculis placent.“ [7]

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 16, 1059. [2] Ibid. 16, 1304.
[3] Vide supra c. 6 huius Partis. [4] *Migne*, Patr. lat. 33, 443.
[5] Ibid. 32, 680. Inter theologos constat post S. Ambrosium et magnum S. Augustinum iterum praecipue S. Thomam Aquinatem illam veritatem pulcherrimam elegisse fundamentum „Summae theologicae“.
[6] Ibid. 34, 166. [7] Ibid. 36, 282.

III. Accedit, quod **iustitiae** Dei et ab Ecclesiae Patribus et a sacra Scriptura pulchritudinis nomen imponitur. Et profecto Ieremias propheta c. 50 Babylonis interitum et reditum filiorum Israel annuntians, Dominum appellat „decorem iustitiae". Persecutores enim filiorum Israel ita loquentes inducit c. 50, 7: „*Omnes qui invenerunt* (Israel), *comederunt eos, et hostes eorum dixerunt: Non peccavimus, pro eo quod peccaverunt Domino, decori iustitiae.*"[1]

Inter Patres Ecclesiae praesertim S. Augustinus eminet, quando De ver. relig. c. 15 dicit: „Est iustitiae pulchritudo cum benignitatis gratia concordans, ut, quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine poenarum erudiamur."[2] Et fusius Epist. ad Consentium: „Si non in mole neque in distantibus per loca sua partibus, sicut corpora sive cernuntur sive cogitantur, sed in virtute intelligibili, qualis est iustitia, mentem dicimus, seu novimus, seu volumus pulchram, et secundum hanc pulchritudinem reformamur ad imaginem Dei: profecto ipsius Dei, qui nos formavit et reformavit ad imaginem suam, non in aliqua mole corporea suspicanda est pulchritudo; eoque iustorum mentibus credendus est incomparabiliter pulchrior, quo est incomparabiliter iustior."[3] Unde idem Augustinus lib. 2 Confess. c. 10 Deum ita alloquitur: „Te volo, iustitia et innocentia, pulchra et decora honestis luminibus et insatiabili satietate."[4]

IV. Porro consentaneum est etiam **bonitatem** et **misericordiam** Dei pulchras vocari. Atque imprimis de hac ultima virtute Ecclesiasticus c. 35, 26 dicit: „*Speciosa misericordia* (ὡραῖον ἔλεος) *Dei in tempore tribulationis.*" Belle dictum! Etenim si omnia pulchra vi sua innata animos alliciunt, allevant, condecorant atque in beatam harmoniam quandam reducunt internam: quanto pulchrior ac speciosior Dei misericordia credenda est, quae totum genus humanum tristissime lapsum suaviter alliciat, potenter allevet, gratiis uberrimis condecoret, sapienterque in pristinam reducat harmoniam!

Ut misericordia, ita bonitas Dei pulchri cognomen accepit. Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 1, § 4 praeclare eloquitur:

---

[1] Ita quidem secundum versionem Vulgatam; textus Hebraicus habet: נְוֵה־צֶדֶק, quod LXX verterunt: νομὴ δικαιοσύνης, i. e. „pascuum iustitiae". Recentiores vero theologi transferre solent: „habitaculum vel domicilium iustitiae" (cf. *Ios. Knabenbauer* S. J., Comment. in Ierem. proph. [Paris. 1889], p. 562). Neque tamen sine ratione S. Hieronymus „*decor iustitiae*" vertit, siquidem verba Isai. 52, 7: מַה־נָּאווּ עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי ab omnibus verti solent: „*Quam pulchri super montes pedes.*" Cf. Rom. 10, 15: „*Quam speciosi* (ὡραῖοι) *pedes.*" Atqui נָאווּ derivatur a נָאוָה = נָוֶה, quod adiectivum ex iisdem litteris primitivis constat atque substantivum נָוֶה in נְוֵה־צֶדֶק. Ergo S. Hieronymus hoc substantivum simili modo vertendum esse censebat atque illud adiectivum. Cf. etiam Cant. 1, 4: „*Nigra sum, sed formosa*" (וְנָאוָה).

[2] *Migne*, Patr. lat. 34, 134. [3] Ibid. 33, 462. [4] Ibid. 32, 682.

„Omnia per bonitatem Dei, rerum effectricem, sunt producta, ut sapientem quoque ac pulchram, quod res omnes, dum naturam suam servant incorruptam, divinae omnis harmoniae sacraeque pulchritudinis sint plenae.“ [1] Item S. Cyrillus Alexandrinus Thesaur. assert. 13 bonitatem Dei pulchram vel potius pulcherrimam laudat: „Ex omnibus quae ei (Deo Patri) insunt, pulcherrima res est bonitas eius, quae per Filium, ut ait Scriptura, in malos iuxta ac bonos commeat: nullumque omnino a sui participatione excludit.“ [2]

V. Mirum videri potest, quod S. Ephraem Syrus vel ipsam **iram** Dei pulchram dicendam esse putet. Deplorans enim calamitates Nisibis, patriae suae a Persis diu oppugnatae, simulque concives adhortans, ne contra iram Dei iustam fremant, eximius poeta carminum, quae dicuntur Nisibena, carmine 11, str. 8 ita canit: „Ira eius (Dei) est valde pulchra, et furor eius iucundus et dulcis exacerbatio eius, qua edulcat amaros, ut fiant suaves.“ [3] Ratio igitur, quare ira Dei pulchra, quin „valde pulchra“ dici possit, in eo est, quod homines qui vitiis „amari“ facti sint, iusta ira Dei castigati reddantur „suaves“, virtutibus perfecti, spiritualiter pulchri. Iam vero ira Dei peccatores nullatenus pulchros reddere posset, nisi ipsa esset „valde pulchra“. Quam ob rem idem Ephraem Rogat. serm. 4 Deum sic alloquitur: „Nolumus iniuria afficere opera tua dicendo ea ingrata esse; pulchra est tua operatio, qua nos admirabiliter constituisti.“ [4] Huc etiam illa referri possunt verba elegantissima, quae S. Basilius Epist. (21) amico cuidam irascenti scripsit: „Oblector tuis etiam reprehensionibus, siquidem a pulchris aiunt omnia cum pulchritudinis accessione fieri, adeo ut et dolere et irasci non eos dedeceat.“ [5]

Totam hanc disputationem concludere iuvat argumento rationis, quod summam omnium faciat, quae hoc capite dicta sunt. Nimirum constat proprietates Dei ab eius natura realiter minime distingui, utpote quae unum idemque sint quae ipsa natura. Iam vero natura Dei pulchra est et ipsa pulchritudo. Ergo etiam proprietates Dei, quatenus cum eius natura identificantur, essentialiter pulchrae sint oportet.

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 591: Πάντα πρὸς τὸ εἶναι παρήχθη διὰ τὴν αὐτῆς οὐσιοποιὸν ἀγαθότητα· σοφὴν δὲ καὶ καλήν, ὅτι τὰ ὄντα πάντα τὰ τῆς οἰκείας φύσεως ἀπαράφθαρτα διασώζοντα, πάσης ἁρμονίας ἐνθέου καὶ ἱερᾶς εὐπρεπείας ἐστὶν ἀνάπλεα.

[2] Ibid. 75, 227: Ὧν ἓν δὴ τὸ κάλλιστόν ἐστιν ἡ ἀγαθότης, φθάνουσα δι᾽ Υἱοῦ, καθά φησιν αὐτός, ἐπὶ πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς, καὶ μηδενὶ τὸ παράπαν ἀποκλείουσα τὸ μετασχεῖν αὐτῆς.

[3] *Gustavus Bickell*, S. Ephraemi Syri Carmina Nisibena (Lipsiae 1866) p. 95.

[4] *Lamy*, S. Ephraem Syri Hymni et Sermones III, 58.

[5] *Migne*, Patr. gr. 32, 287: Χαίρω γάρ σου καὶ ταῖς μέμψεσιν· ἐπειδὴ τοῖς καλοῖς φασι πάντα μετὰ τῆς τοῦ καλοῦ προσθήκης γίνεσθαι· ὥστε καὶ λύπας αὐτοῖς καὶ ὀργὰς ἐπιπρέπειν.

CAPUT IX.

De via, quae ad pulchritudinem Dei contemplandam eaque fruendam perducat.

Restat denique, ut seriem argumentorum concludentes ostendamus viam, quae Patribus Ecclesiae ducibus ad pulchritudinem Dei contemplandam eaque fruendam perducat. Qua de via tria exponemus:

1° Pulchritudinem Dei nemo, priusquam oculos animae purgaverit, contemplari potest.

2° Ad pulchritudinem Dei contemplandam nonnisi gradatim ascendere licet.

3° Pulchritudinem Dei contemplari sicuti est, eaque perfrui non possumus nisi in caelis.

§ 1.

Pulchritudinem Dei nemo, priusquam oculos animae purgaverit, contemplari potest.

Patres Ecclesiae apprime inter se consentiunt pulchritudinem Dei spectari non posse nisi ab oculis animae purgatis. Quae hac de re sparsim iam citavimus, ea nunc in unum veluti corpus colligamus. Audiamus ergo primum Patres Ecclesiae orientalis, deinde occidentalis; postremo quid sacra Scriptura eadem de re sentiat, breviter dicemus.

I. Ad primum quod pertinet, S. Basilius M. indubie docet pulchritudinem Dei carneis oculis conspici non posse, sed tantum ab anima omni vitio purgata. Respondens enim ad interrog. II. Regul. fus. tract. haec dicit: „Ecquid, quaeso, divina pulchritudine admirabilius? Quae cogitatio magnificentia Dei gratior est et suavior? Quale animi desiderium tam vehemens est et violentum, quam illud quod a Deo ingeneratur animae vitio omni purgatae?“ Et paucis interiectis: „Haec pulchritudo carneis quidem oculis conspici non potest, sed a sola anima ac mente apprehenditur.“ [1] Unde cum eodem Basilio Comment. in Isai. c. 5, n. 175 dicere libet: „Qui non credit in Dominum, is neque cum verae pulchritudinis natura consentit, neque admittit ipsius contemplationem. Nam ea quae divinae naturae propria est pulchritudo non in concinna membrorum proportione, nec in eximio quopiam colore, qui in corpore efflorescens creet oblectamentum, sed in sola mente maxime expurgata dignoscitur.“ [2] S. Gre-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 31, 910: Τί οὖν κάλλους θείου θαυμασιώτερον; Τίς ἔννοια τῆς τοῦ Θεοῦ μεγαλοπρεπείας χαριεστέρα; Ποῖος πόθος ψυχῆς οὕτω δριμὺς καὶ ἀφόρητος, ὡς ὁ ἀπὸ Θεοῦ ἐγγινόμενος τῇ ἀπὸ πάσης κακίας κεκαθαρμένῃ ψυχῇ. . . . Τοῦτο τὸ κάλλος σαρκίνοις μὲν ὀφθαλμοῖς ἀθεώρητον, ψυχῇ δὲ μόνῃ καὶ διανοίᾳ καταληπτόν.

[2] Ibid. 30, 411: Ὁ δὲ μὴ πιστεύων εἰς τὸν Κύριον, οὐδὲ τῇ τοῦ ἀληθινοῦ κάλλους συντίθεται φύσει, οὐδὲ καταδέχεται τὴν θεωρίαν αὐτοῦ. Οὐ γὰρ ἐν τῇ εὐαρμοστίᾳ τῶν μελῶν, οὐδὲ ἐν εὐχροίᾳ τινὶ τῇ ἐπανθούσῃ τῷ σώματι, τὸ τερπνὸν ἔχοντι· ἀλλὰ μόνῃ

gorius porro Nyssenus, ut exemplo illustret, quali corde et oculo pulchritudinem Dei videre et amare liceat, Homil. 1 in Cant. hac insigni comparatione utitur: „Quis est enim", inquit, „qui hanc non amet pulchritudinem, si solummodo habeat oculum quem possit defigere in venustatem ac decorem (τῇ ὥρᾳ)? Non est quidem magna quae comprehenditur pulchritudo, est autem infinitis partibus maior ea, cuius per id quod apparet facimus coniecturam. Sed quomodo amor materialis non attingit eos qui sunt adhuc infantes (infantia enim non capit affectionem), nec tandem eos qui extrema confecti sunt senectute videre licet ita affectos: ita etiam in divina pulchritudine, qui est adhuc infans et fluctuat, et omni vento doctrinae circumfertur, et qui est vetus et senio confectus, et non procul ab interitu, ad hanc cupiditatem inveniuntur immobiles. Non enim eos tangit pulchritudo, quae non cadit sub aspectum. Sola autem ea anima, quae statum transiit infantilem, et ad spiritualis aetatis florem pervenit ac vigorem, nec maculam accepit aut rugam aut aliquid huiusmodi, et neque propter infantiam caret sensu, neque ob vetustatem est imbecilla, quam adulescentulam hic liber (scil. Cant.) nominat, ea paret magno et primo praecepto legis, toto corde et totis viribus diligens illam pulchritudinem, cuius descriptionem et exemplum et interpretationem humana non invenit cogitatio."[1] Etiam secundum S. Cyrillum Alexandrinum anima humana, ut pulchritudinem Dei spectare valeat, puritate praedita et lumine divino illustrata esse debet. Ait enim De ador. in spir. et verit. lib. 12: „Quod est oculus in terreno corpore, hoc idem in animo mens dici potest, cum divino lumine illustratur, et illam incorruptam pulchritudinem suspicit, ac levi celerique motu cogitationum ad summam illam gloriam optime penetrat."[2] Ad quam sententiam suam confirmandam exemplum proponit Israelitarum, qui priusquam gloriam Dei in monte Sina radiantem spectarent, et corda sanctificare et vestimenta lavare iussi erant. „*Vade ad populum*", ait Deus Moysi (Exod. 19, 10 s.), „*et sanctifica illos hodie et*

τῇ διανοίᾳ τῇ καθ' ὑπερβολὴν κεκαθαρμένῃ τὸ κυρίως καλὸν ἐν τῇ θείᾳ φύσει γινώσκεται.

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 788: Τίς γὰρ τοιούτου κάλλους ἀνέραστος γίνεται, εἰ μόνον ὀφθαλμὸν ἔχοι τὸν ἐνατενίσαι τῇ ὥρᾳ δυνάμενον; Οὐ πολὺ μὲν τὸ καταλαμβανόμενον κάλλος, ἀπειροπλάσιον δὲ τὸ διὰ τοῦ φαινομένου στοχαστικῶς εἰκαζόμενον. Ἀλλ' ὥσπερ ὑλικὸς ἔρως τῶν ἔτι νηπιαζόντων οὐχ ἅπτεται (οὐ γὰρ χωρεῖ τὸ πάθος ἡ νηπιότης), οὔτε μὴν τοὺς ἐν ἐσχάτῳ γήρᾳ πεπονηκότας ἐν τοῖς τοιούτοις ἔστιν ἰδεῖν· οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ θείου κάλλους, ὅ τε νήπιος ἔτι καὶ κλυδωνιζόμενος καὶ περιφερόμενος παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, καὶ ὁ παλαιὸς καὶ γηράσας, καὶ τῷ ἀφανισμῷ προσεγγίσας, ἀκίνητοι πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν ταύτην εὑρίσκονται. Οὐ γὰρ ἅπτεται τῶν τοιούτων τὸ ἀόρατον κάλλος· μόνη δὲ ἡ τοιαύτη ψυχὴ ἡ διαβᾶσα τὴν νηπιώδη κατάστασιν, καὶ διὰ τῆς πνευματικῆς ἡλικίας ἀκμάσασα, μὴ προσλαβοῦσα σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἡ μήτε ὑπὸ νηπιότητος ἀναισθητοῦσα, μήτε ὑπὸ παλαιότητος ἀδρανοῦσα, ἣν νεᾶνιν ὀνομάζει ὁ λόγος· αὕτη πείθεται τῇ μεγάλῃ καὶ πρώτῃ ἐντολῇ τοῦ νόμου, ἐξ ὅλης καρδίας τε καὶ δυνάμεως ἀγαπῶσα τὸ κάλλος ἐκεῖνο, οὗ ὑπογραφὴν καὶ ὑπόδειγμα καὶ ἑρμηνείαν οὐχ εὑρίσκει ἡ ἀνθρωπίνη διάνοια.

[2] Ibid. 68, 788. Textum Graecum vide supra c. 7, § 2 huius Partis.

eras, laventque vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium. In die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai." Quem textum interpretans idem Cyrillus Glaph. in Exod. lib. 3 animadvertit: „Palam igitur promittit (Deus) se descensurum, et quidem cito. At vero, ut compertum haberent eos, qui ad tantum honorem vocati essent, ut auditores simul ac spectatores Dei sive divinae ipsius atque ineffabilis gloriae efficerentur, gratissima puritate praeditos esse debere et a carnali immunditia liberos." [1]

II. Idem, quod Graeci, sentiunt hac de re Patres Latini, praecipue S. Ambrosius et S. Augustinus. Atque ille quidem De Isaac et anima c. 8 prolixiore oratione mentem suam sic aperit: „Pulchritudo animae sincera virtus et decor, verior cognitio supernorum, ut videat illud bonum, ex quo pendent omnia, ipsum autem ex nullo . . . illud bonum, cuius in nobis accenditur desiderium, cui appropinquare et misceri voluptas est, quod ei qui non videt desiderio est, et ei qui videt inest; ideoque universa alia despicit, hoc uno mulcetur et delectatur. . . . Hanc igitur videns pulchram imaginem, ingrediatur intus, foris relinquat vultum corporis. Nam qui intuetur corpora, non debet introrsum intueri, ne more mergentis in gurgite rapiatur atque absorbeatur, et quasi profundo demersus, nusquam appareat. Fugiamus ergo in patriam verissimam. . . . Sed quae est fuga? Non utique pedum, qui sunt corporis. Isti enim quocunque currunt, in terra currunt, et de solo ad solum transeunt. . . . Sed fugiamus animo et oculis aut pedibus interioribus. Assuescamus nostros (oculos) videre quae dilucida et clara sunt, spectare vultum continentiae et temperantiae, omnesque virtutes, in quibus nihil scabrum, nihil obscurum et tortuosum sit; et se ipsum spectet quis et conscientiam suam, illum oculum mundet, ne quid sordidum habeat. Quod enim videtur, non debet dissonare ab eo qui videt; quoniam conformes nos Deus imagini voluit esse Filii sui. . . . Ipsum est bonum quod quaerimus, et solum bonum. *Nemo* enim ***bonus nisi unus Deus*** (Marc. 10, 18). Hic est oculus, qui magnum illum et verum decorem intuetur. Solem nisi sanus et valens oculus non aspicit; nec bonum potest videre anima nisi bona. Fiat ergo bonus, qui vult videre Dominum." [2] Etiam S. Augustinus lib. 1 De doctr. christ. c. 10 animum docet purgandum esse, ut lucem ac pulchritudinem divinam spectare valeat: „Quapropter", inquit, „cum illa veritate perfruendum sit, quae incommutabiliter vivit, et in ea Trinitas Deus, auctor et conditor universitatis, rebus quas condidit, consulat; purgandus est animus, ut et perspicere

[1] ***Migne***, Patr. gr. 69, 480: Καθικνεῖσθαι δὴ οὖν ἀναφανδὸν ἐπαγγέλλεται, καὶ οὐκ εἰς μακράν. Ἵνα δὲ εἰδεῖεν ὅτι τοῖς εἰς τοῦτο τιμῆς κεκλημένοις, ὡς κατηκόους τε ἅμα καὶ θεωροὺς γενέσθαι τοῦ Θεοῦ, ἤγουν τῆς θείας αὐτοῦ καὶ ἀποῤῥήτου δόξης, ἔδει πάντως καὶ τῆς αὐτῷ φιλτάτης ἁγνείας, καὶ σαρκικῆς μὲν ἀκαθαρσίας ἀπαλλάττεσθαι πρέπειν.

[2] ***Migne***, Patr. lat. 14, 532.

illam lucem valeat, et inhaerere perspectae."[1] Accedit clarissimum illud lib. 2 De ord. c. 19: „Cum (anima) se composuerit et ordinaverit, ac concinnam pulchramque reddiderit, audebit iam Deum videre, atque ipsum fontem, unde manat omne verum, ipsumque patrem veritatis. Deus magne, qui erunt illi oculi! quam sani, quam decori, quam valentes, quam constantes, quam sereni, quam beati! Quid autem est illud quod vident? Quid, quaeso? Quid arbitremur, quid aestimemus, quid loquamur? Quotidiana verba occurrunt, et sordidata sunt omnia vilissimis rebus. Nihil amplius dicam, nisi promitti nobis aspectum pulchritudinis, cuius imitatione pulchra, cuius comparatione foeda sunt cetera."[2]

III. Neque in sacra Scriptura desunt verba, quibus commonemur, ut ad pulchritudinem Dei contemplandam omnem noxam purgemus culpamque diluamus. Iam paulo ante Moysen vidimus Israelitis mandasse, ut priusquam gloria Dei appareret, vestimenta sua lavarent. Quae lotio quid aliud praesignificat, quam quod ipse Dominus Iesus Matth. 5, 8 postulat: „*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*" Quae verba explicaturus S. Augustinus Contr. epist. Manich. c. 41 hortatur: „Festinemus ad illud bonum, quod nec locis grassatur, nec tempore volvitur, et unde speciem formamque accipiunt omnes locales temporalesque naturae. Ad quod videndum mundemus cor per fidem Domini nostri Iesu Christi, qui ait: *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt.* Non enim eos oculos ad illud bonum cernendum praeparari oportet, quibus cernitur lux ista diffusa per locos et non ubique integra, sed aliam partem sic habens, et alibi aliam. Verum illum aspectum aciemque purgemus, qua cernitur, quantum in hac vita licet, quid sit iustum, quid pium, quae sit sapientiae pulchritudo."[3]

Huc spectat etiam, quod S. Paulus apostolus Hebr. 12, 14 iubet: „*Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*" „*Quis*" enim, inquit Ps. 23, „*ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius*", scilicet ad gloriam et pulchritudinem Dei spectandam? „*Innocens manibus et mundo corde.*" „*Haec est*" enim „*generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Iacob.*" „*Attollite*" ergo „*portas, principes, vestras*", attollite oculos animae purgatos, qui quasi portae sunt animae principales: „*et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus fortis et potens . . . Dominus virtutum, ipse est rex gloriae.*"

§ 2.

Ad pulchritudinem Dei contemplandam nonnisi gradatim ascendere licet.

Vix dubitari potest, quin Ecclesiae Patres, qui de via ad pulchritudinem Dei contemplandam scripserunt, Platonis vestigia persecuti

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 23. [2] Ibid. 32, 1019. [3] Ibid. 42, 206.

sint. Plato enim a pulchris corporibus ad pulchras animas, et a pulchris animis ad pulchras cognitiones et virtutes, indeque tandem ad ipsam pulchritudinem divinam ascendendum esse primus intellexit atque tradidit. Nam in eius „Convivio“ illa Diotima Socratem pulchrum ipsum cognoscere studentem ita optime instruxit: „Hoc est recte ad amatoria aggredi vel ab alio duci, incipientem ab hisce pulchris illius pulchri causa semper ascendere, tamquam scalis utentem, ab uno ad duo et a duobus ad omnia pulchra corpora, et a pulchris corporibus ad pulchra studia, et a pulchris studiis ad pulchras cognitiones, dum a cognitionibus ad illam cognitionem tandem perveniat, quae nullius alius est rei nisi pulchri illius cognitio, et cognoscat ad extremum ipsum quod vere est pulchrum.“[1]

Quos gradus inter Patres Ecclesiae praecipue S. Gregorius Nyssenus accurate describit, cum De virginit. c. 11 ait: „Qui mente quidem imperfectus est, cum aliquid cernit, quod speciem pulchritudinis cuiusdam prae se fert, illud ipsum pulchrum sua natura esse opinabitur, quod quidam voluptate sensus eius affecerit, nihilque supra hoc requirit. Sed qui integerrimo est animi oculo et eiusmodi res inspicere potest, is materiam relinquens pulchri formae subiectam, eo, quod oculis cernitur, quasi fundamento aliquo utetur ad contemplationem illius pulchritudinis, quae mente comprehenditur.“[2] Unde aliquanto post ita prosequitur: „Haec igitur nobis quidem via est, qua ad ipsius pulchri inventionem ducimur, ut cetera omnia, quibus hominum trahuntur cupiditates, quaeve pulchra putantur, ea cum pro nihilo habeamus, quasi humilia sint, ad tempusque maneant, nullam in his sane appetitiones nostrae vim nos consumamus; neque tamen, ut, cum in nobis ipsis eam concluserimus otiosam, ab omnique agitatione vacuam habeamus, sed cum ab omni rerum vilium abiectarumque cupiditate nos illam liberavimus, eo plane referamus oportet, quo sensus ipse pervenire non potest, ita ut neque caeli pulchritudinem, neque luminum radios, neque res ceteras admiretur ac suspiciat, quae aliquam praebeant pulchri speciem. At ex ipsa, quae in his omnibus spectatur, pulchritudine animus noster ad pulchri illius cupiditatem ducatur oportet, cuius gloriam et caeli et firmamentum enarrant, omnisque creatura cognitionem eius annuntiat. Cum enim animus sic ascenderit, et quidquid comprehensum sit, velut inferius

[1] *Astius*, Plato III, 519: Τοῦτο γὰρ δή ἐστι τὸ ὀρθῶς ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι ἢ ὑπ' ἄλλου ἄγεσθαι, ἀρχόμενον ἀπὸ τῶνδε τῶν καλῶν ἐκείνου ἕνεκα τοῦ καλοῦ ἀεὶ ἐπανιέναι, ὥσπερ ἐπαναβαθμοῖς χρώμενον, ἀπὸ ἑνὸς ἐπὶ δύο καὶ ἀπὸ δυοῖν ἐπὶ πάντα τὰ καλὰ σώματα, καὶ ἀπὸ τῶν καλῶν σωμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ ἐπιτηδεύματα, καὶ ἀπὸ τῶν καλῶν ἐπιτηδευμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ μαθήματα, ἔστ' ἂν ἀπὸ τῶν μαθημάτων ἐπ' ἐκεῖνο τὸ μάθημα τελευτήσῃ, ὅ ἐστιν οὐκ ἄλλου ἢ αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ καλοῦ μάθημα, καὶ γνῷ αὐτὸ τελευτῶν ὃ ἐστιν καλόν.

[2] *Migne*, Patr. gr. 46, 368. Textum Graecum vide supra c. 7, § 5 huius Partis.

eo quod inquirit reliquerit, tum in illius maiestatis, quae supra caelos se extulit, contemplatione versabitur."[1] Quem ascensum S. Basilius Homil. de Fide brevius et clarius describit his verbis: „Transcurrens omnia, et super omnem creaturam rationibus caput extollens, et mente ultra haec superior factus, contemplare divinam naturam . . . pulchritudinem inexquisitam."[2]

In Ecclesia autem Latina S. Augustinus, ut iam citavimus, Platonem vel potius Platonicos secutus est, cum De ver. relig. c. 29 ait: „Non frustra et inaniter intueri oportet pulchritudinem caeli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum et noctium vicissitudines etc. . . . In quorum consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia et semper manentia faciendus."[3] Quem gradum lib. 8 De civ. Dei c. 6 ita explicat: „Consideraverunt (Platonici), quidquid est, vel corpus esse vel vitam, meliusque aliquid vitam esse quam corpus, speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitae. Proinde intelligibilem speciem sensibili praetulerunt. Sensibilia dicimus, quae visu tactuque corporis sentiri queunt: intelligibilia, quae conspectu mentis intelligi possunt. Nulla est enim pulchritudo corporalis, sive in statu corporis sicut est figura, sive in motu sicut est cantilena, de qua non animus iudicet *[Hic est primus gradus]*. Quod profecto non posset, nisi melior in illo esset haec species, sine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spatio vel loci vel temporis *[Hic est gradus secundus]*. Sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio melius de specie sensibili iudicaret: melius ingeniosior quam tardior, melius peritior quam imperitior, melius exercitatior quam minus exercitatus, et idem ipse unus cum proficit, melius utique postea quam prius. Quod autem respicit magis et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis primam speciem, ubi mutabilis esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, et si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid, ubi prima esset et incommutabilis et ideo nec comparabilis *[Hic est*

[1] *Migne*, Patr. gr. 46, 366: Οὐκοῦν αὕτη ἂν γένοιτο ἡμῖν ὁδὸς εἰς τὴν τοῦ καλοῦ εὕρεσιν ἄγουσα, τὸ πάντα τὰ ἄλλα, ὅσα τὰς ἐπιθυμίας τῶν ἀνθρώπων ἐφέλκεται, καλὰ εἶναι νομιζόμενα, καὶ διὰ τοῦτο σπουδῆς τινος καὶ ἀποδοχῆς ἀξιούμενα, ταῦτα ὑπερβαίνοντας ὡς ταπεινά τε καὶ πρόσκαιρα, μηδενὶ τούτων προσαναλίσκειν τὴν ἐπιθυμητικὴν ἡμῶν δύναμιν, μήτε μὴν ἀργὴν καὶ ἀκίνητον ἐν ἑαυτοῖς κατακλείσαντας ἔχειν, ἀλλ' ἐκκαθάραντας αὐτὴν ἀπὸ τῆς τῶν ταπεινῶν προσπαθείας ἐκεῖ ἀνάγειν, ὅπου οὐκ ἐφικνεῖται ἡ αἴσθησις· ὡς μήτε οὐρανοῦ κάλλος θαυμάσαι, μήτε φωστῆρος αὐγάς, μήτε ἄλλο τι τῶν φαινομένων καλῶν· ἀλλὰ διὰ τοῦ πᾶσι τούτοις ἐπιθεωρουμένου κάλλους χειραγωγεῖσθαι πρὸς τὴν ἐκείνου τοῦ κάλλους ἐπιθυμίαν, ἧς καὶ οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται τὴν δόξαν, καὶ στερέωμα, καὶ πᾶσα ἡ κτίσις ἀναγγέλλει τὴν γνῶσιν. Οὕτω γὰρ ἀνιοῦσα ἡ ψυχὴ, καὶ πᾶν τὸ καταλαμβανόμενον ὡς μικρότερον τοῦ ζητουμένου καταλιμπάνουσα, γένοιτο ἂν ἐν περινοίᾳ τῆς μεγαλοπρεπείας ἐκείνης τῆς ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν ἐπηρμένης.

[2] Cf. supra c. 7, § 4 huius Partis. [3] *Migne*, Patr. lat. 34, 145.

gradus tertius et summus]: atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et quo facta cuncta essent." [1]

Haec ergo est via, quae per tres quasi gradus ad pulchritudinem Dei contemplandam pedetentim perducit. Neque tamen plurimi sunt, qui hac via ardua ad primam et immutabilem pulchritudinem intuendam possint incedere, ut vel ipse Plato personam Socratis induens Polit. V cognovit: „(Socrates:) Qui autem ad ipsum pulchrum possint accedere idque spectare per se nonne rari sunt?

(Glauco:) Admodum.

(Socrates:) Iam qui pulchras quidem res esse putat, ipsam vero pulchritudinem neque putat esse neque, si quis duxerit ad eius cognitionem, possit sequi, somnians an vigilans videtur tibi vivere? . . .

(Glauco:) Ego certe, inquit, dixerim somniare talem.

(Socrates:) Quid vero? qui contra existimat aliquid ipsum pulchrum et potest spectare tam ipsum quam quod eius particeps est, et neque particeps pro ipso, neque ipsum pro participe habet, vigilansne an somnians hic videtur tibi vivere?

(Glauco:) Et sane quidem, inquit, vigilans." [2]

Sed quantumvis vigilans ad ipsum pulchrum intuendum aliquis accedat, tamen cognitio haec non erit nisi „vespertina", ut S. Augustini verbo utamur. „Matutina" autem tantae pulchritudinis contemplatio ac fruitio obtineri non potest nisi in caelis, ubi *„videbimus Deum, sicuti est"* (1 Io. 3, 2). Sed de hac re plura sequenti paragrapho dicenda erunt.

§ 3.

Pulchritudinem Dei contemplari, sicuti est, eaque perfrui non possumus nisi in caelis.

Argumenta ad hanc thesim probandam depromemus primum ex sacra Scriptura, deinde ex doctrina Patrum, denique ex sensu Ecclesiae.

I. Et quod ad sacram Scripturam attinet, omnes loci, qui de visione Dei beatifica agunt, etiam ad visionem pulchritudinis Dei speciatim referri possunt. Ita enim S. Paulus, quando 1 Cor. 13, 12

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 41, 281.

[2] *Astius*, Plato IV, 309: Σω.· Οἱ δὲ δὴ ἐπ' αὐτὸ τὸ καλὸν δυνατοὶ ἰέναι τε καὶ ὁρᾶν καθ' αὑτὸ ἆρα οὐ σπάνιοι ἂν εἶεν;

Γλ.· Καὶ μάλα.

Σω.· Ὁ οὖν καλὰ μὲν πράγματα νομίζων, αὐτὸ δὲ κάλλος μήτε νομίζων μήτε, ἄν τις ἡγῆται ἐπὶ τὴν γνῶσιν αὐτοῦ, δυνάμενος ἕπεσθαι, ὄναρ ἢ ὕπαρ δοκεῖ σοι ζῆν;

Γλ.· Ἐγὼ γοῦν ἄν, ἦ δ' ὅς, φαίην ὀνειρώττειν τὸν τοιοῦτον.

Σω.· Τί δέ; ὁ τἀναντία τούτων ἡγούμενός τέ τι αὐτὸ καλὸν καὶ δυνάμενος καθορᾶν καὶ αὐτὸ καὶ τὰ ἐκείνου μετέχοντα, καὶ οὔτε τὰ μετέχοντα αὐτὸ οὔτε αὐτὸ τὰ μετέχοντα ἡγούμενος, ὕπαρ ἢ ὄναρ αὖ καὶ οὗτος δοκεῖ σοι ζῆν;

Γλ.· Καὶ μάλα, ἔφη, ὕπαρ.

scribit: „*Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*“, sub illo *speculo* quidem, per quod nunc in aenigmate videmus, huius mundi magnitudinem et pulchritudinem intellexisse videtur, cum scriptum sit Sap. 13, 5: „*A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri.*“ [1] Verumtamen ipsum creatorem maximum et pulcherrimum, ut est, neque *facie ad faciem* spectare neque eo perfrui valebimus nisi in caelis, ubi Deus apparebit „*sicuti est*“, ut 1 Io. 3, 2 legimus: „*Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus et videbimus eum, sicuti est.*“ Unde et S. Paulus nos omnes illam gloriam et pulchritudinem Dei in caelis prorsus revelatam tandem aliquando visuros esse vehementer sperat, cum 2 Cor. 3, 18 ita scribit: „*Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem.*“ Quod iam antea Ps. 83, 8 hunc in modum expressit: „*Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion*“ [2], i. e. in Sione caelesti.

II. Magis explicite Patres Ecclesiae docent pulchritudinem Dei perfecte spectari a nobis non posse nisi in caelis. S. Basilius Homil. in Ps. 114, versum 8: „*Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu*“, interpretans dicit: „Hic oculi lacrimantur ex afflictione; illic vero non amplius lacrimae tenebras pupillis offundunt eorum, qui contemplatione pulchritudinis maiestatis Dei oblectantur.“ [3] Similiter in Isai. c. 1: „Fructus autem cordis sunt ipsa oblectatio, quae in contemplatione divinae pulchritudinis versatur“ [4]: at enim perfecte non versabitur nisi in caelis, quoniam cor hominis, dum in terris habitat, fructus beatos e contemplatione pulchritudinis divinae carpere non potest. Etiam S. Gregorius Nyssenus De hom. opif. c. 5 pulchritudinem Dei plene non conspici testatur nisi in beatitudine caelesti: „Pulchritudo illa divina“, inquit, „non figura aliqua et formae compositione cum coloris quadam suavitate resplendet, sed in beatitate secundum virtutem ineffabili conspicitur.“ [5] Nec solum in beatitate conspicitur pulchritudo divina, sed etiam amore perpetuo diligitur teste eodem Nysseno De

---

[1] Cf. supra c. 2, § 1 huius Partis.

[2] Hebr. Ps. 84, 8: יֵלְכוּ מֵחַיִל אֶל־חָיִל יֵרָאֶה אֶל־אֱלֹהִים בְּצִיּוֹן׃

[3] *Migne,* Patr. gr. 29, 491: Ἐνταῦθα οἱ ὀφθαλμοὶ τὸ ἐκ τῆς θλίψεως προχέουσι δάκρυον· ἐκεῖ δὲ οὐκέτι δάκρυον ἐπισκοτοῦν ταῖς κόραις τῶν εὐφραινομένων τῇ θεωρίᾳ τοῦ κάλλους τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ.

[4] Ibid. 30, 206: Καρποὶ δὲ καρδίας, τὸ ἐν θεωρίᾳ τοῦ θείου κάλλους τερπνόν.

[5] Cf. supra c. 6 huius Partis. Verba intermedia, quibus Nyssenus pulchritudinem corporis ita definit: (Pulchritudo) „compositione formae cum coloris quadam suavitate resplendet“, iam Ciceroni nota erant, qui De off. 1, 98 scribit: „Pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos“: et Tuscul. disp. IV, 31: „Pulchritudo corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate“. Haec definitio igitur utroque auctore antiquior est.

mort.: „Illic enim (scil. in caelis) viget verae pulchritudinis amor, qui nunquam exstinguitur.“ [1]

Inter Patres vero Latinos S. Augustinus plura hac de re egregie scribit. Ita e. gr. Enarr. in Ps. 26, n. 4 docet speciem Dei ac pulchritudinem videri facie ad faciem non posse, nisi cum apparuerit: „*Ut contempler delectationem Domini,* eo fine scilicet, ut in fide perseveranti appareat mihi species delectabilis, quam facie ad faciem contempler.“ [2] Et iterum, ut illud lib. 2 De ord. c. 19 repetamus: „Nihil amplius dicam, nisi promitti nobis aspectum pulchritudinis, cuius imitatione pulchra, cuius comparatione foeda sunt cetera.“ [3] Quo aspectu beato iam angeli in caelis perfruuntur teste eodem Augustino lib. 9 De civ. Dei c. 22: „Angelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum scientia . . . vilis est, non quod earum ignari sint, sed quod illis Dei, qua sanctificantur, caritas cara est, prae cuius non tantum incorporali, verum etiam incommutabili et ineffabili pulchritudine, cuius sancto amore inardescunt, omnia quae infra sunt . . . contemnunt.“ [4] Et revera ipse Salvator noster Matth. 18, 10 de angelis dicit: „***Quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.***“

III. Magisterium denique Ecclesiae, licet de pulchritudine Dei nihil hucusque expresse definiverit, duobus tamen in libris, qui magnam auctoritatem habent, scil. in Missali et Catechismo Romano, mentionem pulchritudinis divinae facit docens pulcherrimum Deum, sicuti est, nullatenus videri posse nisi in caelis.

Unum quidem locum habes in Missali Romano, ex quo Ecclesia in Epiphania Domini hanc cantat orationem: „Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius, ut qui iam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuae celsitudinis perducamur.“ Quibus nihil aliud significari videtur nisi: „ut qui iam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam pulchritudinem tuae maiestatis perducamur“. Nam vocabulum *speciei* non solum imaginem, faciem, formam indicat, sed etiam pulchritudinem, ut supra (Lib. I, Parte I, c. 1, § 2) notavimus.

Alterum argumentum desumitur e Catechismo Romano, qui Parte I, c. 13, n. 7 ad interrogationem: „In quo consistat essentialis et primaria aeternae beatitudinis causa?“ haec respondet: „Ac solida quidem beatitudo, quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus eiusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis ac perfectionis fons et principium.“ Essentialis ergo et primaria causa, quae beatitudinem constituat, secundum Catechismum Romanum est visio Dei et fruitio pulchritudinis Dei. Quae

[1] ***Migne,*** Patr. gr. 46, 531: Ἐκεῖ γὰρ ὁ ἔρως τοῦ ἀληθινοῦ κάλλους, ὁ ἄπαυστος.
[2] ***Migne,*** Patr. lat. 36, 197. [3] Cf. § 1, n. 2 huius capitis.
[4] ***Migne,*** Patr. lat. 41, 274: Quae verbatim etiam leguntur in Brev. Rom., Part. autumn. fer. V infr. Octav. S. Angeli Custodis, lect. IV.

doctrina non solum, ut confestim apparebit, notissimam illam controversiam, utrum essentialis causa beatitudinis in visione an in amore Dei collocanda sit, satis prudenter intactam relinquit, verum etiam, quod haud parvi aestimamus, notionem pulchritudinis ad essentialem causam beatitudinis declarandam optime inducit. Cuius rei vim et momentum aegre admodum intelligemus, nisi prius illam Scholae controversiam quam brevissime exposuerimus.

Itaque S. Thomas Aquinas eiusque pedisequi contendebant essentialem causam beatitudinis non consistere nisi in cognitione atque **visione** Dei. Doctor enim Angelicus (S. th. 1. 2, qu. 3, a. 4 c) ait: „Ergo beatitudo hominis in cognitione Dei consistit, quae est actus intellectus.“ Et postea qu. 4, a. 5 c: „In visione divinae essentiae perfecta hominis beatitudo consistit.“ Licet ad hanc sententiam probandam illud praecipue citari soleat Io. 17, 3: *„Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum“*, tamen difficultas haud parva in eo est, quod hac in sententia actus voluntatis, scil. amor et complacentia, gaudium et delectatio, a natura beatitudinis aut prorsus excluditur, aut non admittitur nisi „quasi per se accidens“, ut idem S. Doctor (S. th. 1. 2, qu. 3, a. 4 c) docet: „Respondeo dicendum quod ad beatitudinem duo requiruntur: unum, quod est esse beatitudinis; aliud, quod est quasi per se accidens eius, scilicet delectatio ei adiuncta.“ Verum amor Dei atque complacentia, gaudium atque delectatio certissime ad essentiam et notionem beatitudinis perfectae pertinent. Beatitudo enim sine gaudio atque delectatione contradictio in termino esse videtur.

Quam ob rem adversarii, nimirum Scotistae, essentialem causam beatitudinis in ipso Dei **amore**, id est in actu voluntatis perfecto, ponebant, illud S. Pauli 1 Cor. 13, 2 imprimis citantes: *„Si noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum“*; et rursus 1 Cor. 13, 13: *„Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria haec; maior autem horum est caritas.“* Ergo quoniam visionem fidei respondere dicunt, caritatem, quae maior sit fide et visione, pro essentiali beatitudinis causa habent. Attamen haec quoque sententia difficultate non caret, cum fieri nequeat, ut intellectus, qui est principalis potentia animae, ab essentiali causa beatitudinis penitus excludatur. Unde S. Thomas huic sententiae acriter contradicit (S. th. 1. 2, qu. 3, a. 4 c): „Dico ergo quod, quantum ad id quod est essentialiter ipsa beatitudo, impossibile est, quod consistat in actu voluntatis.“

Atque haec quidem de controversia, utrum essentialis causa beatitudinis „sit operatio intellectus, an voluntatis“ [1]. Nos vero cum multis aliis theologis tertiam statui posse arbitramur sententiam, nimirum:

[1] *S. Thomas Aqu.*, S. th. 1. 2, qu. 3, a. 4.

beatitudinem in **visione et amore** simul consistere. Et profecto omnes facile in id conveniunt, quod Catechismus Romanus Parte I, c. 13, n. 10 docet: „Summa illa et absoluta beatitudo, quam essentialem vocamus, in Dei possessione constituenda est.“ Deus autem pulcherrimus, qui est ipsa veritas et ipsa bonitas, perfecte comprehendi atque possideri nequit nisi per actus intellectus et voluntatis, per visionem et amorem simul. Neque enim dubium est, quin visioni atque cognitioni per se sola veritas respondeat, sicuti amori ac delectationi per se sola bonitas. Iam vero quid tandem est illud, quod visioni et amori simul respondeat? Est „id quod **visum placet**“, h. e. pulchrum sive pulchritudo. Etenim „pulchritudo sola“, ut illud Platonis in „Phaedro“ repetamus, „hanc nacta sortem est, ut dilucidissima sit atque amabilissima.“[1] Ergo perfecta hominis beatitudo consistit in visione et fruitione pulchritudinis divinae, quam contemplari sicuti est, et qua perfrui utique non possumus nisi in caelis. Illic tandem, ut cum S. Bernardo De consid. lib. 5, c. 13 concludamus, „colliget sese (anima) magis, adunabit conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi, ut una uni facies respondeat faciei. Nempe *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (1 Io. 3, 2). Beata visio! ad quam merito suspirabat, qui ait: *Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* (Ps. 26, 8).“[2]

Pars secunda.

De pulchritudine Dei relata ad creaturas.

Solus Deus pulchritudo est absoluta atque per se, sive pulchritudo per essentiam. Omnia vero alia sunt pulchra per qualitatem, vel ut philosophi et theologi dicere solent, per participationem. Participes enim pulchritudinis Dei creaturae sunt, non quidem proprie et formaliter, sed secundum imitationem et similitudinem. Quam rem sic se habere iam Plato, vir ingenii acumine conspicuus, intellexit, in „Phaedone“ dicens: „Persuasum est mihi, si quid aliud pulchrum sit praeter ipsum pulchrum, hoc nullam aliam ob causam pulchrum esse, nisi quod illius pulchri particeps sit.“[3] In „Hippia maiore“ Socrates sophistam hunc interrogans: „Nonne“, inquit, „etiam pulchra omnia pulchro sunt pulchra?“ Cui Hippias: „Etiam, pulchro.“[4] Atqui solus Deus est illud pulchrum per se. Quod e Patribus Ecclesiae S. Gregorius Nyssenus De virginit. c. 11 confirmat, Deum dicens „intelligibilem pulchritudinem, cuius communione (οὐ κατὰ μετουσίαν) reliqua pulchra et fiunt et

[1] Cf. supra c. 7, § 6 huius Partis. [2] *Migne*, Patr. lat. 182, 804.

[3] *Astius*, Plato I, 577: Φαίνεταί γάρ μοι, εἴ τί ἐστιν ἄλλο καλὸν πλὴν αὐτὸ τὸ καλόν, οὐδὲ δι' ἓν ἄλλο καλὸν εἶναι, ἢ διότι μετέχει ἐκείνου τοῦ καλοῦ.

[4] Ibid. IX, 17: Ἆρ' οὖν οὐ καὶ τὰ καλὰ πάντα τῷ καλῷ ἐστι καλά; Ἱπ. Ναί, τῷ καλῷ.

nominantur.“ [1] Dionysius autem Pseudo-Areopagita Platonis vestigiis hac in re pressius institit, cum De div. nom. c. 4, § 7 ait: „Haec enim in omnibus rebus, in participationes et in participantia dividentes, pulchrum quidem dicimus, quod pulchritudinis particeps est, pulchritudinem vero, participationem causae omnia pulchra efficientis.“ [2] Totam igitur relationem, quae inter pulchritudinem Dei et pulchritudinem creaturarum exsistit, beviter sic exprimere possumus: Deus, quemadmodum in omnibus rebus „causat“ esse, ita et in omnibus rebus pulchris „causat“ pulchrum-esse. Iam vero pulchritudo Dei causa pulchritudinis creatae est tripliciter:

1⁰ causa efficiens,
2⁰ causa exemplaris,
3⁰ causa finalis.

Cuius tripartitae divisionis fundamentum non sine profunda ratione in ipsa Trinitate divina quaeremus, nempe causam efficientem in Patre, ex quo omnia creata sunt pulchra; causam exemplarem in Filio, secundum et per quem omnia creata sunt pulchra; finalem in Spiritu sancto, in quo vel in quem omnia creata sunt pulchra. Unde Pater dici potest omnis pulchritudinis fons et principium, Filius omnis pulchritudinis imago et exemplar, Spiritus sanctus omnis pulchritudinis finis et perfectio.

Et re quidem vera Deum trifariam totius pulchritudinis creatae auctorem esse cum Dionysius Pseudo-Areopagita tum S. Augustinus testantur, licet ambo singulas causas non eo proferant ordine, quo nos supra fecimus. Ille enim Dionysius De div. nom. c. 4, § 7 ita dicit: „Atque pulchrum (scil. ipsum ac per se) est omnium principium, ut causa efficiens, et movens, et universa propriae pulchritudinis amore continens, et ut finis omnium, atque id quod appetitur tamquam causa finalis (nam pulchri gratia cuncta fiunt) et exemplaris, quia secundum illud omnia definiuntur.“ [3] Item aliquanto post c. 4, § 10: „Et simpliciter, omne quod ex pulchro et bono exsistit, et in pulchro et bono est, et ad pulchrum et bonum convertitur: et quaecunque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt, et cuncta in ipsum intuentur, et ab ipso moventur et conservantur.“ [4]

---

[1] *Migne,* Patr. gr. 46, 363: . . . τὸ νοητὸν κάλλος, οὗ κατὰ μετουσίαν τὰ ἄλλα καλὰ γίνεταί τε καὶ ὀνομάζεται. Versio Latina paululum aliter sonat, scilicet: „cuius communione cum reliqua pulchra sunt, tum etiam habeutur.“

[2] Ibid. 3, 702: Ταῦτα γὰρ ἐπὶ μὲν τῶν ὄντων ἁπάντων εἰς μετοχὰς καὶ μετέχοντα διαιροῦντες, καλὸν μὲν εἶναι λεγόμενον τὸ κάλλους μετέχον, κάλλος δὲ τὴν μετοχὴν τῆς καλοποιοῦ τῶν ὅλων καλῶν αἰτίας.

[3] Ibid. 3, 703: Καὶ ἀρχὴ πάντων τὸ καλόν, ὡς ποιητικὸν αἴτιον, καὶ κινοῦν τὰ ὅλα, καὶ συνέχον τῷ τῆς οἰκείας καλλονῆς ἔρωτι· καὶ πέρας πάντων, καὶ ἀγαπητόν, ὡς τελικὸν αἴτιον (τοῦ καλοῦ γὰρ ἕνεκα πάντα γίγνεται)· καὶ παραδειγματικόν, ὅτι κατ᾽ αὐτὸ πάντα ἀφορίζεται.

[4] Ibid. 3, 708: Καὶ ἁπλῶς πᾶν ὂν ἐκ τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ, καὶ ἐν τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ ἐστι, καὶ εἰς τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἐπιστρέφεται· καὶ πάντα ὅσα ἐστὶ καὶ γίνεται,

Istis verbis: „omne ex pulchro et bono, et in pulchro et bono, et ad pulchrum et bonum“ etc. haud obscure auctor indicat causam efficientem, exemplarem, finalem. Quibus simillima sunt, quae S. Augustinus Soliloqu. lib. 1, c. 1 habet: „Deus“, inquit, „bonum et pulchrum, in quo, et a quo, et per quem bona et pulchra sunt, quae bona et pulchra sunt omnia.“ [1] — Neque mirum est, quod talem usum loquendi iam in Novo Testamento invenimus, ubi S. Paulus Rom. 11, 33 et 36 scribit: „*O altitudo divitiarum* (et)[2] *sapientiae et scientiae Dei . . . Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*“: neque sane solum, quatenus sunt, verum etiam quatenus pulchra sunt. — Quibus praemissis, iam de causis singulis plura dicenda erunt.

CAPUT I.

De pulchritudine Dei, quatenus creatae pulchritudinis causa est efficiens.

Deum causam efficientem omnis pulchritudinis derivatae esse probabimus et in genere et in specie. Ipsa autem argumenta depromemus iterum cum ex sacra Scriptura, tum maxime ex documentis Patrum Ecclesiae.

Articulus I.

Argumenta in genere.

Causa efficiens dicitur id, cuius operatione aliquid producitur, vel ut Aristoteles ait, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, i. e. „unde principium motus.“ [3] Atqui, ut syllogismo utamur, omnia quae pulchra sunt, pulchra producta et mota sunt a Deo creatore. Ergo Deus creator

---

διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν ἐστι καὶ γίνεται, καὶ πρὸς αὐτὸ πάντα ὁρᾷ, καὶ ὑπ᾽ αὐτοῦ κινεῖται καὶ συνέχεται.

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 870.

[2] Textus Graecus receptus post illud *divitiarum* rectius addit καί = et. Praeterea loco *in ipso* habet εἰς αὐτόν, i. e. in ipsum. Nam ita sonat: Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ . . . ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι᾽ αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.

[3] *Aristoteles*, Metaphys. A, 3: Τὰ δ᾽ αἴτια λέγεται τετραχῶς, ὧν μίαν μὲν αἰτίαν φαμὲν εἶναι τὴν οὐσίαν καὶ τό τί ἦν εἶναι (ἀνάγεται γὰρ τὸ διὰ τί εἰς τὸν λόγον ἔσχατον, αἴτιον δὲ καὶ ἀρχὴ τὸ διὰ τί πρῶτον), ἑτέραν δὲ τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον, τρίτην δὲ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ, τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν· τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως πάσης τοῦτ᾽ ἐστίν: „Causae vero quadrifariam dicuntur, quarum unam quidem causam dicimus esse substantiam, et quod quid erat esse (nam ipsum quare, refertur ad rationem ultimam, causa autem et principium, ipsum quare primum), alteram vero materiam et subiectum; tertiam autem unde principium motus; quartam vero oppositam ei causam, et cuius gratia, et bonum; hoc enim finis totius motus et generationis est.“ (*Aristot.* ed. Academia Reg. Boruss. Berolini 1831, vol. II, col. 983a. Versio in III, 482b.)

causa efficiens est omnis pulchritudinis creatae sive productae. Propositio minor est probanda.

I. Iam vero **sacra Scriptura** testatur totum mundum creatum a Deo creatore pulchritudine donatum esse, cum scriptum sit Gen. 1, 31 apud LXX: Καὶ εἶδεν ὁ θεὸς τὰ πάντα, ὅσα ἐποίησε· καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν, id est, *Et vidit Deus cuncta, quae fecerat, et ecce pulchra valde;* Vulgata habet: „*Et erant valde bona.*" Ceterum Moyses magis pulchritudinem atque ornatum istius mundi cogitavisse videtur, quam bonitatem; nam prosequitur Gen. 2, 1: „*Igitur perfecti sunt caeli et terra, et omnis ornatus* (κόσμος) *eorum*"[1]; neque enim legimus: „et omnis bonitas eorum". Quoniam ergo cuncta, quae Deus fecit, pulchra sunt et pulchra valde, colligere oportet Deum esse causam efficientem omnis pulchritudinis creatae. — Etiam Ecclesiastes et Ecclesiasticus et S. Paulus apostolus illud Gen. 1, 31 ante oculos habuisse videntur. Ecclesiastes enim c. 3, 11 infert: Τὰ σύμπαντα ἃ ἐποίησε καλά, id est: *Cuncta quae* (Deus) *fecit, pulchra;* versio Vulgata reddit: „*Cuncta fecit bona.*"[2] Similiter Ecclesiasticus c. 39, 21 ait: Τὰ ἔργα κυρίου πάντα ὅτι καλὰ σφόδρα, id est: *Opera Domini universa pulchra valde;* Vulgata reddit „*bona valde*". In Novo denique Testamento S. Paulus 1 Tim. 4, 4 scribit: Πᾶν κτίσμα θεοῦ καλόν, id est: *Omnis creatura Dei pulchra est;* secundum Vulgatam: „*bona est.*"

Causa autem, cur universa Dei opera in sacra Scriptura dicantur pulchra, in eo esse videtur, quod Deus omnia quae sunt, cum illa creaverit sapientia, cuius „viae pulchrae" vocantur Prov. 3, 17: „*Viae eius viae pulchrae.*"[3] Et profecto viae sapientiae Dei cum in creatione et conservatione huius mundi, tum in eiusdem redemptione et consummatione pulchrae atque suaves apparent. Quam ob rem Sap. 13, 5 in gentes acriter invehitur, quippe quae „*a magnitudine et pulchritudine creaturarum*" cognoscibiliter videre non potuerint creatoris maiestatem ac pulchritudinem, quam omnia visibilia alta voce praedicant. Cf. Sap. 13, 7: „*Quoniam pulchra sunt, quae videntur*" (καλὰ τὰ βλεπόμενα). Iam vero, a quonam ista pulchra, quae ubique terrarum videntur, pulchritudinem suam acceperunt, nisi a Deo pulcherrimo? Deus ergo causa est efficiens omnem pulchritudinem creatam.

II. Idem prorsus sentiunt **Patres Ecclesiae.** Iam Athenagoras Legat. pro Christ. n. 5 loquitur de Dei natura, „quae divina opera implet pulchritudine"[4]. Dionysius porro Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 1, § 4 omnia docet divinae harmoniae et pulchritudinis esse plena: „Omnia", inquit, „per bonitatem Dei, rerum effectricem, sunt producta, ut sapientem quoque ac pulchram, quod res omnes, dum

[1] Hebr.: וְכָל־צְבָאָם.

[2] Hebr.: אֶת־הַכֹּל עָשָׂה יָפֶה.

[3] Hebr.: דְּרָכֶיהָ דַרְכֵי־נֹעַם, i. e. „viae eius viae suavitatis".

[4] *Migne,* Patr. gr. 6, 399. Graece haec verba satis obscura sunt: πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν τοῦ κάλλους τοῦ ἐκείνου πληρομένην.

naturam suam servant incorruptam, divinae omnis harmoniae sacraeque pulchritudinis sunt plenae."[1] Unde S. Athanasius Epist. ad Amunem monach. haec scribit: „Opificia Dei omnia pulchra et pura sunt."[2] Neque aliter sentit S. Gregorius Nyssenus De virginit. c. 12 dicens: „Omne opus Dei pulchrum et nihil detestandum, et omnia quae fecit Deus, pulchra valde."[3] Similiter S. Ephraem Syrus, cum Rogat. Serm. 4 Deum sic alloquitur: „Nolumus iniuria afficere opera tua dicendo ea ingrata esse; pulchra est tua operatio."[4]

In eadem sententia cum Graecis sunt Patres Latini, inter quos S. Augustinus, quidquid pulchrum sit, a Deo esse testatur Enarr. in Ps. 144, n. 15: „Quidquid habet decorem", inquit, „a te habet decorem". Hinc paulo post ita prosequitur: „Mundum istum attendite; decorem habet. Quem decorem habet terra, mare, aer, caelum, sidera! Omnia haec nonne omnem consideratorem terrent? Nonne pulchritudo ipsa sic eminet, ut quasi pulchrius nihil inveniri possit? Et hic vivunt in isto decore, in ista pulchritudine prope iam ineffabili, hic vivunt tecum et vermiculi et mures et omnia terrae repentia; ista tecum vivunt in decore isto. Quale decus est illius regni, ubi tecum non vivunt nisi angeli!"[5] Vae igitur, ait Enarr. in Ps. 43, n. 16, „vae tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius quam est ille, a quo est omne pulchrum."[6] Fugiamus ergo, ut idem Augustinus Contra epist. Manich. c. 41 hortatur, „festinemusque ad illud bonum, quod nec locis grassatur, nec tempore volvitur, et unde speciem formamque accipiunt omnes locales temporalesque naturae."[7]

Immo Patres ne fieri quidem posse iudicant, ut Deus quidquam faciat, quod non sit pulchrum; alioquin contingere posset, ut ipsa pulchritudo Dei deficeret. Ita enim Origenes disputans contra Celsum lib. 5, n. 23 arguit: „Dicimus etiam Deum turpia non posse, alioquin Deus posset non esse Deus: nam si quid turpe facit, Deus non est."[8] Et aliquanto post: „Iam concessimus Deum nihil velle indecorum sibi, utpote quo divina sua natura tolleretur . . . sed rectae iustaeque naturae Deum esse, quippe qui pulchri fons est et principium."[9]

III. Accedit, quod **expressis** quoque **verbis** Deus a Patribus causa efficiens omnis pulchritudinis creatae praedicatur, sive omnium pul-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 591: Textum Graecum vide supra Lib. II, Parte I, c. 8, n. 4.
[2] Ibid. 26, 1170: Πάντα μὲν καλὰ καὶ καθαρὰ τὰ τοῦ Θεοῦ ποιήματα.
[3] Ibid. 46, 371: Πᾶν γὰρ κτίσμα Θεοῦ καλόν, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον, καὶ πάντα ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς καλὰ λίαν.
[4] Cf. supra Lib. II, Parte I, c. 8, n. 5.
[5] *Migne*, Patr. lat. 37, 1879. [6] Ibid. 36, 488. [7] Ibid. 42, 208.
[8] *Migne*, Patr. gr. 11, 1215: Φαμὲν δὲ καὶ ὅτι οὐ δύναται αἰσχρὰ ὁ Θεός, ἐπεὶ ἔσται ὁ Θεὸς δυνάμενος μὴ εἶναι Θεός, εἰ γὰρ αἰσχρόν τι δρᾷ ὁ Θεός, οὐκ ἔστι Θεός.
[9] Ibid. 11, 1218: Ἅπαξ δ' εἰπόντες, ὅτι οὐδὲν μὴ πρέπον ἑαυτῷ ὁ Θεὸς βούλεται, ἀναιρετικὸν τυγχάνον τοῦ εἶναι αὐτὸν Θεόν . . . ἀλλὰ τῆς ὀρθῆς καὶ δικαίας φύσεως ὁ Θεός, ὅς ἀρχηγέτης τυγχάνων παντὸς καλοῦ.

chrorum „causa", „fons", „principium". Clemens Alexandrinus lib. 1 Strom. c. 5 dicit: „Omnium pulchrorum Deus est causa."[1] Secundum Origenem vero, ut paulo ante diximus, Deus „omnis pulchri fons est et principium", vel potius ἀρχηγέτης παντὸς τοῦ καλοῦ, i. e. „princeps auctor omnis pulchri". Similiter S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Pace I. loquitur de Deo uno, „a quo pulchrum omne initium ducit"[2]. Idem sentit S. Gregorius Nyssenus, cum Homil. 4 in Cant. Deum appellat τὴν τοῦ καλοῦ πηγήν, i. e. „fontem pulchri". „Docet oratio", inquit, „hanc pulchritudinis esse resumptionem, quod appropinquet (anima) fonti pulchri."[3] Quoniam ergo omnia, quae pulchra sunt, a Deo tamquam a fonte pulchri proficisci convincuntur, idem Nyssenus Contra Eunomium lib. 12 scribit: „Quis est, qui dicat aliquid eorum, quae sunt pulchra, divinae naturae esse adventitium, et non quidquid est pulchrum illinc proficisci, et in ea considerari, sic dicente propheta, quod si quid pulchrum est, ipsius, et si quid bonum, ab ipso est?"[4] Inter omnes autem eminet Dionysius Pseudo-Areopagita, cum De div. nom. c. 4, § 7 Deum „effectorem pulchritudinis" esse doceat, et „causam omnia pulchra efficientem", et „causam omnis pulchritudinis". Ait enim: „Hoc item bonum (divinum) laudatur a sacris theologis ut pulchrum et ut pulchritudo, et ut dilectio et ut dilectum, et quaecunque alia sunt divina nomina, quibus ipse speciosus decor et effector pulchritudinis decenter nominatur. Pulchrum autem et pulchritudo sunt distinguenda in causa, quae universa in uno complexa est; haec enim in omnibus rebus, in participationes et in participantia dividentes, pulchrum quidem dicimus, quod pulchritudinis particeps est; pulchritudinem vero, participationem causae omnia pulchra efficientis. Ipsum autem pulchrum supersessentiale pulchritudo quidem appellatur propter illam pulchritudinem, quam rebus omnibus pro cuiusque modulo communicat, in quantum est causa omnis pulchritudinis ac venustatis, dum rebus omnibus pulchrificas fontalis sui radii distributiones lucis in morem afflat."[5] Unde paucis interiectis: „Ex hoc ipso pulchro rebus omnibus obtingit, ut sint singula secundum propriam rationem pulchra; et propter pulchrum sunt omnes congruentiae et amicitiae et communicationes, et per pulchrum cuncta coniunguntur, atque pulchrum est omnium principium ut causa efficiens et movens[6], et universa propriae pulchritudinis amore continens." Et iterum paulo post:

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 8, 718: Πάντων μὲν γὰρ αἴτιος τῶν καλῶν ὁ Θεός.

[2] Ibid. 35, 788: Θεὸς . . . παρ' οὗ καλὸν ἅπαν ἄρχεται.

[3] Ibid. 44, 881. Textum Graecum vide supra c. 7. § 5 Partis praecedentis.

[4] Ibid. 45, 1038: Τίς ἐστιν ὁ λέγων, ἐπίκτητόν τι τῶν καλῶν εἶναι τῇ θείᾳ φύσει, καὶ οὐ πᾶν ὅ τί πέρ ἐστι καλὸν ἐκεῖθέν τε ἀφορμᾶσθαι, καὶ ἐν αὐτῇ θεωρεῖσθαι; Οὕτω τοῦ προφήτου λέγοντος, ὅτι εἴ τι καλόν, αὐτοῦ, καὶ εἴ τι ἀγαθόν, παρ' αὐτοῦ ἐστι.

[5] Ibid. 3, 702. Textum Graecum vide supra c. 4. n. 2 Partis praecedentis.

[6] Cf. illud Aristotelis: ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, i. e. „unde principium motus."

„Denique hoc unum bonum et pulchrum singulariter est omnium multorum pulchrorum et bonorum causa.“ [1] Brevi: pulchritudo divina est causa omnia pulchra efficiens.

Hinc Deus a Patribus iure optimo „auctor pulchri“ et „pater pulchri“ appellatur. Ita S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7 Contra Iulian. scribit: „Factorem omnium, auctorem datoremque pulchrorum iure confitemur.“ [2] Perinde a S. Augustino Soliloqu. lib. 1, c. 1 Deus nominatur „pater boni et pulchri.“ [3] Quem usum loquendi ab ipsa Scriptura sacra aucupatus est, ubi Deus appellatur Sap. 13, 13: Ὁ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης, id est, „*speciei generator*“.

Articulus II.

Argumenta in specie.

Quodsi quaeritur, quo gradu et ordine creaturae, in quantum pulchrae sunt, pulchritudinis divinae sint participes, Patres Ecclesiae (ut S. Gregorius Nyssenus, Dionysius Pseudo-Areopagita et S. Augustinus) respondent pulchritudinem creaturarum a Deo creatore tamquam summo fonte ac principio per varios gradus ita manare atque descendere, ut quaelibet creatura, quo propius ad Deum accedat, eo pulchrior sit, et quo longius a Deo discedat, eo minus evadat pulchra. Quin etiam docent pulchritudinem analogice ita communicari cum omnibus, ut semper id, quod loco est superiore, proximum sibi quodque exornet, et e contra id, quod est praestantius, si ordine inverso sequitur inferius, fiat turpe ac deforme.

Quam sententiam S. Gregorius Nyssenus De hom. opif. c. 12 longiore probat argumento: „Cum enim pulcherrimum omnium“, inquit, „et praestantissimum bonum ipse Deus sit, ad quem omnia respiciunt, quaecunque desiderium pulchri habent, idcirco dicimus et mentem, quippe ad imaginem pulcherrimi factam, quamdiu similitudinis archetypo respondentis particeps est, quoad eius fieri potest, et eam in pulchritudine permanere, sin autem forte expers illius (archetypi) fit, spoliari pulchritudine in qua erat. Quemadmodum autem indicavimus similitudine prototypae pulchritudinis ornatam esse mentem, perinde ac speculum figura faciei ex ipso relucentis insignitur: eadem ratione et naturam, quae a mente administratur, erga eandem affectam esse statuimus, ut scilicet et ipsam ornari propinqua

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 703: Ἐκ τοῦ καλοῦ τούτου πᾶσι τοῖς οὖσι τὸ εἶναι, κατὰ οἰκεῖον λόγον ἕκαστα καλά, καὶ διὰ τὸ καλὸν αἱ πάντων ἐφαρμογαὶ καὶ φιλίαι καὶ κοινωνίαι· καὶ τῷ καλῷ τὰ πάντα ἥνωται· καὶ ἀρχὴ πάντων τὸ καλόν, ὡς ποιητικὸν αἴτιον, καὶ κινοῦν τὰ ὅλα, καὶ συνέχον τῷ τῆς οἰκείας καλλονῆς ἔρωτι. . . . Τοῦτο τὸ ἀγαθὸν καὶ καλὸν ἑνικῶς ἐστι πάντων τῶν πολλῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν αἴτιον.

[2] Ibid. 76, 882: Ὁ Ποιητὴς ἁπάντων ἡμῖν αἴτιος καὶ δοτὴρ τῶν καλῶν ὁμολογοῖτ' ἂν εἰκότως.

[3] *Migne*, Patr. lat. 32, 870.

pulchritudine dicamus, et quasi speculi speculum esse; superari autem ab hac et contineri materiam suppositi (τὸ ὑλικὸν τῆς ὑποστάσεως), circa quod spectatur natura. Quamdiu igitur alterum ab altero continetur, in omnibus conveniente quadam ratione communio pulchritudinis verissimae adest: semper eo, quod loco est superiore, proximum sibi exornante. Quando autem aliqua facta est praeclarae huius coniunctionis divulsio, vel contra, quod est praestantius ordine inverso sequitur inferius: tum scilicet rudioris in homine materiei a natura desertae turpitudo insignis apparet: nam ipsa per se materies quiddam est deforme et imperfectum." Et paulo post: „Pulchrum autem omne, quod quidem ad principes bonum convenienter se habet; quodcunque vero et habitus ad hoc et communionis expers fit, id exsors pulchri omnino est." [1] Brevius loquitur Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 10: „Universis pulchrum et bonum", inquit, „desiderabile et amabile est, et ab his universis diligitur; et propter ipsum et ipsius causa et inferiora amant superiora, convertendo se ad ea; et quae sunt eiusdem ordinis, amant similia communicando; et maiora minora, providendo eis; et singula seipsa, conservando se." [2] Hoc idem sentit S. Augustinus, cum De divers. quaest. 83, qu. 45 Deum prius in anima superiorem pulchritudinem operari docet, deinde in corpore inferiorem: „Non quaerens extrinsecus visibilia, quamvis caelestia, quae aut non inveniuntur, aut cum magno labore frustra inveniuntur, nisi ex eorum quae foris sunt pulchritudine, inveniatur artifex qui intus est, et prius in anima superiores, deinde in corpore inferiores pul-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 162: Ἐπειδὴ γὰρ τὸ κάλλιστον πάντων καὶ ἐξοχώτατον ἀγαθὸν αὐτὸ τὸ Θεῖόν ἐστι, πρὸς ὃ πάντα νένευκεν, ὅσα τοῦ καλοῦ τὴν ἔφεσιν ἔχει, διὰ τοῦτό φαμεν καὶ τὸν νοῦν, ἅτε κατ᾽ εἰκόνα τοῦ καλλίστου γενόμενον, ἕως ἂν μετέχῃ τῆς πρὸς τὸ ἀρχέτυπον ὁμοιότητος, καθόσον ἐνδέχεται, καὶ αὐτὸν ἐν τῷ καλῷ διαμένειν, εἰ δὲ πως ἔξω γένοιτο τούτου, γυμνοῦσθαι τοῦ κάλλους, ἐν ᾧ ἦν. Ὥσπερ δὲ ἔφαμεν τῇ ὁμοιώσει τοῦ πρωτοτύπου κάλλους κατακοσμεῖσθαι τὸν νοῦν, οἷόν τι κάτοπτρον τῷ χαρακτῆρι τοῦ ἐμφαινομένου μορφούμενον· κατὰ τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν, καὶ τὴν οἰκονομουμένην ὑπ᾽ αὐτοῦ φύσιν ἔχεσθαι τοῦ νοῦ λογιζόμεθα, καὶ τῷ παρακειμένῳ κάλλει καὶ αὐτὴν κοσμεῖσθαι, οἷόν τι κατόπτρου κάτοπτρον γινομένην· κρατεῖσθαι δὲ ὑπὸ ταύτης καὶ συνέχεσθαι τὸ ὑλικὸν τῆς ὑποστάσεως, περὶ ἣν θεωρεῖται ἡ φύσις. Ἕως ἂν οὖν ἔχηται τοῦ ἑτέρου τὸ ἕτερον, διὰ πάντων ἀναλόγως ἡ τοῦ ὄντως κάλλους κοινωνία διέξεισι, διὰ τοῦ ὑπερκειμένου τὸ προσεχὲς καλλωπίζουσα. Ἐπειδὰν δέ τις γένηται τῆς ἀγαθῆς ταύτης συμφυΐας διασπασμός, ἢ καὶ πρὸς τὸ ἔμπαλιν, ἀντακολουθῇ τῷ ὑποβεβηκότι τὸ ὑπερέχον· τότε αὐτῆς τε τῆς ὕλης, ὅταν μονωθῇ τῆς φύσεως, διηνέχθη τὸ ἄσχημον (ἄμορφον γάρ τι καθ᾽ ἑαυτὴν ἡ ὕλη καὶ ἀκατάσκευον). . . . Καλὸν δὲ πᾶν, ὅπερ ἂν τύχῃ πρὸς τὸ πρῶτον ἀγαθὸν οἰκείως ἔχον· ὅ τι δ᾽ ἂν ἔξω γένηται τῆς πρὸς τοῦτο σχέσεώς τε καὶ ὁμοιώσεως, ἄμοιρον τοῦ καλοῦ πάντως ἐστίν. Latinam apud Migne versionem paulo accuratiorem reddidimus.

[2] Ibid. 3, 707: Πᾶσιν οὖν ἐστι τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν, ἐφετὸν καὶ ἐραστὸν καὶ ἀγαπητόν· καὶ δι᾽ αὐτὸ καὶ αὐτοῦ ἕνεκα, καὶ τὰ ἥττω τῶν κρειττόνων ἐπιστρεπτικῶς ἐρῶσι, καὶ κοινωνικῶς τὰ ὁμόστοιχα τῶν ὁμοταγῶν, καὶ τὰ κρείττω τῶν ἡττόνων προνοητικῶς, καὶ αὐτὰ ἑαυτῶν ἕκαστα συνεκτικῶς.

chritudines operetur."[1] Atque hunc sane esse ordinem naturalem idem Augustinus De immort. anim. c. 15 his confirmat verbis: „Tradunt ergo speciem a summa pulchritudine acceptam potentiora infirmioribus naturali ordine. Et utique cum tradunt, non adimunt. Eoque sunt quae infirmiora sunt, in quantum sunt, quod species eis, qua sint, a potentioribus traditur; quae quidem potentiora etiam meliora sunt. Quod his naturis datum est, quae non mole maiore plus possunt minoribus molibus, sed sine tumore ullo localis magnitudinis eadem specie potentiora sunt, qua meliora. In quo genere est anima corpore melior et potentior"[2], et addamus: speciosior. Naturalem ergo hunc ordinem pulchritudinis a sublimioribus ad ima descendentis secuti demonstrabimus Deum causam esse efficientem

1° pulchritudinis naturae angelicae,
2° pulchritudinis naturae humanae,
3° pulchritudinis naturae mere corporeae.

§ 1.

De pulchritudine Dei, quatenus efficiens est causa pulchritudinis naturae angelicae atque beatae.

Quoniam de spirituali atque intelligibili pulchritudine angelorum et beatorum in caelis exsistentium iam supra (Lib. I, Parte II, c. 2, § 4) egimus, hic relinquitur, ut supremam causam investigemus, unde angeli et beati pulchritudinem suam habeant. Quam causam nullam aliam esse posse nisi ipsam Dei pulchritudinem, demonstrare licet tum argumento rationis tum argumento auctoritatis, nimirum Patrum Ecclesiae.

Ut a rationis argumento incipiamus, hunc statuimus syllogismum: Illud dicitur pulchrum, quod ipsius pulchri sit particeps. Atqui angeli et beati sunt pulchri, et quidem pulchritudine spirituali seu intelligibili, ut supra demonstravimus. Ergo angeli et beati sunt participes ipsius pulchri, id est, Dei. Proinde Deus est causa efficiens pulchritudinis naturae angelicae atque beatae.

Haec ipsa est etiam doctrina Patrum Ecclesiae. Nam Dionysius Pseudo-Areopagita De div. nom. c. 4, § 8 spiritus caelestes uniri docet „splendoribus pulchri": „Divinae mentes (θεῖοι νόες) dicuntur moveri circulariter quidem, dum principio fineque carentibus pulchri bonique splendoribus uniuntur."[3] S. Gregorius autem Nazianzenus Orat. theol. II, n. 30 angelos a summa Dei pulchritudine adeo

[1] *Migne*, Patr. lat. 40, 28. [2] Ibid. 32, 1034.

[3] *Migne*, Patr. gr. 3, 703: Κινεῖσθαι μὲν οἱ θεῖοι λέγονται νόες, κυκλικῶς μὲν ἑνούμενοι ταῖς ἀνάρχοις καὶ ἀτελευτήτοις ἐλλάμψεσι τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ. Dionysius, cum „circulariter" (κυκλικῶς) angelos beatos moveri doceat, illud in mente habuisse videtur Apoc. 7, 11: „*Et omnes angeli stabant in circuitu* (κύκλῳ) *throni.*" Cf. etiam Isai. 6, 2 secundum LXX: Καὶ Σεραφὶμ εἱστήκεισαν κύκλῳ αὐτοῦ.

informari censet, ut alias quoque creaturas illuminare et pulchrificare queant. Ait enim: „Angelos scimus . . . puras naturas, quae a summa illa pulchritudine adeo informantur et imprimuntur, ut ipsae alia quoque lumina efficiantur, ac per primi luminis influxiones et communicationes alios illuminare possint.“ [1] Item S. Ioannes Chrysostomus De beat. Philogon. VI. universum angelorum et beatorum coetum splendore gloriae divinae condecorari testatur: „Hic quidem nemo vidit (Deum), illic autem qui adsunt, perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum praesentem, verum etiam suae gloriae splendore condecorantem universum coetum.“ [2]

Et re quidem vera totum caelum omnesque qui in eo habitant beati, gloriam ac pulchritudinem suam a Deo gloriosissimo et pulcherrimo accipiunt, ut planetae claritatem a sole. Hinc idem Chrysostomus Homil. 7 de poenit. caelum beatorum breviter καλὴ βασιλεία, i. e. „pulchrum regnum“ appellat: „Pulchra, Domine, promissa tua: pulchrum, quod exspectatur, regnum tuum.“ [3] Et iterum Homil. 67 (al. 66) in Io.: „Dulcis est praesens vita et multae plena voluptatis, verum non omnibus, sed iis qui ipsi haerent. Si quis vero caelum respiciat et bona ibi reposita, cito illam despiciet et pro nihilo habebit. Nam et corporum pulchritudo, donec alia speciosior appareat, in admiratione habetur; cum vero formosius quidpiam conspicitur, primum contemnitur. Si velimus ergo illam intueri pulchritudinem et regni illius speciem, cito praesentia vincula dissolvemus.“ [4] — Ceterum ipsa Scriptura sacra gloriam pulchritudinemque, quam caelum angelorum et beatorum a Deo pulcherrimo accipit, disertis verbis celebrat Ps. 144, 11—12: *„Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur: ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae regni tui.“* Loco verborum ultimorum S. Augustinus secundum Italam ita legit: *„et gloriam magnitudinis decoris regni tui“* [5]; quae deinde verba Enarr. in Ps. 144, n. 15 hunc in modum exponit: „Sancti ergo tui commendant gloriam magnitudinis

[1] *Migne,* Patr. gr. 36, 71: εἰδέναι ἀγγέλους . . . καθαρὰς φύσεις . . . τοσοῦτον τῷ καλῷ μορφουμένας καὶ τυπουμένας, ὥστε ἄλλα γίνεσθαι φῶτα, καὶ ἄλλους φωτίζειν δύνασθαι ταῖς τοῦ πρώτου φωτὸς ἐπιῤῥοαῖς τε καὶ διαδόσεσιν.

[2] Ibid. 48, 750: Ἐνταῦθα μὲν οὐδεὶς εἶδέ ποτε, ἐκεῖ δὲ διηνεκῶς οἱ παρόντες ὁρῶσιν ὡς αὐτοῖς ἰδεῖν δυνατόν, καὶ παρόντα καὶ τῇ τῆς ἰδίας δόξης λαμπρότητι κοσμοῦντα τοὺς συνιόντας ἅπαντας.

[3] Ibid. 49, 335: Καλαί σου, ὦ Δέσποτα, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι· καλή σου καὶ ἡ προσδοκωμένη βασιλεία.

[4] Ibid. 59, 369: Γλυκὺς ὁ παρὼν βίος, καὶ πολλῆς γέμων ἡδονῆς· ἀλλ' οὐχ ἅπασιν, ἀλλὰ τοῖς προσηλωμένοις αὐτῷ. Εἰ δέ τις εἰς τὸν οὐρανὸν διαβλέψειε, καὶ τὰ ἐκεῖ ἴδοι καλά, ταχέως αὐτοῦ καταφρονήσει, καὶ οὐδένα ποιήσεται λόγον. Ἐπεὶ καὶ κάλλος σωμάτων, ἕως ἂν ἕτερον μὴ φαίνηται λαμπρότερον, θαυμάζεται· ἐπειδὰν δὲ φανῇ τὸ κρεῖττον, καταφρονεῖται τὸ πρότερον. Ἂν τοίνυν θελήσωμεν καὶ ἡμεῖς εἰς ἐκεῖνο τὸ κάλλος ἰδεῖν, καὶ τὴν εὐπρέπειαν τῆς ἐκεῖ βασιλείας κατοπτεῦσαι, ταχέως ἑαυτοὺς τῶν δεσμῶν ἀπολύσομεν τῶν παρόντων.

[5] Hebr. Ps. 145, 12 וּכְבוֹד הֲדַר מַלְכוּתוֹ׃, id est: „et gloriam decoris regni eius.“

decoris regni tui, magnitudinis decoris gloriam. Est quaedam magnitudo decoris regni tui; hoc est, regnum tuum habet decorem et magnum decorem. Quandoquidem quidquid habet decorem, a te habet decorem; ipsum regnum tuum qualem decorem habet! Non nos terreat regnum, habet et decorem, quo delectemur. Etenim quale illud decus est, quo perfruentur sancti, quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (Matth. 25, 34)! Unde ibunt? Quo ibunt? Videte, fratres, et si potestis, quantum potestis, cogitate decorem regni illius, quod venturum est: unde est in oratione nostra: ***Adveniat regnum tuum*** (Matth. 6, 10). Ipsum enim regnum optamus, ut veniat; hoc regnum venturum sancti praedicant" [1]; hoc regnum, „cuius nec magnitudinem, nec gloriam, nec decorem ulla possunt corda concipere", ut S. Prosper Aquitanus eadem verba optime explanat [2]. Unde etiam Ecclesia in festo omnium Sanctorum beata spe suspirat: „O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti!" [3] Iam vero per se intelligitur regnum caelorum omnesque, qui in eo habitant, angelos et beatos non esse pulchros ac gloriosos nisi participatione pulchritudinis ac gloriae divinae. Ergo Deus est causa efficiens pulchritudinis naturae angelicae atque beatae.

§ 2.

De pulchritudine Dei, quatenus efficiens est causa pulchritudinis naturae humanae.

Natura humana considerari potest et in individuo, et in societate. Homines enim multi ad unum finem assequendum concurrentes societatem, civitatem, regnum constituunt. Neque dubium est, quin, ut homo individuus pulchritudine praeditus est, ita etiam hominum societates pulchritudine quadam potiantur, praesertim quando bonis legibus reguntur. Utramque autem pulchritudinem humanam a Deo oriri censemus, tamquam a causa efficiente. Itaque, ut demonstratio magis pateat, de pulchritudine naturae humanae tractabimus

A. in individuo,
B. in societate consideratae.

A. De pulchritudine Dei, quatenus efficiens est causa pulchritudinis naturae humanae in individuo consideratae.

Natura humana individua spectata, id est, homo a Deo non solum formatus est, sed etiam reformatus: non solum creatus, sed etiam elevatus. Unde considerari potest cum in statu naturae et creationis, tum in statu gratiae et elevationis. In utroque autem statu homo eam, quam habet pulchritudinem, a Deo habet ut a causa effi-

[1] *Migne*, Patr. lat. 37, 1879. [2] Ibid. 51, 418.
[3] Breviar. Roman. die 1. Nov. ad II. vesp. ad Magnif. antiph.

ciente. Itaque de Deo disseremus, quatenus efficiens sit causa pulchritudinis hominis

a) in statu naturae,
b) in statu gratiae.

a) Deus est causa efficiens pulchritudinis hominis in statu naturae.

Deum causam esse efficientem illius pulchritudinis, qua homo in statu naturae et creationis praeditus est, duobus probare possumus argumentis, quorum primum ex sacra Scriptura petitur, alterum ex documentis Patrum Ecclesiae.

I. Atque certissime Scriptura sacra hominem ad Dei imaginem factum esse testatur Gen. 1, 26: *„Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.“* [1] Quae verba celeberrima Ecclesiaticus c. 17, 1 hunc in modum repetivit: *„Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.“* Dubium autem oriri non potest, quin Dei imago, secundum quam homo factus est, valde pulchra sit atque speciosa. Quis enim tandem est haec Dei imago? Audi S. Paulum 2 Cor. 4, 4 de gloria Christi dicentem: *„qui est imago Dei“*, vel Col. 1, 15: *„qui est imago Dei invisibilis“*. Iam vero huic imagini Dei, id est, Filio Patris unigenito, ipsa pulchritudo divina appropriatur, ut postea (Libro III.) late demonstrabimus. Hinc sequitur, ut humana quoque natura ab ipso Deo, secundum cuius imaginem creata est, pulchritudinem suam acceperit. Immo Deus pulchritudinem hominis non solum efficit, sed etiam firmat atque conservat teste eadem Scriptura Ps. 29, 8: *„Domine, in voluntate tua praestitisti decori meo virtutem“* (LXX παρέσχου τῷ κάλλει μου δύναμιν) [2]. Quae verba S. Cyrillus Alexandrinus Explan. in Ps. 29 ita interpretatur: „Corporis pulchritudo in facie aestimatur. Plurimae vero partes ad unius pulchritudinis perfectionem concurrunt, veluti oculus, supercilium, genae et reliqua. Eodem modo pulchritudinem quoque spiritualem aestimemus; una est enim ex multis ita conflata virtutibus, ut cohaereat. Age vero, loco oculi ponimus fidem, sicuti loco oris prolatum sermonem, et analoga ratione reliqua. Ceterum, ut pulchritudo animo accedat virtusque quidquid officium postulat efficiendi, divina ad id gratia indigemus. Sicut itaque superius dixit (psalmista), vitam esse in voluntate eius, ita nunc Deum exaltat gratiis agendis dicens: *In voluntate tua praestitisti decori meo virtutem.* Pulcher, inquit, natura eram, sed debilitatus fui, postquam insidiante serpente mortem peccati incurri. Pulchritudini ergo meae, quam a te prima in creatione acceperam,

---

[1] Hebr. נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ

[2] Hebr. Ps. 30, 8: הֶעֱמַדְתָּה לְהַרְרִי עֹז, id est: „statuisti monti meo virtutem.“ LXX loco להררי legisse videntur להדרי.

adiecisti virtutem officio implendo valentem. Pulchra est igitur omnis anima, quae in symmetria propriarum virtutum conspicitur, quoniam et corporis pulchritudo membrorum symmetria constat.“[1] Itaque homo, sicut a Deo factus est, pulcher erat natura et tam pulcher prae omnibus animalibus terrestribus, ut Psalmus 8, 6 de praestantia hominis dicit: *„Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore* (hebr. gloria et decore) *coronasti eum.“*[2] Neque peccatum quidem talem ac tantam hominis pulchritudinem naturalem penitus auferre potuit, sed nonnisi debilitare. Quidquid autem pulchritudinis in homine adhuc reperitur, certissime a Deo est tamquam a causa efficiente.

II. Ut sacra Scriptura, ita Patres Ecclesiae docent. Atque primo Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 11 naturalem pulchritudinem animae et corporis humani a Deo repetit: „Pulchritudo enim optima“, inquit, „primum est pulchritudo animae, ut saepe significavimus. . . . Dein ornetur etiam pulchritudo corporis, apta membrorum et partium competentia (συμμετρία) cum bono colore. Hic est sanitatis aptus et appositus ornatus, per quem ficti simulacri accedit ad verum transitus, convenienter figurae quae a Deo data est.“[3] Praecipue vero S. Gregorius Nyssenus De hom. opif. c. 5 Deum describit conditorem, qui naturam humanam pulchritudine exornaverit eodem fere modo, quo pictor quilibet imaginem coloribus exprimit: „Quemadmodum pictores“, inquit, „coloribus quibusdam figuras humanas in tabulis exprimunt, omnique studio colores proprios et convenientes addere picturae suae conantur, ut pulchritudinem eius, quod exprimunt, exemplaris accurate in imaginem ipsam transferant: sic nostrum etiam conditorem existimabis virtutibus, quas animis nostris iniecit, velut quibusdam coloribus imaginem ad similitudinem propriae pulchri-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 69, 855: Ἐν προσώπῳ μὲν σώματος τὸ κάλλος νοεῖται. Πλεῖστα δὲ αὐτοῦ τὰ μέρη συνεισφέροντα τοῦ ἑνὸς κάλλους τὸ ἀποτέλεσμα, οἷον ὀφθαλμός, ὀφρύς, παρειαί, καὶ τὰ λοιπά. Κατὰ τὸν ἴσον τρόπον καὶ τὸ κάλλος ἐννοοῦμεν τὸ πνευματικόν· ἓν γάρ ἐστιν ἐκ πολλῶν ἀρετῶν συνηγμένον εἰς τὸ ἀρτίως ἔχειν. Καὶ ἐν τάξει μὲν ὀφθαλμοῦ τιθέμεθα τὴν πίστιν· ὡς ἐν τάξει δὲ στόματος τὸν ἐν προφορᾷ λόγον, καὶ τὰ ἄλλα ἀνάλογον. Πλὴν ἵνα καὶ κάλλος ἐπιγένηται τῇ ψυχῇ καὶ δύναμις τῶν δεόντων ἐπιτελεστική, θείας εἰς τοῦτο χάριτος χρῄζομεν. Ὡς τοίνυν ἄνω εἴρηκεν, ὅτι ζωὴ ἐν τῷ θελήματι αὐτοῦ, οὕτως νῦν ὑψοῖ τὸν Θεὸν διὰ τῆς εὐχαριστίας λέγων, ὅτι „Ἐν τῷ θελήματί σου παρέσχου τῷ κάλλει μου δύναμιν.“ Καλὸς ἤμην, φησί, κατὰ τὴν φύσιν, ἀσθενὴς δὲ γέγονα διὰ τὸ ἐξ ἐπιβουλῆς τοῦ ὄφεως νεκρωθῆναι τῷ παραπτώματι. Τῷ οὖν κάλλει μου, ᾧ παρὰ σοῦ ἔλαβον ἐκ τῆς πρώτης κατασκευῆς, προσέθηκας δύναμιν τὴν τῶν δεόντων πρακτικήν. Καλὴ μὲν οὖν πᾶσα ψυχὴ ἡ ἐν συμμετρίᾳ τῶν οἰκείων δυνάμεων θεωρουμένη· ἐπεὶ καὶ σώματος κάλλος, ἡ τῶν μελῶν συμμετρία.

[2] Hebr. Ps. 8, 6 :וְכָבוֹד וְהָדָר תְּעַטְּרֵהוּ

[3] *Migne*, Patr. gr. 8, 633: Κάλλος γὰρ ἄριστον πρῶτον μὲν τὸ ψυχικόν, ὡς πολλάκις ἐπεσημηνάμην. . . . Ἔπειτα καὶ τὸ σωματικὸν κάλλος ἠσκήσθω, συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας. Ἡ κομμωτικὴ τῆς ὑγιείας ἐνταῦθα εὔθετος, καθ' ἣν ἡ τοῦ εἰδώλου τοῦ ἐπιπλάστου εἰς τὸ ἀληθὲς μετάβασις, κατὰ τὸ σχῆμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ δεδομένον, περιγίνεται.

tudinis ornasse, ut principatus sui imago in nobis perspiceretur."[1] Et paucis interiectis: „Quod si et alia libet perquirere, quibus divina pulchritudo exprimitur; intelliges etiam quoad illa accurate servatam esse in imagine nostra similitudinem. In natura divina est mens et sermo. . . . Consentaneum his quiddam est in homine. Nam in teipso animadvertis et sermonem esse et vim intelligentem, quae sunt verae illius mentis et sermonis imago. Deus item caritas et fons caritatis. . . . Etiam hanc faciei nostrae notam creator impressit. . . . Omnia intuetur divinum numen, omnia exaudit, omnia perscrutatur. Etiam tu visu et auditu res percipis, et mentis intelligentia universa inquiris et perscrutaris."[2] Et aliquanto post, c. 18: „Mihi videtur duplicem ferre homo similitudinem, unam alteri contrariam: mente quidem, qua Deo similis est, ad divinam pulchritudinem factus; motibus affectus autem cum pecore ferens cognationem."[3] Neque minus praeclara sunt, quae S. Ioannes Chrysostomus Homil. 11 ad pop. Antioch. n. 3 docet: „Itaque quanto magis substantiae (humanae) tenuitatem accusas, tanto magis Dei artis magnitudinem admirare. Quoniam et statuarium admiror, non tam ex auro pulchram facientem statuam, quam ex luto dilabente mirabilem et inexcogitabilem figmenti pulchritudinem artis facultate exhibere valentem. Illic enim fingenti materia quoque confert, hic nuda est artis ostentatio."[4] Eandem sententiam De proph. obscur. II ita repetit: „Summum artificem

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 138: Ὥσπερ τὰς ἀνθρωπίνας μορφὰς διὰ χρωμάτων τινῶν ἐπὶ τοὺς πίνακας οἱ γραφεῖς μεταφέρουσι, τὰς οἰκείας τε καὶ καταλλήλους βαφὰς ἀπαλείφοντες τῷ μιμήματι, ὡς ἂν δι' ἀκριβείας τὸ ἀρχέτυπον κάλλος μετενεχθείη πρὸς τὸ ὁμοίωμα· οὕτω μοι νόει καὶ τὸν ἡμέτερον πλάστην, οἷόν τισι βαφαῖς τῇ τῶν ἀρετῶν ἐπιβολῇ πρὸς τὸ ἴδιον κάλλος τὴν εἰκόνα περιανθίσαντα, ἐν ἡμῖν δεῖξαι τὴν ἰδίαν ἀρχήν.

[2] Ibid.: Εἰ δὲ καὶ τὰ ἄλλα συνεξετάζοις, δι' ὧν τὸ θεῖον κάλλος χαρακτηρίζεται· εὑρήσεις καὶ πρὸς ἐκεῖνα δι' ἀκριβείας σωζομένην ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς εἰκόνι τὴν ὁμοιότητα. Νοῦς καὶ λόγος ἡ θειότης ἐστίν. . . . Οὐ πόῤῥω τούτων καὶ τὸ ἀνθρώπινον. Ὁρᾷς ἐν σεαυτῷ καὶ τὸν λόγον, καὶ διάνοιαν, μίμημα τοῦ ὄντως νοῦ τε καὶ λόγου. Ἀγάπη πάλιν ὁ Θεός, καὶ ἀγάπης πηγή. . . . Τοῦτο καὶ ἡμέτερον πεποίηται πρόσωπον ὁ τῆς φύσεως πλάστης. . . . Πάντα ἐπιβλέπει, καὶ πάντα ἐπακούει τὸ Θεῖον, καὶ πάντα διερευνᾶται. Ἔχεις καὶ σὺ τὴν δι' ὄψεως καὶ ἀκοῆς τῶν ὄντων ἀντίληψιν, καὶ τὴν ζητητικήν τε καὶ διερευνητικὴν τῶν ὄντων διάνοιαν.

[3] Ibid. 44, 191: Δοκεῖ μοι διπλῆν φέρειν ὁ ἄνθρωπος πρὸς τὰ ἐναντία τὴν ὁμοιότητα· τῷ μὲν θεοειδεῖ τῆς διανοίας πρὸς τὸ θεῖον κάλλος μεμορφωμένος, ταῖς δὲ κατὰ πάθος ἐγγινομέναις ὁρμαῖς πρὸς τὸ κτηνῶδες φέρων οἰκειότητα. Latina apud Migne versio nimis libera est, nempe: „Mihi in homine duplex esse similitudo videtur, quarum altera longe ab altera dissideat. Divinum enim mentis donum (!) quod attinet (!), pulchritudinem haec eam, quae in Deo est, refert; ceterum (!) qua cupiditates ei quaedam insunt, ortae ex animi morbis (!), etiam naturae brutae cognatione tenetur."

[4] Ibid. 49, 122: Ὥστε ὅσῳπερ ἂν κατηγορῇς τοῦ τῆς οὐσίας εὐτελοῦς, τοσούτῳ μᾶλλον θαύμασον τὸ μεγαλεῖον τῆς τέχνης. Ἐπεὶ καὶ ἀνδριαντοποιὸν οὐχ οὕτω θαυμάζω τὸν ἀπὸ χρυσοῦ καλὸν ἀνδριάντα ποιοῦντα, ὡς τὸν ἀπὸ πηλοῦ τοῦ διαπίπτοντος τῇ τῆς τέχνης εὐπορίᾳ δυνάμενον κάλλος ἐπιδεῖξαι πλάσεως θαυμαστὸν καὶ ἀμήχανον. Ἐκεῖ μὲν γὰρ καὶ συντελεῖ τι ἡ ὕλη τῷ πλάττοντι, ἐνταῦθα δὲ γυμνὴ τῆς τέχνης ἐστὶν ἡ ἐπίδειξις.

Deum obstupescimus et glorificamus, quod in pulvere ac luto pulchritudinem quandam immensam et ineffabilis cuiusdam sapientiae specimen in nostris corporibus collocarit."[1] Quibus plane consentit etiam S. Cyrillus Alexandrinus De incarn. Dom. dicens: „Hunc optime temperatum mundum creavit Deus, variis simul beneficiis naturam nostram cumulat. Et primo quidem eam quae non erat fecit, et formatam honoravit, pulveremque in hominis naturam prout voluit convertit, et deformi luto pulchritudinem simul animamque largitus est, oculorum claritatem, vultus hilaritatem, genarum laevitiam" etc.[2] Ergo „cum principio crearetur Adam", ut idem Cyrillus in Matth. 24, 51 habet, „perfectissimam ei naturae pulchritudinem Deus tribuit, participem illum sui spiritus reddens. *Inspiravit* enim *in faciem eius spiraculum vitae* (Gen. 2, 7)."[3]

b) Deus est causa efficiens pulchritudinis hominis in statu gratiae.

Cum gratia supernaturalis hominem supra naturam penitus elevet eumque in altiorem ordinem evehendo quam proxime ad Deum adducat, iam liquet naturam humanam divina gratia radicitus mutatam longe pulchriorem reddi ad instar speculi dilucidissimi, in quo summe resplendeat ipsa pulchritudo atque imago Dei. Qua cum doctrina optime congruit Catechismus Romanus (Parte II, c. 2, n. 50) de gratia divina haec docens: „Est autem gratia . . . divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit." Neque desunt argumenta, sive ad sacras Scripturas et Veteris et Novi Testamenti recurrimus, sive ex documentis haurimus Patrum Ecclesiae et orientalis et occidentalis.

I. Haud raro sacra Scriptura pulchritudinem commemorat spiritualem, quam gratia sanctificans animae impertitur. Atque ut **1.** Vetus Testamentum testem adhibeamus, legimus Ps. 44, 3: *„Diffusa est gratia in labiis tuis."*[4] Et vers. 14: *„Omnis gloria eius filiae*

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 56, 186: Τὸν ἀριστοτέχνην Θεὸν ἐκπληττόμεθα καὶ δοξάζομεν, ὅτι ἐν σποδῷ καὶ πηλῷ κάλλος ἀμήχανον καὶ σοφίας ἀῤῥήτου τινὸς ἐπίδειξιν τοῖς σώμασιν ἡμῶν ἐναπέθετο.

[2] Ibid. 75, 1419: Τόνδε τὸν παναρμόνιον κόσμον ἐδημιούργησεν, ταῖς ποικίλαις εὐεργεσίαις τὴν ἡμετέραν ἐπικλύζει φύσιν ὁ Ποιητής. Καὶ πρῶτον μὲν μὴ ὄντα πεποίηκε καὶ διαπλάττων ἐτίμησεν, καὶ τὸν χοῦν εἰς ἀνθρώπου φύσιν μετέβαλεν ὡς ἠθέλησε, καὶ τῷ δυσειδεῖ πηλῷ κάλλος καὶ ψυχὴν ἐδωρήσατο, ὀφθαλμῶν λαμπρότητα, καὶ γαλήνης καθαρότητα, καὶ παρειῶν λειότητα κτλ.

[3] Ibid. 72, 446: Ὅταν γέγονεν ἐν ἀρχαῖς ὁ Ἀδάμ, τὸ ἐντελέστατον κάλλος ἀποδιδοὺς τῇ φύσει ὁ Θεός, μέτοχον αὐτὸν ἀποτελεῖ τοῦ ἰδίου πνεύματος. „Ἐνεφύσησε γὰρ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς."

[4] Hebr. Ps. 45, 3: הוּצַק חֵן בְּשִׂפְתוֹתֶיךָ

regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus." [1] Filia regis autem intelligitur anima humana, quam Deus rex variis gratiis ac virtutibus dotavit. Hinc illa gloria, illa pulchritudo, quae *ab intus* elucet, et tantis quidem splendoribus, ut vel ipse Deus pulchritudinem talis animae diligat atque amet secundum v. 12 eiusdem Ps.: „*Et concupiscet rex decorem tuum*" (ἐπεθύμησεν ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου)[2]. — Rursus Prov. 31, 25 de muliere forte atque honesta legimus: „*Fortitudo et decor indumentum eius*" [3]; ubi hagiographus decorem spiritualem cogitat, cum pulchritudinem corporis tamquam viliorem opponat interno decori, dicens (v. 30): „*Fallax gratia* (Germanice Anmut) *et vana est pulchritudo*"; tamen „*mulier, timens Dominum, ipsa laudabitur,*" nimirum propter internae gratiae et virtutis pulchritudinem. — Imprimis autem iuxta communiorem interpretationem huc pertinet Canticum Canticorum, in quo sponsus caelestis, i. e. Christus, gratiam ac pulchritudinem sponsae suae, i. e. animae sanctae, describit atque laudat[4]. Haec sponsa, gratia intrinsece ornata cum sit, iam Cant. 1, 4 seipsam pulchram dicit: „*Nigra sum, sed formosa*" (וְנָאוָה). Quam formositatem internam sponsa non a seipsa habet, sed a benignitate sponsi accepit, ut S. Gregorius Nyssenus Homil. 2 in Cant. ita explanat: „Discamus immensam sponsi benignitatem, qui dilectae per dilectionem indidit pulchritudinem. Ne miramini enim, inquit (sponsa), quod me dilexerit rectitudo; sed quod, cum nigra essem peccato, et per opera affinis essem et coniuncta tenebris, me pulchram fecerit per dilectionem, sua pulchritudine commutata cum mea turpitudine. In se enim translatis sordibus meorum peccatorum, mihi suam puritatem impertiit, efficiens participem suae pulchritudinis, qui ex deformi primum fecit amabilem, et sic dilexit." [5] Deus ergo, ut Nyssenus expresse

---

[1] Hebr. Ps. 45, 14 :כָּל־כְּבוּדָּה בַת־מֶלֶךְ פְּנִימָה מִמִּשְׁבְּצוֹת זָהָב לְבוּשָׁהּ — לִרְקָמוֹת, quod *varietatibus* in Vulgata translatum est, pertinet in textu Hebraico ad versum sequentem.

[2] Hebr. Ps. 45, 12: וְיִתְאָו הַמֶּלֶךְ יָפְיֵךְ

[3] עֹז־וְהָדָר לְבוּשָׁהּ

[4] *Gerardus Gietmann* S. J., Commentar. in Ecclesiasten et Canticum Canticorum (Parisiis 1890) p. 337 haec „de Cantico generatim" dicit: „Quinque res sunt, quae de Cantico Canticorum constanti antiquitatis testimonio stabilire licet: sanctum esse carmen et unum et a Salomone forma allegorica scriptum de Christi cum Ecclesia desponsatione." Et p. 346: „Praeterea (Veteres) transferre ad morum utilitatem omnia studebant, quae proprie de Ecclesiae dignitate scripta esse fatebantur: substituebant igitur saepe pro Ecclesia animam piam. Quod etsi item facile abducebat a propria verborum interpretatione, tamen, si de illa (generatim) dubitatio nulla erat, et rectissime et utilissime fiebat. Nam qui honor, quae gratia Ecclesiae universae confertur, eius particeps est multitudo fidelium eorumque unusquisque, nisi nomine christiano indignum se reddidit. Atque hoc necessaria etiam ratione consequitur, ubi primum amplificare atque exponere uberius sententiam propriam coeperis; itaque hanc secundariam sententiam theologi recte ‚sententiam consequentem' appellarunt."

[5] *Migne*, Patr. gr. 44, 790: Μάθωμεν τὴν ἀμέτρητον τοῦ νυμφίου φιλανθρωπίαν τοῦ διὰ τῆς ἀγάπης ἐπιβάλλοντος τῇ ἀγαπηθείσῃ τὸ κάλλος. Μὴ θαυμάσητε γάρ, φησίν

ait, efficiens est causa illius pulchritudinis supernaturalis, quae una cum gratia divina naturae humanae condonatur. Insuper, quod multo gravius est, ipse sponsus, sub cuius figura Deus sive Christus latet, pulchritudinem ac decorem sponsae, i. e. animae in gratiae statum elevatae, admirabundus hisce alloquitur laudibus Cant. 1, 7: *„Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres* (הַיָּפָה בַּנָּשִׁים), *egredere.“* Et Cant. 2, 13: *„Surge, amica mea, speciosa mea“* (יָפָתִי). Et rursus Cant. 1, 14: *„Ecce tu pulchra* (יָפָה) *es, amica mea, ecce tu pulchra es“*; id quod Cant. 4, 1 ita repetit: *„Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es!“* Quae repetitiones summum quendam pulchritudinis gradum significare videntur, praesertim cum sponsus divinus singulas pulchritudines sponsae animae quasi enumeret ac perpendat, dicens Cant. 1, 9: *„Pulchrae* (נָאווּ) *sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia.“* Et Cant. 2, 14: *„Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora“* (נָאוֶה). Et rursus Cant. 4, 10: *„Quam pulchrae* (מַה־יָּפוּ) *sunt mammae tuae, soror mea sponsa! pulchriora* (מַה־טֹּבוּ) *sunt ubera tua vino.“* Et iterum Cant. 7, 1: *„Quam pulchri* (מַה־יָּפוּ) *sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!“* Denique nesciens, qua ratione pulchritudinem sponsae pro merito describat, confugit tandem ad comparationes et similitudines, e. gr. urbis Thirzah, urbis Ierusalem, lunae, aurorae, solis. Ait enim Cant. 6, 3: *„Pulchra* (יָפָה) *es, amica mea, sicut Thirzah: decora* (נָאוָה) *sicut Ierusalem.“* [1] Unde paulo post 6, 9: *„Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra* (יָפָה) *ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?“* Omnes tandem pulchritudines animae sponsae velut uno intuitu complectens sponsus divinus exclamat Cant. 4, 7: *„Tota pulchra es* (כֻּלָּךְ יָפָה), *amica mea.“*

Porro, etiam Isaias propheta c. 58, 8 et 11 satis perspicue docet Veteris et Novi Testamenti theocratiam omnemque in ea animam piam a Domino „gloria“ impleri et „splendoribus“ iustitiae atque gratiae: *„Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te. ... Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam.“* [2] Atque haec est gloria et pulchritudo e gratia

---

ὅτι μὲ εὐθύτης ἠγάπησεν, ἀλλ᾽ ὅτι μέλαιναν οὖσαν ἐξ ἁμαρτίας, καὶ προσῳκειωμένην τῷ ζόφῳ διὰ τῶν ἔργων, καλὴν διὰ τῆς ἀγάπης ἐποίησεν, τὸ ἴδιον κάλλος πρὸς τὸ ἐμὸν αἶσχος ἀνταλλαξάμενος. Μεταθεὶς γὰρ πρὸς ἑαυτὸν τὸν τῶν ἐμῶν ἁμαρτιῶν ῥύπον, μετέδωκέ μοι τῆς ἑαυτοῦ καθαρότητος, κοινωνόν με τοῦ ἑαυτοῦ κάλλους ἀπεργασάμενος. — Similiter **Origenes**, **Theodoretus**, **Beda Venerabilis**, **S. Thomas Aqu.**, **Bossuet**, et nuperrime **Bern. Schaefer** (Das hohe Lied. Münster 1876) verba Cantici ad electae cuiuslibet animae cum Christo desponsationem accommodaverunt.

[1] Vulgata habet: *„Pulchra es, amica mea, suavis* (LXX ὡς εὐδοκία; Hebr. כְּתִרְצָה) *et decora sicut Ierusalem.“*

[2] Huius loci verba ultima, quae secund. Hebr. significant: „Et ducet te Dominus continuo et saturabit in siccitatibus animam tuam“, *Ios. Knabenbauer*, Comment. in Isai. proph. II (Parisiis 1887), 399 hunc in modum exponit: „Semper Do-

divina efflorescens, quam idem propheta c. 61, 10 cum speciosis vestimentis confert. „*Gaudens gaudebo in Domino*“, inquit, „*et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis.*“ Nec graviter quidquam obstat, quominus etiam haec, quae apud Baruch proph. c. 5, 1—3 leguntur, verba ad animam in statum gratiae elevatam accommodentur: „*Indue te decore et honore eius, quae a Deo tibi est sempiternae gloriae. Circumdabit te Deus diploide iustitiae, et imponet mitram capiti honoris aeterni. Deus enim ostendet splendorem suum in te omni, qui sub caelo est.*“

2. Ut Vetus Testamentum, ita etiam Novum illam effert pulchritudinem spiritualem, quae una cum gratia a Deo animae humanae infunditur. Ipse enim Salvator Luc. 11, 25 animam humanam spiritu immundo expulso mundatam esse docet et ornatam: „*Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem, et non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam*“ (κεκοσ-μημένον scil. οἶκον). In sacerdotali autem oratione sua Io. 17, 22 iis, qui credituri sint in eum, gratiam clarificantem a Patre suo petebat dicens: „*Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.*“ Quemadmodum caritas enim, ita etiam gratia divina fideles pulcherrimo vinculo unit in unitatem Ecclesiae nunc militantis, tunc vero triumphantis. Quoniam autem „omnis pulchritudinis forma unitas est“, ut S. Augustinus supra (Lib. I. Parte I, c. 3, § 5) definivit, e gratia sanctificante, quam Dominus Iesus pro fidelibus petebat, pulchritudinem spiritualem oriri necesse est. Quapropter etiam S. Paulus 2 Cor. 3, 18 fideles docet a Spiritu sancto eiusque gratia in imaginem et pulchritudinem Dei transformari: „*Nos vero*“, inquit, „*revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*“ Et postea 4, 6: „*Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris*“; neque solum illuxit, verum etiam per gratiam suam nos effecit „divinae consortes naturae“, ut S. Petrus epist. II, c. 1, 4 scribit: „*Maxima et pretiosa nobis promissa* (Deus) *donavit, ut per haec efficiamur divinae consortes naturae*“, nimirum clarissimae atque pulcherrimae.

Haec fere sunt argumenta, quibus sacrae Scripturae et Veteris et Novi Testamenti demonstrant illam, quae ex gratia divina oriatur.

minus *gratia* sua et suis favoribus te comitabitur et ducet te, et si quando pericula exsurgunt vel tribulationes, animam tuam roborabit et bonis suis satiabit. Unde in hac acceptione innuitur, instare quidem *ardores* et *ariditates*, etiam pios minime excipi a laboribus et molestiis et variis tentationibus, at Deus etiam adesse copiosis suis auxiliis, quibus *anima* plenitudine divinae consolationis satiatur.“

pulchritudinem in naturam humanam a Deo conferri, ut a causa efficiente.

II. Quod sacra Scriptura paulo obscurius significavit, id Patres Ecclesiae distinctius pronuntiarunt. Atque 1. e Graecis quidem Origenes animam docet peccatricem, cum ad Deum se converterit, pulchritudinem gratiae recuperare. Ait enim Homil. duab. in Cant., interprete S. Hieronymo: „*Nigra sum, et speciosa, filiae Ierusalem* (Cant. 1, 4). Speciosa quidem est, et possum invenire, quomodo speciosa sit sponsa. Quaerimus autem, quomodo nigra et sine candore sit pulchra. Poenitentiam egit a peccatis, speciem ei largita est conversio: et ideo speciosa cantatur. Quia vero necdum omni peccatorum sorde purgata, necdum lota est in salute, nigra dicitur; sed in atro colore non permanet. Fit itaque candida, quando ad maiora consurgit, et ab humilibus incipit ad alta conscendere." [1] Unde pluribus intermissis illud Cant. 1. 10: „*Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*", interpretans, ita prosequitur: „Ipse (Deus) tibi aurum, ipse faciet argentum, ipse tuam mentem sensumque decorabit, et eris vere dives in sponsi domo sponsa formosa." [2] Denique Cant. 1, 14: „*Ecce speciosa es, proxima mea*" (sec. LXX), exponens ait: „Quare ille non solum *speciosa es* dicit, sed *speciosa es, proxima mea*? Sponsa si longe fuerit a sponso, non est speciosa; tunc pulchra fit, quando Dei Verbo coniungitur." [3] Deus ergo vel potius Dei Filius homini pulchritudinem gratiae largitur. Quam sententiam ante Origenem iam Clemens Alexandrinus lib. 3 Paedag. c. 1 professus est: „Homo ille", inquit, „cui Logos cohabitat . . . formam habet Logi, Deo assimilatur, pulcher est; non ut pulcher videatur se exornat, vera est pulchritudo." [4] Idem sentit S. Gregorius Nyssenus, De virginit. c. 11 dicens: Quicunque „ad pulchritudinem accesserit, pulcher ipse efficietur." [5] Neque S. Cyrillus Alexandrinus praetermittendus est, utpote qui Comment. in Matth. 24, 51 docet hominem εἰς τὸ ἀρχαῖον κάλλος, i. e. „ad antiquam pulchritudinem", quam peccando perdiderit, reduci per gratiam divinam: „Cum principio crearetur Adam, perfectissimam ei naturae pulchritudinem Deus tribuit, participem illum sui spiritus reddens. *Inspiravit* enim *in faciem eius spiraculum vitae* (Gen. 2, 7). Vere enim vivificus spiritus est vitae, id est, Christi. Cum autem exorbitavit per deceptionem in peccatum, spiritus defraudatus est; beneplacitum autem Dei ac Patris fuit, summatim omnia recenseri in Christo, et ad antiquam pulchritudinem naturam hominum reduci. Per **gratiam** itaque suscepimus id, quo peccati incursus nos

[1] ***Migne***, Patr. lat. 23, 1126. [2] Ibid. 23, 1180.
[3] Ibid. 23, 1183.
[4] ***Migne***, Patr. gr. 8, 556: Ὁ δὲ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, ᾧ σύνοικος ὁ Λόγος . . . μορφὴν ἔχει τὴν τοῦ Λόγου· ἐξομοιοῦται τῷ Θεῷ· καλός ἐστιν, οὐ καλλωπίζεται· κάλλος ἐστὶ τὸ ἀληθινόν.
[5] Ibid. 46, 368: Γενήσεται καὶ αὐτὸς καλός, τῷ καλῷ προσπελάσας.

spoliavit; insufflavit enim Christus nobis post resurrectionem, et ad antiquam pulchritudinem renovans nos: *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum* (Io. 20, 22)."[1] Quae pulchritudo antiqua per gratiam divinam non solum, renovatur, sed etiam conservatur, teste eodem Cyrillo in Isai. lib. 1, Orat. 3: „Dum enim Deus, qui super omnes Deus est, nos robore spirituali continet et coercet, retinemus in nobis splendidum propriae naturae decorem (κάλλος). Sin autem opem suam subtraxerit, denudati erimus omnibus bonis virtutibusque, et abiecta pulchritudine foedis affectibus succumbemus, ac serviemus hostibus."[2] Immo vero pulchritudo, quae ex gratia et „filiatione" Dei oritur, ab eodem Cyrillo Thesaur. assert. 11 maioris aestimatur, quam vel ipsa gloria Ioannis Baptistae, quo nemo „*inter natos mulierum maior*" (Matth. 11, 11). Haec enim evangelii verba: „*Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista; qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo*", interpretans ait: „Cum igitur illum veluti imaginem summae virtutis, quae in natos e mulieribus caderet, statuisset (sc. Christus), maius bonum opponit, hoc est, qui recens regnum caelorum consecutus esset et in filium Dei regeneratus per Spiritum, ut ex quibus ille minus habens, admirationi esset, regni participes admiratione dignissimi videantur, utque alii alacriter ad capessendum illud contendant, ex Ioannis gloria immensam illius pulchritudinem aestimantes." Et post pauca: „Maior itaque omnibus natis e muliere est, qui per Spiritum regeneratus est. Illi enim adhuc filii carnis appellantur, hi vero Deum totius universi Patrem vocantes, ut filii eum invocant, dicentes: *Abba, Pater* (Rom. 8, 15)."[3]

---

[1] *Migne*, Pat. gr. 72, 446: Ὅταν γέγονεν ἐν ἀρχαῖς ὁ Ἀδάμ, τὸ ἐντελέστατον κάλλος ἀποδιδοὺς τῇ φύσει ὁ Θεός, μέτοχον αὐτὸν ἀποτελεῖ τοῦ ἰδίου πνεύματος· „Ἐνεφύσησε γὰρ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς." Τὸ γὰρ ἀληθῶς ζωοποιοῦν τὸ πνεῦμά ἐστι τῆς ζωῆς, τουτέστι Χριστοῦ Ἐπειδὴ δὲ παρώλισθεν ἐξ ἀπάτης εἰς ἁμαρτίαν, ἀπενοσφίσθη τὸ πνεῦμα· εὐδοκήσαντος δὲ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, καὶ εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀνακομίσαι κάλλος τὴν τῶν ἀνθρώπων φύσιν· ἀπελάβομεν διὰ τῆς χάριτος, ὅπερ ἡ τῆς ἁμαρτίας παρεισδρομὴ ἡμᾶς ἐζημίωσεν· ἐνεφύσησε γὰρ ὁ Χριστὸς ἡμῖν μετὰ τὴν ἀνάστασιν, καὶ εἰς ἀρχαῖον ἡμᾶς ἀνακαινίζω κάλλος· „Λάβετε", φησί, „Πνεῦμα ἅγιον".

[2] Ibid. 70, 126: Συνέχοντος μὲν γὰρ ἡμᾶς εἰς ἰσχὺν τὴν πνευματικὴν τοῦ ἐπὶ πάντας Θεοῦ διασώζομεν ἐν ἑαυτοῖς τὸ λαμπρὸν τῆς ἰδίας φύσεως κάλλος. Ἀφιστάντος δὲ τὴν ἐπικουρίαν, γυμνοὶ δὴ πάντως ἐσόμεθα παντὸς ἀγαθοῦ, καὶ τῶν ἐξ ἀρετῆς αὐχημάτων ἀποβαλόντες τὴν ὡραιότητα, τοῖς τῆς ἀτιμίας πάθεσιν ὑποκεισόμεθα, καὶ δουλεύσομεν ἐχθροῖς.

[3] Ibid. 75, 174: Εἰκόνα τοιγαροῦν ὥσπερ αὐτὸν ἀναθεὶς τῆς ἐνούσης ἀρετῆς ἐν γεννητοῖς γυναικῶν ἔχουσαν τὸ ἀκρότατον, ἀντιπαρατίθησιν τὸ μειζόνως ἀγαθόν, τουτέστι, τὸν ἄρτι τῆς βασιλείας ἀψάμενον, καὶ εἰς υἱὸν ἀναγεννηθέντα Θεοῦ διὰ τοῦ Πνεύματος· ἵν' ἐξ ὧν ἐκεῖνος τὸ ἔλαττον ἔχων θαυμάζεται, ἀξιολογώτατοι φαίνοιντο τῆς βασιλείας οἱ μέτοχοι, βαδίζοιεν δὲ προθύμως τινὲς ἐπὶ τὸ ἁρπάζειν αὐτήν, ἐκ τῆς Ἰωάννου τιμῆς τὸ ὑπερφέρον αὐτῆς ἀναμετρούμενοι κάλλος. . . . Μείζων οὖν ἄρα παντὸς γεννητοῦ γυναικὸς ὁ τῇ τοῦ Πνεύματος ἀναγεννήσει τετιμημένος. Οἱ μὲν γὰρ ἔτι τέκνα καλοῦνται σαρκός, οἱ δὲ Πατέρα τὸν τῶν ὅλων ἐπιγραφόμενοι Θεόν, ὡς υἱοὶ προσεύχονται, λέγοντες· „Ἀββᾶ, ὁ Πατήρ."

2. In Ecclesia vero occidentali praecipue S. Ambrosius et S. Augustinus vividis coloribus describunt pulchritudinem supernaturalem, quae gratiam sanctificantem semper comitetur. Atque ille profecto lib. 6 Hexaëm. c. 7 pulchritudinem animae humanae, „in qua elucet divinae operationis effigies", hunc in modum exhibet: „Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos (cf. Isai. 49, 16). Illa anima a Deo pingitur, quae habet in se virtutum gratiam renitentem splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua elucet divinae operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriae et paternae imago substantiae. Secundum hanc imaginem, quae refulget, pictura pretiosa est. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum: sed ubi lapsus est, deposuit imaginem caelestis, sumpsit terrestris effigiem."[1] Verum peccator, qui ad gratiam Dei recurrit, pulchritudinem imaginis caelestis recuperat, teste eodem Ambrosio, qui Epist. (29) ad Irenaeum scribit: „Versiculum illum coepi mecum volvere, quo vesperi in vigiliis usi fueramus: Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων (Ps. 44, 3). Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων αὐτόν (Isai. 52, 7). Et vere nihil speciosius illo summo bono, cuius etiam praedicatio speciosa est nimis. . . . Nos quantum possumus, intendamus illo animum, et in illo simus, illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, ut fiat illuminatione eius et fulgore speciosa anima nostra et mens dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate et specie nemoris vel collis herbosi omnem inaequalitatem aegrescentis obtutûs repellunt, et quadam salubri specie pupillae ipsae atque orbes colorari videntur; quanto magis hic mentis oculus, cum illud summum intuetur bonum, et in eo versabitur, atque eo pascitur, splendescit atque enitet."[2] Christum enim, inquit De Cain et Abel c. 6, „cum audit mens, avertit se a voluptate virtutique adiungit, veri decoris admirans gratiam."[3] Magnum magistrum sequitur maior discipulus, scil. S. Augustinus, qui in Ps. 95, 6 naturam humanam divina gratia pulchram reddi testatur: „***Confessio et pulchritudo in conspectu eius*** (Ps. 95, 6). Pulchritudinem amas? Vis esse pulcher? Confitere. Non dixit Pulchritudo et confessio, sed Confessio et pulchritudo. Foedus eras; confitere, ut sis pulcher: peccator eras; confitere, ut sis iustus. Foedare te potuisti, formosum te facere non potes. Qualis autem est sponsus noster, qui foedam amavit, ut pulchram faceret? Quomodo, ait aliquis, foedam amavit? ***Non veni***, inquit, ***vocare iustos, sed peccatores*** (Matth. 9, 13). Quos vocas peccatores, ut remaneant peccatores? Non, inquit. Et quomodo non erunt peccatores? ***Confessio et pulchritudo in conspectu eius.*** Confitentur enim peccata sua . . . et erit confessio et pulchritudo. Amamus pulchritudinem; prius

[1] *Migne*, Patr. lat. 14, 258. [2] Ibid. 16, 1054
[3] Ibid. 14, 329.

eligamus confessionem, ut sequatur pulchritudo."[1] Spiritualis igitur pulchritudo ex illa, quae iustificans dicitur, gratia proficiscitur; id quod lib. 15 De Trinit. c. 8 denuo sic inculcat: *„Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur de gloria in gloriam* (2 Cor. 3, 18). Transformamur ergo, dicit, de forma in formam mutamur, atque transimus de forma obscura in formam lucidam. . . . Quae natura (humana) in rebus creatis excellentissima, cum a suo creatore ab impietate iustificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam."[2] Quare „in Domino", inquit Serm. 312, c. 2, „laudetur anima bona, quo possidente fit bona, quo inspirante viget, quo illuminante fulget, quo formante pulchra . . . est."[3] — „Ipsa ergo aulam tuae mentis ingredere", ait S. Leo M. epist. ad Demetriadem, „et in secretario purissimae conscientiae tuae, qualia tibi reposita sint ornamenta circumspice: et quidquid ibi splendidum, quidquid pulchrum pretiosumque repereris, divini operis et muneris esse ne dubites."[4]

Quem summum perfectionis statum caecutientis instar quasi eminus suspicatus, iam Plato „Leges IV" hominibus, ut pulchri et beati redderentur, Deum precibus sacrificiisque adeundum esse censuit. „Omnium pulcherrimam", inquit, „et verissimam, opinor, orationem, bonum quidem diis sacrificare et consuetudinem cum iis coniungere per preces et donaria omnemque deorum cultum pulcherrimum et optimum et valentissimum esse ad vitam beatam atque etiam maxime decoram."[5] — Atque haec quidem *„in laudem gloriae gratiae suae"*, i. e. Dei (Eph. 1, 6).

Appendix. Inter omnes creaturas, quae in statu gratiae et elevationis versantur, sine dubio eminet Maria, semper virgo et mater Dei, cum sit „gratia plena", quemadmodum salutata est ab angelo Luc. 1, 28: *„Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena"* (κεχαριτωμένη). Atqui gratia Dei vel minima magnam pulchritudinem in naturam humanam confert. Ergo Mariam, quoniam *gratia plena* est, plenam etiam pulchritudine esse oportet. Et profecto Ecclesia in festo immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis ita canit: „Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te." Hinc etiam omnes laudes, quibus pulchritudo sponsae in Cantico Canticorum

---

[1] *Migne,* Patr. lat. 37, 1232. [2] Ibid. 42, 1068.

[3] Ibid. 38, 1420.

[4] Ibid. 55, 178. Plures auctores critici hanc epist. ad Demetriad. adscribunt S. Prospero Aquitano. — De pulchritudine, quae ex gratia divina efflorescit, bene tractavit etiam *M. Ios. Scheeben,* Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade (ed. 5. cura *Fr. Alberti M. Weiss* O. Pr. Freiburg i. Br. 1894), lib. 2. c. 9.

[5] *Astius,* Plato VI, 243: Ἁπάντων κάλλιστον καὶ ἀληθέστατον, οἶμαι, λόγων, ὡς τῷ μὲν ἀγαθῷ θύειν καὶ προσομιλεῖν δὴ τοῖς θεοῖς καὶ εὐχαῖς καὶ ἀναθήμασι καὶ συμπάσῃ θεραπείᾳ θεῶν κάλλιστον καὶ ἄριστον καὶ ἀνυσιμώτατον πρὸς τὸν εὐδαίμονα βίον καὶ δὴ καὶ διαφερόντως πρέπον.

effertur, Mariae, sponsae Spiritus sancti, plenissimo sensu conveniunt, ut Ecclesia et optimo iure et omni tempore sentiebat [1].

Inter Patres autem Ecclesiae praecipue S. Ephraem Syrus et S. Bernardus eximiam pulchritudinem Mariae ex plenitudine gratiae pullulantem summopere laudabant et praedicabant. Atque ille quidem Hym. (17) de beata Virgine str. 3 fatetur: „Os meum nimis exiguum est, ut loquar de te; et lingua non sufficit, ut mysteria tua exponat. Deficiunt vox et sermo ad narrandam tuam pulchritudinem.“ [2] Neque enim inter cherubim aut seraphim similem Mariae inveniri putat Hym. (13) de beata Virgine str. 5 ita canens: „Quatruplici sua facie cherubim pares tibi sanctitate non sunt, seraphim sex alis instructi decori pulchritudinis tuae cedunt.“ [3] Unde Carm. Nisib. 27, str. 8 e persona ecclesiae Edessenae Dominum Iesum eiusque matrem alloquens illud clarissimum edicit: „Revera quidem tu et mater tua soli estis, qui omni ex parte omnino pulchri estis; non enim in te, Domine, labes est, nec ulla in matre tua macula.“ [4] S. Bernardus vero Homil. 2 super Missus pulchritudinem Mariae virginis his celebrat verbis: „Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore praefulgida, specie sua et pulchritudine sua in caelestibus cognita, caeli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret et caelestem nuntium ad se de supernis educeret.“ [5] Quapropter Ecclesia dictum Eccli. 24, 24: „*Ego mater pulchrae dilectionis*“, non immerito ad Mariam virginem refert, tum quia Deum „pulchre diligebat“; tum quia vera mater est Filii Dei unigeniti, cui pulchritudo appropriatur (cf. infra Lib. III); tum denique quia propter pulchritudinem virtutum et gratiarum suarum ab omnibus est diligenda.

Hanc autem pulchritudinem e plenitudine gratiarum redundantem Maria non a seipsa habet, sed omnino gratis accepit a Deo ut a causa efficiente. Quod humiliter agnoscens Maria Luc. 1, 48—49 profitetur: „*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est.*“ Unde etiam Ecclesia Mariae virgini

[1] *G. Gietmann* S. J. in cit. Commentar. in Eccl. et Cant. p. 542 dicit: „Sponsa Cantici est [praeter Ecclesiam et animam sanctam] B. V. Maria. Haec explicatio ex multis saeculis est valde pervulgata atque ecclesiastica officia de Deipara omnia pervadit. Cuius accommodationis rationes sunt gravissimae.“

[2] *Th. I. Lamy*, S. Ephraem Syri Hymni et Sermones. II (Mechliniae 1889), 592. — Cf. etiam verba Ecclesiae (in festis B. Mariae Virg. per annum): „Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio.“

[3] Ibid. II, 578.

[4] *Gustavus Bickell*, S. Ephraemi Syri Carmina Nisibena (Lipsiae 1866) p. 123.

[5] *Migne*, Patr. lat. 183, 62. Brevius S. Ambrosius lib. 2 De virginib. c. 2: „Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit?“ (*Migne*, Patr. lat. 16, 208.)

gratia plenae congratulatur, in antiphona „Ave regina caelorum“ ita canens:

> „Gaude, virgo gloriosa,
> Super omnes speciosa,
> Vale, o valde decora.“ [1]

B. De pulchritudine Dei, quatenus efficiens est causa pulchritudinis naturae humanae in societate consideratae.

Homo, quia animal est sociale, non solum in individuo considerari potest, sed etiam quatenus vivit in societate. Porro ut homo individuus, ita etiam hominum societas et in statu naturae et in statu gratiae reperiri potest. Neque enim ullum est dubium, quin Deus societatem quoque humanam supernaturaliter elevare et gratia divina perficere potuerit ac possit. Itaque si societatem humanam in statu naturae consideramus, civitates habemus et regna hominum; si vero societatem humanam spectamus in statu gratiae, habemus Ecclesiam sive regnum Dei in terris. In utroque autem statu societas hominum eam quam habet pulchritudinem, a Deo habet ut a causa efficiente. Hinc de Deo tractabimus, quatenus efficiens sit causa

a) pulchritudinis regnorum,
b) pulchritudinis Ecclesiae.

a) Deus est causa efficiens pulchritudinis regnorum.

Historia tradit respublicas complures fuisse, quae decursu temporum et magnitudinis mole pollerent et pulchritudine quadam admirabili excellerent. Neque est, qui facile neget hanc magnitudinem et pulchritudinem praestantiorem fuisse illa, quam in homine individuo admiramur. Iam vero sacra Scriptura et Patres Ecclesiae docent illam magnitudinem et pulchritudinem non fuisse nisi ex Deo maximo et pulcherrimo tamquam ex causa efficiente. Hanc sententiam corroborare insuper possumus argumentis rationis.

I. Atque, ut primo rationis argumenta proferamus, nullum concipi potest regnum, quod auctoritate ac decore pollere diu possit, nisi iustitia, ordine, unitate, pace regatur. Atqui in iustitia, ordine, unitate, pace pulchritudo quaedam latet spiritualis. Ergo tale regnum evidenter pulchrum esse iudicandum est.

Quoad ordinem Camillus Cardinalis Tarquinius Instit. iur. eccl. publ. n. 2 de societate humana dicit: „Neque conservari neque assequi finem suum ulla societas potest, nisi apto membrorum ordine (iis

---

[1] Deiparam semperque Virginem non latriae, sed cultu hyperduliae prosequendam esse per se intelligitur. Unde iam S. Epiphanius adversus Collyridianos (haeres. 69 sive 79) scripsit: Καὶ εἰ καλλίστη ἡ Μαρία καὶ ἁγία καὶ τετιμημένη, ἀλλ᾽ οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι: „Etsi pulcherrima est Maria et sancta et honorata, sed non adoranda“ (*Migne,* Patr. gr. 42, 751).

scilicet qui praeesse, ab iis qui parere debent, rite distinctis) sit constituta, simulque viribus ad semetipsam conservandam finemque suum consequendum proportionatis praedita sit."[1] Atqui nos supra (Lib. I, Parte I, c. 3, §§ 2 et 4) late demonstravimus pulchritudinem essentialiter in harmonia ac proportione debita consistere, vel in debito ordine. Unde S. Augustinus De ver. relig. c. 26 civitates, dummodo ordinem debitum sectentur, pulchritudine quadam praeditas esse fatetur: „Sive sub regibus", inquit, „sive sub principibus sive sub legibus sive sub his omnibus: aliter enim bene constitui populus non potest, etiam qui terrena sectatur: habet quippe et ipse modum quendam pulchritudinis suae."[2]

Quod autem attinet ad unitatem, quae unicuique civitati ad potentiam et pulchritudinem consequendam quam maxime est necessaria, sufficit recolere, quae supra (ibid. § 5) definivimus, pulchritudinem esse multitudinis debitae debitam unitatem, quae visa placet; vel brevius cum S. Augustino, „omnis pulchritudinis formam esse unitatem".

Porro iustitia, quae Cicerone auctore De nat. deor. lib. 3, c. 15 „suum cuique distribuit", iam fundamentum est omnium regnorum. Iustitiam autem ad notionem ordinis et unitatis revocari facile patet. Accedit quod Patres Ecclesiae, praecipue S. Augustinus, iustitiam expressis verbis pulchritudinis dote exornant (vide supra Lib. I, Parte II, c. 2, §§ 1 et 2). Ergo omnis respublica, quae iustitia et ordine et unitate emineat, pulchra sit necesse est.

Denique pacem in republica adesse eamque pulchram, ubicumque iustitiae, ordini et unitati primae deferuntur, iam per se liquet. Quare S. Augustinus lib. 19 De civ. Dei c. 13 quam brevissime ait: „Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium."[3] Huius pacis pulchritudinem Isaias propheta c. 52, 7 ita praedicavit: „***Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem***"; iterumque c. 32, 18: „***Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.***"[4]

Iam vero omnis iustitia, ordo, unitas, pax, quae reipublicae tantam tribuunt pulchritudinem, non proficiscuntur nisi a Deo summe iusto et pacato, summe ordinato et uno. Unde etiam S. Paulus Rom. 13, 1—2 scribit: „***Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.***" Ergo omnis potestas et pulchritudo regnorum potentissimum ac pulcherrimum Deum habent auctorem.

---

[1] Iuris ecclesiastici publici institutiones auctore *Camillo Tarquini* S. J. sanctae Ecclesiae Rom. Cardinali. (ed. 11. Romae 1887) p. 1.

[2] *Migne*, Patr. lat. 34, 143.

[3] Ibid. 41, 640.

[4] וְיָשַׁב עַמִּי בִּנְוֵה שָׁלוֹם id est, „et sedebit populus meus in habitaculo pacis", quemadmodum ultima verba a recentioribus reddi solent.

II. Quam sententiam theoretice modo expositam sacra Scriptura exemplis insuper probat atque confirmat, cum in libris propheticis Veteris Testamenti doceamur potentiam ac pulchritudinem, qua Assur et Tyrus olim pollebant, a Deo largitore datam fuisse.

Et profecto de **Assur** apud Ezechielem prophetam c. 31, 3—9 haec dicit Dominus: „*Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis* (יְפֵה עָנָף) *et frondibus numerosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen eius. . . . Eratque pulcherrimus in magnitudine sua* (וַיִּיף בְּגָדְלוֹ), *et in dilatatione arbustorum suorum; erat enim radix illius iuxta aquas multas. . . . Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini eius* (בְּיָפְיוֹ), *quoniam speciosum feci eum* (יָפֶה עֲשִׂיתִיו).“ Adverte prophetam pulchritudinem et magnitudinem regni Assur cum pulchritudine atque altitudine cedri in Libano conferre eamque expresse a Deo repetere: „*quoniam speciosum feci eum.*“

Idem fere valet de potentia et decore regis **Tyriorum,** in quem Ezechiel c. 28, 11—14 ita invehitur: „*Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, leva planctum super regem Tyri, et dices ei: Haec dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis*[1], *plenus sapientia et perfectus decore* (וּכְלִיל יֹפִי), *in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius et iaspis, chrysolithus et onyx et beryllus, sapphirus et carbunculus et smaragdus, aurum opus decoris tui, et foramina tua in die, qua conditus es, praeparata sunt. Tu cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulasti*“ etc. Quam abundantiam decoris et potentiae Tyro eiusque regi Deum dedisse sequitur ex illis praesertim verbis: „*in die, qua conditus es, praeparata sunt*“, scilicet a Dei providentia. Tyrus tamen, ut erat ingrata, suam potentiam et pulchritudinem a Deo datam petulantia ac luxuria perdidit, teste eodem propheta c. 28, 17: „*Et elevatum est cor tuum in decore tuo* (בְּיָפְיֶךָ): *perdidisti sapientiam tuam in decore tuo* (יִפְעָתֶךָ): *in terram proieci te, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te.*“ Et iam antea c. 28, 7: „*Ecce, ego adducam super te alienos robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiae tuae* (עַל־יְפִי חָכְמָתֶךָ), *et polluent decorem tuum* (יִפְעָתֶךָ).“

Restat, ut de illa loquamur pulchritudine, quam Deus largitus est Ecclesiae, quae regnum Dei in terris dicitur et est.

b) Deus est causa efficiens pulchritudinis Ecclesiae.

Ut natura humana per gratiam Dei, ita humana societas per Dei Ecclesiam elevatur et perficitur. Unde pulchritudo, quae ad Ecclesiae

[1] Hebr. אַתָּה חוֹתֵם תָּכְנִית, i. e. „tu signaculum pulchre formatum“: LXX: στέφανος κάλλους, i. e. „corona (inclusio) pulchritudinis“.

dotem pertinet, praestantior censenda est quam illa, quae rempublicam condecorat. Neque difficile est ad demonstrandum, et Ecclesiae pulchritudinem convenire, et Deum eiusdem esse auctorem.

I. Ac primum quidem argumentum depromere licet ex typo Ecclesiae, scil. e Synagoga Veteris Testamenti. Iam vero Deum Synagogae pulchritudinem quandam impressisse, testis est Ezechiel propheta, qui c. 16, 10—14 Deum ita loquentem inducit: *„Et vestiri te discoloribus, et calceari te ianthino, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus. Et ornari te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro et argento, et restita es bysso et polymito et multicoloribus: similam et mel et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis* (וַתִּיפִי בִּמְאֹד מְאֹד; LXX: καὶ ἐγένου καλὴ σφόδρα), *et profecisti in regnum. Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam* (בְּיָפְיֵךְ; LXX: ἐν τῷ κάλλει σου), *quia perfecta eras in decore meo* (כָּלִיל הוּא בַּהֲדָרִי), *quem posueram super te, dicit Dominus Deus.*“ Ergo Vetus Testamentum admirabilem, qua excellebat, pulchritudinem accepit a Deo, qui eam per consequens vocat suam: *„quia perfecta eras in decore meo.*“[1] Neque tamen Israel donum pulchritudinis conservabat, sed teterrimo abusu amisit, teste eodem propheta c. 16, 15: *„Et habens fiduciam in pulchritudine tua* (בְּיָפְיֵךְ; LXX: ἐν τῷ κάλλει σου), *fornicata es in nomine tuo, et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut eius fieres*“ etc. Deus autem, ut est benignus et misericors, per os Ieremiae prophetae c. 31, 23 promisit se populo Israel novo pulchritudinem perditam restituturum esse. Ait enim: *„Haec dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Adhuc dicent verbum istud in terra Iuda et in urbibus eius, cum convertero captivitatem eorum: Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiae* (נְוֵה־צֶדֶק; LXX: νόμη δικαιοσύνης), *mons sanctus.*“ Item per Isaiam prophetam c. 28, 16: *„Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum.*“ Quae vaticinia in Christi Ecclesia, cuius typum et umbram Synagoga gessit, adimpleta esse novimus e. gr. e Matth. 21, 42—43: *„Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? . . . Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius.*“ Ergo ipsam quoque Christi Ecclesiam gloria resplendere oportet ac pulchritudine, quae tanto praestantior est, quanto veritas et plenitudo superat typum atque umbram.

II. Neque Novo Testamento desunt verba, quibus Ecclesiae magnitudo et pulchritudo haud obscure indicatur. Ipse enim Salvator

[1] Ita quidem secundum textum Masoretarum et versionem Vulgatam, LXX vero habent: διότι συντετελεσμένον ἦν ἐν εὐπρεπείᾳ ἐν τῇ ὡραιότητι, ᾗ ἔταξα ἐπὶ σέ.

Matth. 13, 31—32 Ecclesiam suam describens haec pronuntiat: „*Simile est regnum caelorum grano sinapis . . ., quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius.*" Quibus simillima sunt, quae Ezechiel propheta c. 17, 22—23 de eadem Ecclesia sic vaticinatus est: „*Haec dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam; de vertice ramorum eius tenerum distringam, et plantabo super montem excelsum et eminentem. In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit.*"

Porro S. Paulus apostolus Eph. 5, 25—27 Ecclesiam appellat sponsam Christi gloriosam: „*Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*" Quare omnia illa, quibus pulchritudo sponsae in Cantico Canticorum describitur, imprimis ad Ecclesiam, sponsam Christi, referenda sunt (cf. supra § 2, A, b n. 1)[1].

Ex ea denique, quae sacerdotalis dicitur, oratione Domini colligere pariter licet Ecclesiam a Deo adornatam esse et circumdatam decore. Neque enim Christus a Patre suo aliud quidquam instantius petebat, quam intimam fidelium unitatem: „*Pater sancte*", inquit apud Io. 17, 11, „*serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.*" Et iterum Io. 17, 20—22: „*Non pro eis* (discipulis) *autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.*" Hanc autem unitatem Ecclesiae suae Christus a Patre petebat non qualemcunque, sed talem, quae sit perfecta et consummata: „*Ego in eis*", inquit apud Io. 17, 23, „*et tu in me, ut sint consummati in unum* (ἵνα ὦσιν τετελειωμένοι εἰς ἕν)". Atqui omnis pulchritudinis natura in debita unitate consistit, ut supra Lib. I, Parte I, c. 3, § 5) demonstravimus. Ergo fieri nequit, ut Ecclesia, quae perfecta unitate pollere debeat, non sit pulchra atque decora. Hinc S. Barnardus De consid. lib. 2, c. 8 de unitate Ecclesiae ita loquitur: „Si me amas, Petre, *pasce oves meas* (Io. 21, 17). . . . Et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege et uno

[1] *Gerard. Gietmann*, Comment. in Eccl. et Cant. (Parisiis 1890) p. 367 rectissime scribit: „Illud convenire inter Graecos Latinosque, sponsam esse Ecclesiam, sponsum Redemptorem, atque ex hoc principio universi carminis derivandam esse interpretationem."

pastore, secundum illud: *Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea* (Cant. 6, 8 et 2, 10). Ubi unitas, ibi perfectio."[1] Et adiungamus: Ubi unitas, ibi pulchritudo. Ecclesia ergo non solum pulchritudine est praedita, sed etiam Deum habet suae pulchritudinis auctorem.

III. Multa habent, quae de pulchritudine Ecclesiae dicant, Patres Graeci et Latini. Atque primum quidem inter Graecos Dionysius Pseudo-Areopagita De eccles. hierarch. c. 5, § 1 asserit, hierarchiam nostram, „quidquid inordinatum et incompositum atque confusum est, nulla cum eo mixtione facta, segregare et ablegare, decorem vero atque ordinem ac maiestatem in proportionibus sanctorum ordinum suorum exhibere."[2] S. Cyrillus vero Alexandrinus, ut pulchritudinem Ecclesiae ex gentibus congregatae demonstret, citat (sec. LXX) Isai. 35, 1—2: „*Laetare, desertum sitiens; exsultet solitudo, et floreat ut lilium. Efflorescent et exsultabunt solitudines Iordanis, et gloria Libani data est ei, et honor Carmeli. Et populus meus videbit gloriam Domini, et altitudinem Dei nostri.*" Quae verba lib. 3 in Isai. tom. 3 explanans ita prosequitur: „Desertam et sterilem appellare solet divino Spiritu tradita Scriptura gentium Ecclesiam, quae olim in illis erat: non habens in caelo intelligibilem sponsum, Christum, inquam, sed inopia laborans bonorum omnium, et quasi nutrix spinarum, siticulosa et aquis carens. At ubi in ea esset Christus — assumptus enim est per fidem, et divino eius rivulo ditata est: fons enim est vitae et torrens deliciarum, dixitque ipse apud quendam e sanctis prophetis: *Ecce ego declino super eos, quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium* (Isai. 66, 12) — ultra sterilis non erat nec deserta: immo fecunda, et sub sponso, et florida intelligibiliter. Quae olim igitur sitiens erat, laetetur, inquit, et efflorescat quasi lilium tum floridum tum odoratum. Christi enim odor fuit. Quod confirmabit Paulus scribens: *Christi bonus odor sumus Deo* (2 Cor. 2, 15)."[3] Quare De ador. in spir. et verit. lib. 1 praeclare dicit: „*Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circum-*

[1] *Migne*, Patr. lat. 182, 752.

[2] *Migne*, Patr. gr. 3, 499: Ὅπως ἂν ἀποδειχθείη τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἡ διακόσμησις τὸ μὲν ἄτακτον καὶ ἀκόσμητον καὶ συμπεφορημένον, ἀμιγῶς ἀποδιαστέλλουσα καὶ ἀποκληροῦσα, τὸ κόσμιον δὲ καὶ τεταγμένον καὶ εὐσταθές, ἐν ταῖς κατ' αὐτὴν ἀναφαίνουσα τῶν ἱερῶν τάξεων ἀναλογίαις.

[3] Ibid. 70, 750: Ἔρημον καὶ στεῖραν ἀποκαλεῖν ἔθος τῇ θεοπνεύστῳ Γραφῇ τὴν ἐξ ἐθνῶν Ἐκκλησίαν, ἣ ποτε μὲν ἐν τούτοις ἦν, οὔτε τὸν ἐξ οὐρανοῦ νοητὸν ἔχουσα νυμφίον, φημὶ δὴ Χριστόν, ἀλλὰ καὶ ἐν ἐνδείᾳ τυγχάνουσα παντὸς ἀγαθοῦ, καὶ οἷον ἀκάνθης οὖσα τροφὸς δίψης τε καὶ ἄνυδρος. Ἐπειδὴ δὲ γέγονεν ἐν αὐτῇ Χριστός· (προσελήφθη γὰρ διὰ τῆς πίστεως καὶ τὸ θεῖον παρ' αὐτοῦ πεπλούτηκε νᾶμα· πηγὴ γάρ ἐστι ζωῆς, καὶ χειμάῤῥους τρυφῆς· καὶ αὐτὸς ἦν ὁ λέγων δι' ἑνὸς τῶν ἁγίων προφητῶν· „Ἰδοὺ ἐγὼ ἐκκλίνω ἐπ' αὐτοὺς ὡς ποταμὸς εἰρήνης, καὶ ὡς χειμάῤῥους ἐπικλύζων δόξαν ἐθνῶν") στεῖρα μὲν οὐκέτι καὶ ἔρημος· πολύπαις δὲ μᾶλλον καὶ ὑπὸ νυμφίῳ, καὶ εὐανθὴς νοητῶς. Ἡ πάλαι τοίνυν διψῶσα κατευφραινέσθω, φησίν· ἐξανθείτω δὲ καὶ ὡς κρίνον ὁμοῦ καὶ τὸ ἀνθηρόν, καὶ τὸ εὐῶδες ἔχουσα. Χριστοῦ γὰρ γέγονεν ὀσμή, καὶ πιστώσεται γράφων ὁ Παῦλος, ὅτι „Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ".

amicta et variegata (Ps. 44, 10). Ubi deaurati vocabulo, splendor et pretium: varii autem nomine, virtutis varietas optime, ut opinor, significatur. Speciosissima enim est omnino Ecclesia, ornatum habens spiritualem, qui non carnis oculis cernitur, sed in mente et in corde."[1] Perinde ac S. Cyrillus Alexandrinus loquitur S. Augustinus, cum Enarr. in Ps. 44, versum 9: *„Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis"*, ita interpretetur: „Odores boni a vestimentis tuis. Vestimenta eius (Dei) sunt sancti eius, electi eius, tota Ecclesia eius, quam sibi sicut vestem exhibet, sine macula et ruga (Ephes. 5, 27): propter maculam, abluens in sanguine; propter rugam, extendens in cruce. Inde bonus odor, qui significatur nominatis quibusdam aromatis. Audi Paulum . . . dicentem: *Christi bonus odor sumus* in omni loco."[2] Et praecipue Enarr. in Ps. 67, 13 illud *„Speciei domus* (ὡραιότητι τοῦ οἴκου)[3] *dividere spolia"* exponens dicit: „Speciosam quippe domum, id est, Ecclesiam Christus fecit, dividendo illi spolia; sicut speciosum est corpus distributione membrorum."[4] Quibus ex verbis sequitur Christum, Dei Filium, Ecclesiae suae speciem ac pulchritudinem tribuisse, ideoque Deum esse causam efficientem pulchritudinis Ecclesiae. Unde merito concludere possumus cum S. Ephraem Syro Serm. 1 in hebd. sanct. ita exclamante: „O sponsae regis maiestas, quantae sunt tuae pulchritudines in caelo et in terra!"[5] — vel etiam cum secunda stropha hymni „Caelestis urbs Ierusalem" sic se habente:

„O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo iugata Principi,
Caeli corusca civitas."[6]

Appendix. Ad illud pulchri genus, quod Deus hominibus largitus est, pertinent etiam artes humanae. Omnis quippe ars humana imitatur quodammodo artem divinam. Artium autem summa in Deo est, omnesque artis leges reconditae sunt in Dei sapientia.

Quam ob rem haec sapientia in sacra Scriptura appellatur artifex κατ' ἐξοχήν. Cf. Sap. 7, 21: *„Quaecunque sunt absconsa et*

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 68, 138: . . . Τοῦ μὲν διαχρύσου, τὸ ἔντιμον καὶ περιφανές, καθάπερ ἐγῷμαι, τοῦ δὲ ποικίλου, τὸ πολυειδὲς τῆς ἀρετῆς εὖ μάλα κατασημαίνοντος. Εὐπρεπεστάτη γὰρ λίαν Ἐκκλησία, κόσμον ἔχουσα τὸν νοητόν, οὐ τοῖς τῆς σαρκὸς ὁρώμενον ὀφθαλμοῖς, ἀλλ' εἰς νοῦν ἔσω καὶ καρδίαν.

[2] *Migne*, Patr. lat. 36, 507.

[3] Hebr. Ps. 68, 13: נְוַת־בַּיִת, i. e. secundum interpretes recentiores „habitatrix domus".

[4] *Migne*, Patr. lat. 36, 821.

[5] *Lamy*, S. Ephraem Syri Hymni et Sermones I (Mechliniae 1882), 358

[6] Breviar. Roman. Commune dedicationis ecclesiae, ad vesp. hymn.

improrisa, didici; omnium enim artifex docuit me sapientia.“ Et rursus Sap. 8, 6: „*Si autem sensus operatur, quis horum, quae sunt, magis quam illa est artifex?*“ Unde omnia, quae facta sunt, ineffabili quadam arte illius sapientiae facta esse et videmus et docemur. Cf. Sap. 11, 21: „*Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.*“ Et iterum Sap. 8, 1: „*Attingit ergo* (sapientia) *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*“ Sapientia itaque divina non solum summus artifex est, sed etiam summa et ipsa ars. Homines vero artifices, in quantum res artificiosas operantur, summam artem divinam, velint nolint, imitantur: et eo diligentius imitantur, quo nobiliores artifices sunt. Deus enim est illa pulchritudo, ait S. Augustinus lib. 2 De ord. c. 19, „cuius imitatione pulchra sunt cetera.“[1] Sub hoc ergo respectu dicere oportebit Deum esse causam efficientem etiam pulchritudinis artium humanarum.

Quam sententiam inter Ecclesiae Patres praesertim Clemens Alexandrinus et S. Augustinus suam fecerunt. Atque ille quidem lib. 1 Strom. c. 4 de Deo, quatenus fons sit ac principium artium humanarum, haec habet: „Quod a Deo sit omnis artificiosa et sapiens inventio, manifestum erit, si hanc dictionem adiecerimus: *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ecce vocari Beseleel filium Uri, filii Or de tribu Iuda, et implevi eum divino spiritu sapientiae et intelligentiae et scientiae in omni opere, ut excogitet et architectetur, operetur aurum et argentum, et aes, et hyacinthum, et purpuram et coccinum, et ut operetur opera lapidea et fabrilem artem lignorum* usque ad *et omnia opera* (Exod. 31, 1—5). Deinde vero generalem infert rationem: *Et cuilibet intelligenti cordi dedi intelligentiam* (Exod. 31, 6).“[2] S. Augustinus vero De divers. quaest, 83, qu. 78 summam artem et sapientiam Dei omnipotentis operari docet per artifices, ut pulchra atque congruentia faciant: „Ars summa omnipotentis Dei“, inquit, „per quam ex nihilo facta sunt omnia, quae etiam sapientia eius dicitur, ipsa operatur etiam per artifices, ut pulchra atque congruentia faciant... Sed ideo isti non possunt de nihilo aliquid fabricare, quia per corpus operantur; cum tamen eos numeros et lineamentorum convenientiam, quae per corpus corpori imprimunt, in animo accipiant ab illa summa sapientia, quae ipsos numeros et ipsam convenientiam longe artificiosius universo mundi corpori impresserit, quod de

---

[1] ***Migne***, Patr. lat. 32, 1019.

[2] ***Migne***, Patr. gr. 8, 715: Καὶ ὡς θεόθεν ἡ τεχνικὴ καὶ ἡ σοφὴ ἐπίνοια, σαφὲς ἔσται παραθεμένοις τήνδε τὴν λέξιν· „Καὶ ἐλάλησε Κύριος πρὸς Μωσῆν, λέγων· Ἰδοὺ ἀνακέκληκα τὸν Βεσελεὴλ τὸν τοῦ Οὐρί, τὸν Ὤρ, τῆς φυλῆς Ἰούδα· καὶ ἐνέπλησα αὐτὸν πνεῦμα θεῖον σοφίας καὶ συνέσεως καὶ επιστήμης ἐν παντὶ ἔργῳ, διανοεῖσθαι καὶ ἀρχιτεκτονῆσαι, ἐργάζεσθαι τὸ χρυσίον, καὶ τὸ ἀργύριον, καὶ τὸν χαλκόν, καὶ τὴν ὑάκινθον, καὶ τὴν πορφύραν, καὶ τὸ κόκκινον, καὶ τὰ λιθουργικά, καὶ τεκτονικὴν τῶν ξύλων ἐργάζεσθαι· ἕως „καὶ ἅπαντα τὰ ἔργα“. Ἔπειτα ἐπιφέρει καθολικὸν δὴ λόγον· „Καὶ παντὶ τῷ συνετῷ καρδίᾳ δέδωκα σύνεσιν.“ Versionem Latinam apud Migne reddidi accuratiorem.

nihilo fabricatum est. . . . Non enim omnis numerositas humani corporis invenitur in statua, sed tamen quaecunque ibi invenitur (scil. numérositas), ab illa sapientia per artificis manum traicitur, quae ipsum corpus humanum naturaliter fabricat." [1] Summa igitur et pulcherrima ars in Deo est, a quo primum in animum artificis descendit, deinde per manus artificis in opera arte facienda traicitur, ita ut lib. 1 De genes. contra Manich. c. 8 recte inferat: „Intus in animo . . . ars ipsa pulchrior est, quam illa quae arte fabricantur." [2]

Verum artifices aliosque homines, quantumvis pulchritudo artium a Deo sit, tamen et artibus et rebus artefactis abuti posse idem S. Augustinus lib. 10 Confess. c. 34 conqueritur: „Quam innumerabilia", inquit, „variis artibus et opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis et huiusmodi fabricationibus, picturis etiam diversisque figmentis, atque his usum necessarium atque moderatum et piam significationem longe transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum: foras sequentes, quod faciunt; intus relinquentes, a quo facti sunt, et exterminantes, quod facti sunt! At ego, Deus meus et decus meum, etiam hinc dico tibi hymnum, et sacrifico laudem sanctificatori meo, quoniam pulchra traiecta per animas in manus artificiosas ab illa pulchritudine veniunt, quae super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte. Sed pulchritudinum exteriorum operatores et sectatores inde trahunt approbandi modum, non autem inde trahunt utendi modum. Et ibi est, et non vident eum, ut non eant longius, et fortitudinem suam ad te custodiant (Ps. 58, 10), nec eam spargant in deliciosas lassitudines." [3]

§ 3.

De pulchritudine Dei, quatenus efficiens est causa pulchritudinis naturae mere corporeae.

Postquam hactenus demonstravimus Deum esse causam efficientem pulchritudinis et naturae angelicae et naturae humanae, superest, ut de Deo loquamur pulcherrimo, in quantum est causa efficiens pulchritudinis naturae mere corporeae. Pulchritudo enim corporea, quamvis secundum S. Augustinum, ut supra (Lib. I, Parte II, c. 1) vidimus, ab ipsa pulchritudine divina quam longissime distet ideoque infima vocetur atque extrema, nihilominus tamen ad Deum, ut supremam causam, est referenda. Et probatur ex sacra Scriptura et documentis Patrum Ecclesiae.

I. Etenim sacra Scriptura omnia corpora, quae a Deo facta sunt, dicit pulchra fuisse. Legimus e. gr. Gen. 1, 4 secundum LXX: Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς τὸ φῶς ὅτι καλόν, id est: ***Et vidit Deus lucem, quod esset pulchra*** (Vulgata reddit: ***„quod esset bona"***; Hebr. כִּי־טוֹב). Quem lo-

[1] *Migne*, Patr. lat. 40, 89. [2] Ibid. 34, 179. [3] Ibid. 32, 801.

cum S. Basilius Homil. 2 in Hexaëm. ita exponit: *„Et vidit Deus lucem, quod esset pulchra.* Quasnam laudes luce dignas dixerimus nos: quam pulchram esse conditor in antecessum testatus est?“[1] Similiter S. Ambrosius in hymno „Deus creator omnium“ canit:

„Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine“ etc.[2]

Eadem phrasis: Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν, hoc est: *Et vidit Deus, quod esset pulchrum*, in Hexaëmero quater deinceps repetitur (vide Gen. 1, 10; 1, 18; 1, 21; 1, 25). Et Gen. 1, 10 quidem S. Basilius Homil. 4 in Hexaëm. hunc in modum interpretatur: *„Et vidit Deus, quod esset pulchrum.* Non oculis pulchritudines creaturae intuetur conditor, sed quae fiunt, sapientia ineffabili contemplatur.“[3] S. Ioannes autem Chrysostomus Homil. 4 in c. 1 Genes. eadem verba explicans haec habet: *„Et vocavit Deus firmamentum caelum. Et vidit Deus, quod esset pulchrum* . . . docens nos per istud immensam pulchritudinem eius. Quis enim non obstupesceret atque admiraretur, quod firmamentum tanto tempore vigentem servet pulchritudinem, et quod quantum progreditur tempus, tantum augeatur et pulchritudo? Quid enim speciosius eo quod laudem ab ipso opifice accepit?“[4] Nec vero solam laudem ista pulchra a Deo creatore acceperunt, sed etiam causam illius laudis, nempe intrinsecam pulchritudinem. Deus ergo merito est causa efficiens pulchritudinis corporeae.

Porro Ecclesiasticus c. 43, 1—37 corpoream pulchritudinem firmamenti, caeli, solis, lunae, stellarum etc. ita describit: *„Altitudinis firmamentum pulchritudo eius est“*, i. e. Dei tamquam causae efficientis; *„species caeli in visione gloriae. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi*[5]. . . . *Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis et signum aevi. . . . Vas castrorum in excelsis, in firmamento caeli resplendens gloriose. Species caeli* (κάλλος οὐρανοῦ) *gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. . . . Vide arcum, et benedic eum, qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo* (σφόδρα ὡραῖον ἐν τῷ αὐγάσματι αὐτοῦ).

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 29, 46: Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς τὸ φῶς ὅτι καλόν. Τίνα ἂν εἴποιμεν ἡμεῖς τοῦ φωτὸς ἄξιον ἔπαινον, ὃ προλαβὸν τὴν παρὰ τοῦ κτίσαντος μαρτυρίαν ἔχει, ὅτι καλόν;

[2] *Migne*, Patr. lat. 16, 1409.

[3] *Migne*, Patr. gr. 29, 91: Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν. Οὐ γὰρ ὀφθαλμοῖς βλέπει τὰ κάλλη τῆς κτίσεως ὁ ποιητής, ἀλλὰ τῇ ἀρρήτῳ σοφίᾳ θεωρεῖ τὰ γινόμενα.

[4] Ibid. 53, 48: . . . διδάσκων ἡμᾶς διὰ τούτου τὸ κάλλος αὐτοῦ τὸ ἀμήχανον. Τίς γὰρ οὐκ ἂν ἐκπλαγείη καὶ θαυμάσειεν, ὅτι ἐν τοσούτῳ χρόνῳ ἀκμαῖον διετήρησε τὸ κάλλος, καὶ ὅσῳ πρόεισιν ὁ χρόνος, τοσούτῳ καὶ τὸ κάλλος ἐπιτείνεται; Τί γὰρ ὡραιότερον γένοιτ' ἂν τοῦ παρὰ τοῦ δημιουργοῦ τὸν ἔπαινον δεξαμένου;

[5] S. Ambrosius lib. 4 in Hexaëm. c. 1 de sole ait: „Oculus est enim mundi, iucunditas diei, caeli pulchritudo, naturae gratia, praestantia creaturae.“ (*Migne*, Patr. lat. 14, 188.)

Gyravit caelum in circuitu gloriae suae; manus Excelsi aperuerunt illum. Imperio suo acceleravit nivem.... Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus, et super imbrem eius expavescet cor. . . . Multa abscondita sunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius. Omnia autem Dominus fecit," et fecit pulchra valde[1].

Neque homo, cuius corpus Deus de limo terrae formavit, a pulchritudinis participatione excluditur. Quin immo tanta venustas in corpore eius inveniri potest, ut nihil decore praestantius aut gratia naturali pulchrius conspicatur in terris, quemadmodum S. Ambrosius lib. 6 Hexaëm. c. 9 opinatur: „Sed iam etiam de ipso hominis corpore aliqua dicenda sunt, quod praestantius ceteris decore et gratia esse quis abnuat? Nam etsi una atque eadem omnium terrenorum corporum videatur esse substantia, firmitudo et proceritas quibusdam maior in bestiis: forma tamen humani corporis est venustior, status erectus et celsus." Et paucis intermissis: „Ipse autem vertex capitis quam suavis et gratus, quam speciosa caesaries, quam reverenda in senibus, quam veneranda in sacerdotibus, quam terribilis in bellatoribus, quam decora in adolescentibus, quam compta in mulieribus, quam dulcis in pueris!"[2] Atque „De Noe et arca" c. 7 haec de speciali pulchritudine oculorum addit: „*Oculi sapientis in capite eius* (Eccl. 2, 14). . . . Ibi igitur summa nostrae salutis, ibi gratia. Inde custodia, inde etiam pulchritudo toti corpori acquiritur, quae primum in vultu vernat. . . . Quam deformes sunt vultus caecorum! Et quid mirum, si vultus hominis absque oculis deformis est, quando ipsum caelum sine sole non habet suum decorem?"[3] Sed a quo tandem pulchritudinem suam innatam corpus hominis accepit nisi a Deo creatore, qui totum hominem creavit iuxta Gen. 1, 26: „*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram?*"

Nec vero aut huius solum, quae in corpore humano conspicitur, venustatis auctor est Deus, aut illius tantum, quam in sole, luna, stellis admiramur; sed generatim omnem pulchritudinem corpoream Deus ipse effecit. Quapropter tota universitate rerum perfecta legimus Gen. 1, 31 secundum LXX: Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς τὰ πάντα, ὅσα ἐποίησε· καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν, id est: *Et vidit Deus cuncta, quae fecerat, et ecce pulchra valde* (Vulgata reddit: „*et erant valde bona*"; Hebr. וְהִנֵּה־טוֹב מְאֹד). Haec autem verba S. Augustinus lib. 13 Confess. c. 28 ita exponit: „Vidisti omnia, quae fecisti; *et ecce* non solum *bona*, sed etiam *valde bona* tamquam simul omnia. Nam singula tantum bona erant, simul autem omnia et bona et valde. Hoc dicunt etiam quaeque pulchra corpora; quia longe multo pulchrius est corpus, quod ex membris pulchris omnibus constat, quam ipsa membra singula, quorum ordinatissimo conventu complentur universum; quamvis et illa etiam singulatim pulchra sint."[4]

---

[1] Confer etiam Ps. 103 (Hebr. 104).
[2] *Migne*, Patr. lat. 14, 264. [3] Ibid. 14, 370. [4] Ibid. 32, 864.

Itaque universum mundum uno intuitu conspicientes illud repetere possumus S. Augustini lib. 1 Soliloqu. c. 1: „Deus, qui de nihilo mundum istum creasti, quem omnium oculi sentiunt pulcherrimum“[1] etc.

II. Cum sacra Scriptura Patres Ecclesiae tam unanimiter consentiunt, ut pauca testimonia eis, quae iam supra citavimus, coniungere satis sit. Atque imprimis S. Ioannes Chrysostomus et S. Augustinus docent corpoream pulchritudinem, cuius auctor Deus sit, tam late patere, ut vel usque ad humillima floscula et folia pertingat. Ille quidem Homil. 22 (al. 23) in Matth. haec loquitur: „*Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis* (Matth. 6, 28—29). . . . Quare ergo tam pulchra fecit illa? Ut suam ostenderet sapientiam et vim potentiae suae, quo undique eius gloriam ediscamus. Neque enim *caeli* tantum *enarrant gloriam Dei* (Ps. 18, 2), sed etiam terra; idque significans David dicebat: *Laudate Dominum ligna fructifera et omnes cedri* (Ps. 148, 9). Alia enim per fructum, alia per magnitudinem, alia per pulchritudinem creatori laudem emittunt. Magnae quoque illud sapientiae est et potestatis signum, cum etiam ea, quae vilissima sunt (quid enim vilius illo, quod hodie est, cras minime?), tanta decorat pulchritudine“[2] ac tali, ut secundum S. Ambrosium lib. 3 Hexaëm. c. 8 „rex opulentissimus et sapientissimus inferior iudicetur quam huius floris pulchritudo.“[3] Similia habet S. Augustinus, cum lib. 10 De civ. Dei c. 14 ita dicit: „De providentia certe Plotinus Platonicus disputat, eamque a summo Deo, cuius est intelligibilis et ineffabilis pulchritudo, usque ad haec terrena et ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat: quae omnia quasi adiecta et velocissime pereuntia decentissimos formarum suarum numeros[4] habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis atque incommutabilis simul habens omnia perseverat[5]. Hoc Dominus Iesus ibi ostendit, ubi ait: *Considerate lilia agri*“ etc.[6] Causam vero, cur

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 869.

[2] *Migne*, Patr. gr. 57, 301: . . . Τίνος οὖν ἕνεκεν οὕτω καλὰ αὐτὰ ἐποίησεν; Ἵνα τὴν αὐτοῦ σοφίαν ἐπιδείξηται καὶ τὴν περιουσίαν τῆς δυνάμεως, ἵνα πανταχόθεν αὐτοῦ τὴν δόξαν μάθωμεν. Οὐ γὰρ „οἱ οὐρανοὶ“ μόνοι „διηγοῦνται τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ“, ἀλλὰ καὶ ἡ γῆ· καὶ τοῦτο ὁ Δαυῒδ δηλῶν ἔλεγεν· „Αἰνεῖτε τὸν Κύριον, ξύλα καρποφόρα καὶ πᾶσαι κέδροι.“ Τὰ μὲν γὰρ διὰ τοῦ καρποῦ, τὰ δὲ διὰ τοῦ μεγέθους, τὰ δὲ διὰ τοῦ κάλλους ἀναπέμπει τῷ ποιήσαντι τὴν εὐφημίαν. Πολλῆς γὰρ καὶ τοῦτο περιουσίας σοφίας σημεῖον, ὅταν καὶ εἰς τὰ σφόδρα εὐτελῆ (τί γὰρ εὐτελέστερον τοῦ σήμερον ὄντος, καὶ αὔριον οὐκ ὄντος;) τοσοῦτον ἐκχέῃ τὸ κάλλος. In Latina versione apud Migne περιουσία primum *vis*, deinde *potestas* translata est, proprie autem significat *abundantiam* vel *copiam*.

[3] *Migne*, Patr. lat. 14, 171.

[4] Cogita exempli causa illam, quae aurea dicitur, proportionem.

[5] *Plotinus*, Enneadis III, lib. 2, c. 13.

[6] *Migne*, Patr. lat. 41, 292. Similia legere potes lib. 22 De civ. Dei c. 24: „Iam cetera pulchritudo et utilitas creaturae, quae homini, licet in istos labores

Deus etiam ista terrena et quasi ima ineffabili quadam pulchritudine decoraverit, quaerens atque investigans, idem S. Doctor lib. 11 De civ. Dei c. 22 sic arguit: „Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quae parva non sua granditate (nam nulla est), sed artificis sapientia metienda sunt; sicut in specie visibilis hominis, si unum radatur supercilium, quam propemodum nihil corpori, et quam multum detrahitur pulchritudini; quoniam non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum.“ [1] Vestigiis S. Augustini inhaesit discipulus eius, scil. S. Prosper Aquitanus, Expos. Ps. 144, 10 ita dicens: „*Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua* . . . quia nihil est tam exiguum tamque a sensu remotum, in quo non mirabilis sit creator: quem cum angeli et homines confitentur et laudant, ipsae infinitae mundi partes et species atque naturae suum semper loquuntur auctorem, et utilitate ac pulchritudine sua immensam dant materiam laudatoribus, et videntur laudantia, quae sunt laudabilia, dum quod non possunt loqui, faciunt non taceri.“ [2]

Quo textu etiam finis, cuius gratia omnia a Deo facta sunt pulchra, continetur. Deus namque ista omnia eo fine pulchra fecit, ut eorum pulchritudine et creator glorificetur, et creatura ad pulchritudinem Dei cognoscendam perducatur. Unde S. Ioannes Chrysostomus „ad eos qui scandalizati sunt“ haec scribit: „Hanc enim mirabilem concinnamque creaturam propter alium nullum condidit, nisi propter te; ac tam pulchram et magnam, tam variam et pretiosam, ac perennem, utilem, et omni ex parte fructuosam, et ad corporis sustentationem et corroborationem, et ad animae instructionem, et aptam ad viam sternendam ad cognitionem Dei, tua unius causa creavit. Neque enim angeli indigebant illa.“ Et paucis interiectis: „*Quando facta sunt sidera, laudaverunt me omnes angeli mei, et voce magna cecinerunt* (Iob 38, 7): hoc est, obstupefacti multitudine, pulchritudine, situ, utilitate, varietate, amoenitate, splendore, concinnitate, ceteris omnibus, quae longe melius illi quam nos perspiciunt. Neque vero sideribus tantum exornavit, sed et sole et luna decoravit, utroque tempore multam tibi voluptatem, multam ex utroque suppeditans utilitatem.“ [3] Verum pulchra corporea ad pulchritudinem Dei cognoscendam eatenus perducere nos possunt, quatenus ipsa a Deo facta sunt. Deus ergo causa est efficiens pulchritudinem rerum corporearum.

---

miseriasque proiecto atque damnato, spectanda atque sumenda divina largitate concessa est, quo sermone terminari potest? in caeli et terrae et maris multimoda et varia pulchritudine?“ etc. (*Migne*, Patr. lat. 41, 791.)

[1] *Migne*, Patr. lat. 41, 335. [2] Ibid. 51, 413.

[3] *Migne*, Patr. gr. 52, 491: Τὴν γὰρ θαυμασίαν ταύτην καὶ παναρμόνιον κτίσιν δι' οὐδένα ἕτερον ἐποίησεν, ἢ διὰ σέ· καὶ καλὴν οὕτω, καὶ μεγάλην οὕτω, καὶ ποικίλην, καὶ πολυτελῆ καὶ διαρκῆ, καὶ χρησίμην καὶ πανταχόθεν κερδαλέαν, καὶ πρὸς σώματος διατροφὴν καὶ σύστασιν, καὶ πρὸς ψυχῆς φιλοσοφίαν, καὶ πρὸς θεογνωσίας ὁδὸν ἐπιτηδείαν κατεσκεύασε διὰ σέ. Οὐδὲ γὰρ ἄγγελοι ταύτης ἐδέοντο. . . . „Ὅτε ἐγένετο ἄστρα, ᾔνεσάν με,

CAPUT II.

De pulchritudine Dei, quatenus creatae pulchritudinis causa est exemplaris.

Cum exemplaris causa illa vocetur idea, secundum quam velut normam aliquid perficitur, quaestio est, ubi tandem aliquando illud inveniatur exemplar primum et pulcherrimum, secundum quod facta sunt pulchra omnia. Iam vero omnis pulchri norma extra Deum vagari nullatenus potest, siquidem omnia, quae facta sunt, secundum illud supremum exemplar sunt efformata. Itaque intra Deum quaerendum est, vel potius ipse Deus est. Quare S. Thomas Aquinas (S. th. 1, qu. 18, a. 4 ad 2) dicit: „Omnia sunt in Deo, sicut in primo exemplari.“

Pro voce *exemplaris* etiam vocabulis *formae* vel *speciei* vel *ideae* uti possumus (Graece εἶδος vel ἰδέα; Germanice Idee, Urbild, Vorbild, Muster). Ad rem ipsam quod pertinet, omnia quae de supremis et pulcherrimis ideis Plato proferebat, mutatis mutandis huc referri possunt. Qua de re S. Augustinus De divers. quaest. 83, qu. 46 scribit: „Ideas Plato primus appellasse perhibetur: non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsae non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellectae; sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatae sunt.“ Unde paulo post: „Ideas igitur Latine possumus vel formas vel species dicere, ut verbum e verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus; rationes enim Graece λόγοι appellantur, non ideae: sed tantum quisquis hoc vocabulo uti voluerit, a re ipsa non aberrabit.“ [1]

Quibus praemissis iam audiamus, quid de illa quae in Deo est pulchritudine ideali sive exemplari Patres Ecclesiae et, si quid forte ex ea extundi potest, sacra Scriptura sentiant. Ac quoad Patres quidem haec tria certa sunt: Primo pulchritudinem Dei esse supremum exemplar omnis pulchritudinis derivatae; deinde hoc exemplar sive speciem divinam a Patribus Graecis τὸ πρωτότυπον κάλλος vel ἀρχέτυπον κάλλος appellari, id est, exemplar pulchritudinis primum et principale; denique Deum omnes res pulchras, antequam creatae sint, in seipso cognoscere atque intueri, ut in causa exemplari.

I. Pulchritudinem Dei supremum esse exemplar omnis pulchritudinis derivatae docent imprimis Dionysius Pseudo-Areopagita, S. Augustinus et Boëtius. Atque prior quidem De div. nom. c. 4, § 7 omnem

---

καὶ ὕμνησαν πάντες ἄγγελοί μου φωνῇ μεγάλῃ“ · τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐκπλαγέντες τὸ πλῆθος, τὸ κάλλος, τὴν θέσιν, τὴν χρείαν, τὴν ποικιλίαν, τὴν φαιδρότητα, τὴν λαμπηδόνα, τὴν ἁρμονίαν, τὰ ἄλλα πάντα, ἅπερ ἀκριβέστερον ἡμῶν συνορῶσιν ἐκεῖνοι. Οὐκ ἀστράσι δὲ ἐκαλλώπισε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ κατεκόσμησεν, ἐν ἑκατέρῳ τῷ καιρῷ πολλὴν μέν σοι ἡδονήν, πολλὴν δὲ παρέχων τὴν χρείαν ἐξ ἀμφοτέρων.

[1] *Migne*, Patr. lat. 40, 29.

pulchritudinem creatam in Deo praeexsistere censet, quoniam Deus totam universi pulchritudinem in seipso eminenter anticipet ac praehabeat. „Pulchrum", inquit, „vocatur (numen divinum), quod ex omni parte pulchrum sit et plus quam pulchrum, et . . . semper exsistens pulchrum atque fontanam universi pulchritudinem in seipso eminenter anticipans praehabensque. In ipsa enim natura simplici ac supernaturali pulchrorum universorum omnis pulchritudo et omne pulchrum uniformiter secundum causam praeexsistit. Ex hoc ipso pulchro rebus omnibus contingit, ut sint singula secundum propriam rationem pulchra."[1] Unde idem Dionysius pulchrum divinum ibid. αἴτιον παραδειγματικόν, i. e. causam exemplarem, expresse vocat: „Atque pulchrum (divinum) est . . . causa exemplaris, quia secundum illud omnia definiuntur."[2] Etiam S. Augustinus omnium rerum speciosissimam speciem et immutabilem in Deo esse docet, haec dicens De fid. et symb. c. 2: „Qui praestat rebus formam, ipse praestat etiam posse formari, quoniam de illo et in illo est omnium speciosissima species incommutabilis; et ideo ipse unus est, qui cuilibet rei non solum ut pulchra sit, sed etiam ut pulchra esse possit, attribuit."[3] Pulchritudo igitur omnium rerum secundum ideam in Deo latet, ut in causa exemplari. Quod ut exemplo illustret, idem Augustinus Enarr. in Ps. 49 versum ***„Et pulchritudo agri mecum est"*** (καὶ ὡραιότης ἀγροῦ μετ' ἐμοῦ ἐστίν)[4] ita exponit: ***„Et species agri mecum est.*** Pulchritudo agri, ubertas omnium in terra gignentium mecum est, inquit. Quomodo cum illo? Utrum et antequam fierent? Cum illo enim erant omnia futura, et cum illo sunt omnia praeterita: futura ita, ut non ei detrahantur omnia praeterita. Cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabilis sapientiae Dei in Verbo constituta, et ipsum Verbum omnia. An aliquo modo cum illo est agri species, quia ipse ubique est, et ipse dixit: ***Caelum et terram ego impleo*** (Ierem. 23, 24)? Quid cum illo non est, de quo dicitur: ***Si ascendero in caelum, tu illic es; et si descendero in infernum, ades*** (Ps. 138, 8)? Cum illo est totum; sed non sic cum illo est, ut aliquam ex his, quae creavit, contagionem aut eorum indigentiam patiatur. Nam tecum est forte columna, iuxta quam stas, et cum fatigatus fueris, incumbis in eam. Indiges eo, quod tecum est: non idiget Deus agro, qui cum illo est. Cum illo ager, cum illo species terrae, cum illo species caeli, cum illo omnia volatilia, quia ipse ubique. Et quare apud ipsum omnia? Quia et antequam

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 708: Καλὸν δὲ ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπέρκαλον, καὶ . . . ἀεὶ ὄν καλόν, καὶ ὡς παντὸς καλοῦ τὴν πηγαίαν καλλονὴν ὑπεροχικῶς ἐν ἑαυτῷ προέχον. Τῇ γὰρ ἁπλῇ καὶ ὑπερφυεῖ τῶν ὅλων καλῶν φύσει πᾶσα καλλονὴ καὶ πᾶν καλόν, ἑνοειδῶς κατ' αἰτίαν προϋφέστηκεν. Ἐκ τοῦ καλοῦ τούτου πᾶσι τοῖς οὖσι τὸ εἶναι, κατα τὸν οἰκεῖον λόγον ἕκαστα καλά.

[2] Ibid. 3, 708: Καὶ τὸ καλὸν . . . (αἴτιον) παραδειγματικόν, ὅτι κατ' αὐτὸ πάντα ἀφορίζεται.

[3] *Migne*, Patr. lat. 40, 182.

[4] זִיז שָׂדַי, id est: „et plenitudo agri".

essent omnia aut crearentur, ei nota erant omnia."[1] Ergo cum Deo vel apud Deum *pulchritudo agri* est secundum ideam atque exemplar; neque solum *pulchritudo agri*, sed etiam pulchritudo terrae, pulchritudo maris, pulchritudo caeli, uno verbo: pulchritudo totius mundi exemplariter apud Deum est. Quocirca Boëtius De consol. philos. lib. 3, metr. 9 perpulchre canit:

> „. . . Tu cuncta superno
> Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
> Mundum mente gerens, similique imagine formans
> Perfectasque iubens perfectum absolvere partes."[2]

II. Quae cum ita sint, Patres Graeci, ut S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus et S. Cyrillus Alexandrinus Deum, supremum exemplar pulchritudinis, rectissime appellant τὸ πρωτότυπον κάλλος, id est, pulchritudinem primae formae vel primum exemplar pulchritudinis, aut τὸ ἀρχέτυπον κάλλος, id est, pulchritudinem principis formae vel princeps exemplar pulchritudinis (Germanice die Urschönheit).

Et sane S. Gregorius Nyssenus De vit. Moys. Deum, quem Moyses facie ad faciem videre desiderabat, pulchritudinem appellat archetypam: „Videtur autem mihi", inquit, „(Moyses) in illud natura pulchrum ita affectus fuisse quodam amoris desiderio animi illuc propensi, ut eius exspectatio semper a pulchris, quae videntur, ad pulchritudinem superiacentem traheretur. . . . Unde vehemens amator pulchritudinis eam, quam videbat, tamquam imaginem illius desideratae esse credens, ipsa forma primigeniae (τοῦ ἀρχετύπου sc. κάλλους) frui desiderabat. Atque id vult audax et in montibus illa petitio, ne per specula quaedam et imagines, sed in faciem frueretur pulchritudine."[3] Omnia enim ista pulchra, quia secundum pulchritudinem Dei conformata sunt, merito specula quaedam vocantur et imagines illius pulchritudinis archetypae. Quo sub respectu imprimis homo „imago Dei" dicitur, id quod idem Nyssenus De hom. opif. c. 4 confirmat: „Apparet unam hanc imaginem (hominis) pulchritudinem principis exemplaris accurate referre."[4] Haec autem imago, ut postea c. 12 legimus, tamdiu in nobis pulchra est, quamdiu illi respondet formae archetypae vel prototypae: „Nam cum pulcherrimum omnium ac praestantissimum bonum ipse Deus sit, ad quem omnia respiciunt, quaecunque pulchri desiderio tanguntur, idcirco dicimus et mentem quippe ad imaginem pulcherrimi factam, quamdiu similitudinis archetypo respondentis particeps est, quoad eius fieri potest, et ipsam in pulchritudine perseverare: sin autem aliquo pacto ab hoc (archetypo) deficiat, pulchritudine spoliari in qua

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 36, 577. [2] Ibid. 63, 758.

[3] *Migne*, Patr. gr. 44, 402. Textum Graecum vide supra Lib. II, Parte I, c. 7, § 3.

[4] Ibid. 44, 186: . . . ὥστε δείκνυσθαι δι' ἀκριβείας πρὸς τὸ ἀρχέτυπον κάλλος ὁμοιωθεῖσαν (sc. φύσιν ἀνθρωπίνην).

erat. . . . Indicavimus similitudine principis pulchritudinis (τοῦ πρωτοτύπου κάλλους) ornatam esse mentem." [1] Idem sentit S. Cyrillus Alexandrinus, cum Expos. in Ioan. Evang. lib. 9 Deum dicit τὸ ἀρχέτυπον κάλλος, i. e. archetypam pulchritudinem, ad quam homo creatus sit: „*Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae* (Gen. 2, 7). . . . Naturae suae quoddam veluti signaculum creator impressit (animali humano), sanctum Spiritum, id est *spiraculum vitae*, per quod ad exemplarem archetypi pulchritudinem (πρὸς τὸ ἀρχέτυπον κάλλος) formatum est, et ad imaginem creatoris perfectum ad omnem virtutis speciem vi inhabitantis in eo Spiritus corroboratum." [2] Cum res ita sit, S. Gregorius Nazianzenus in Carmine morali, quod „Distichae sententiae" inscribitur, vers. 7 et 8 nos sic admonet: „Nosce teipsum, optime, unde et quis sis; facile enim sic assequeris pulchritudinem archetypam." [3]

III. Deus denique, quoniam primum et princeps exemplar totius pulchritudinis est, omnia pulchra, antequam creata sunt, in seipso cognoscit atque intuetur tamquam in causa exemplari, quippe qui, ut cum verbis Dionysii Pseudo-Areopagitae loquamur, pulchritudinem omnium rerum fontanam in seipso eminenter, rationaliter, idealiter anticipet atque praehabeat. Itaque hanc, quia in seipso praehabet, etiam in seipso velut in speculo intelligit atque videt, et ab aeterno et semper et uniformiter et immutabiliter et usque in aeternum intelligit atque videt, cum omnia pulchra, antequam et postquam creata sunt, secundum ideam pulcherrimam et immutabilem in Deo praeexsistant atque quodammodo vivant. Quare Deus ante creationem hominis Gen. 1, 26 rectissime inducitur loquens: „***Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.***" Neque sine ulla ratione, quod ad reliquas creaturas pertinet, illud Ioan. 1, 3—4 citari solet: „***Omnia per ipsum*** (Verbum)

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 162: Ἐπειδὴ γὰρ τὸ κάλλιστον πάντων καὶ ἐξοχώτατον ἀγαθὸν αὐτὸ τὸ Θεῖόν ἐστι, πρὸς ὃ πάντα νένευκεν, ὅσα τοῦ καλοῦ τὴν ἔφεσιν ἔχει, διὰ τοῦτό φαμεν καὶ τὸν νοῦν, ἅτε κατ' εἰκόνα τοῦ καλλίστου γενόμενον, ἕως ἂν μετέχῃ τῆς πρὸς τὸ ἀρχέτυπον ὁμοιότητος, καθόσον ἐνδέχεται, καὶ αὐτὸν ἐν τῷ καλῷ διαμένειν. εἰ δέ πως ἔξω γένοιτο τούτου, γυμνοῦσθαι τοῦ κάλλους, ἐν ᾧ ἦν. . . . Ἔφαμεν τῇ ὁμοιώσει τοῦ πρωτοτύπου κάλλους κατακοσμεῖσθαι τὸν νοῦν. Latinam versionem emendavi.

[2] Ibid. 74, 278: „Ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς" . . . Καθάπερ τινὰ σφραγῖδα τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐνέπηξεν ὁ Δημιουργὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τοῦτ' ἔστι, τὴν πνοὴν τῆς ζωῆς, δι' ἧς πρὸς τὸ ἀρχέτυπον διεπλάττετο κάλλος, ἀπετελεῖτο δὲ κατ' εἰκόνα τοῦ Κτίσαντος, πρὸς πᾶσαν ἰδέαν ἀρετῆς δυνάμει τοῦ ἐνοικισθέντος αὐτῷ διακρατούμενος Πνεύματος.

[3] Ibid. 37, 911:

Γνῶθι σεαυτόν, ἄριστε, πόθεν καὶ ὅστις ἐτύχθης,
Ῥεῖά κεν ὧδε τύχῃς κάλλεος ἀρχετύπου.

Metrica versio ita sonat:

„Te noscas, et quae tibi sit caelestis origo:
Sic facilis venies ad decus archetypum."

facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est; ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν: *in ipso vita erat*", nimirum omne id, quod factum est[1]. — Hoc autem inter Deum et nos discrimen intercedit, quod nos quidem res, quia pulchrae sunt, cum gaudio videmus; at pulchrae non sunt, nisi quia videntur a Deo pulcherrimo. Cf. Gen. 1, 4: „*Et vidit Deus lucem, quod esset pulchra.*" Quae verba S. Ioannes Chrysostomus Homil. 3 in c. 1 Genes. ita interpretatur: „*Et vidit Deus lucem, quod esset pulchra.* . . . Quid igitur? an priusquam fieret lux, nesciebat eam pulchram futuram, sed postquam producta fuit, ex adspectu primum opifex pulchritudinem eius productae percepit? Et quis sanae mentis tale quidpiam dixerit?"[2] „Nam qui produxit," inquit ibid. Homil. 4, „etiam priusquam formaret, sciebat formandae rei pulchritudinem."[3] Neque aliud quidquam paulo supra (ad I vers. fin.) iam S. Augustinum audivimus dicere: „Quare apud Deum omnia? Quia et antequam essent omnia aut crearentur, ei nota erant omnia."

Ex triplici hac argumentatione Patrum dilucide sequitur Deum esse ipsam pulchritudinem prototypam ideoque causam exemplarem totius pulchritudinis creatae. Omnia igitur, quae pulchra videmus, non sunt nisi imagines et vestigia illius pulchritudinis primariae et exemplaris; ex quo fit, ut a pulchritudine creata et umbratili velut per scalas cognoscibiliter ascendere possimus ad ipsam pulchritudinem increatam et veram, sicuti iam supra S. Gregorius Nyssenus Homil. 3 in Cant. optime docuit: „Una est, quae ex omnibus fit sententia, nempe quod boni superantis omnem intelligentiam per virtutes nobis cognitio inest, sicut per quandam imaginem cogitari potest primaria pulchritudo (τὸ ἀρχέτυπον κάλλος)."[4]

---

[1] Ne praetermittas quaeso ea, quae hac de quaestione, utrum Deus sit vita omnium. *Ios. Kleutgen* optime exposuit Institut. theolog.. (Ratisbonae 1881) p. 250: „Si propositio: *Deus est vita omnium* sensu proprio et obvio accipitur, gravissimus est error, quem antiqui philosophi invexere, recentioresque permulti suscitare non erubuerunt. dicentes Deum esse *animam mundi.* Si autem dictio illa sensu exponitur tropico, ita ut per vitam non vitam ipsam, h. e. causam formalem (qua res sunt viventes), sed causam sive exemplarem sive effectricem significes, sententia est verissima. . . . Qui enim ipsa vita seu vita subsistens est, exemplar (πρότυπον) et principium seu primus auctor omnis vitae est: exemplar quidem propterea quod vitarum omnium. quae sunt et esse possunt, perfectiones coniunctim . . . continet; principium vero et causa efficiens, quoniam ab eo, qui se ipso vivens est. omnes. qui participatione vivunt, vitam accipiant necesse est." Cf. etiam *Franzelin,* De Verbo incarnato (Romae 1881) p. 65 adnot.

[2] *Migne,* Patr. gr. 53, 34: „Καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς τὸ φῶς, ὅτι καλόν" . . . Τί οὖν, πρὶν ἢ γενέσθαι οὐκ ᾔδει, ὅτι καλόν, ἀλλὰ μετὰ τὸ παραχθῆναι ἡ ὄψις ἔδειξε τῷ δημιουργῷ τὸ κάλλος τοῦ παραχθέντος; Καὶ τίς ἂν εἴποι τοῦτο τῶν νοῦν ἐχόντων;

[3] Ibid. 53, 43: Ὁ γὰρ παραγαγών, καὶ πρὶν ἢ δημιουργήσῃ, ἠπίστατο τοῦ δημιουργουμένου τὸ κάλλος.

[4] Ibid. 44, 823. Textum Graecum vide supra c. 7, § 3 Partis praecedentis.

CAPUT III.

De pulchritudine Dei, quatenus creatae pulchritudinis causa est finalis.

Aristoteles „Metaphys. I minor“ causam finalem vel potius notionem finis ita explicat: „Ipsum cuius causa (οὗ ἕνεκα) finis; tale autem est, quod non sit alterius gratia, sed eius causa cetera.“[1] Sed „cuius gratia“ tandem omnia, quae pulchra sunt, facta sunt pulchra? Neque ullum dubium esse potest, quin pulchritudo creata exsistat propter pulchritudinem divinam. Omnes enim creaturae in hunc finem factae sunt pulchrae, ut primo pulchritudinem Dei annuntient atque praedicent; deinde ut pulchritudinem Dei imitentur et imitando perfectionem suam undique assequantur. Quare denique Patres Ecclesiae Deum expresse vocaverunt causam finalem omnis pulchritudinis creatae.

I. Quaecunque pulchra sunt, in hunc finem creata sunt pulchra, ut pulchritudinem Dei creatoris annuntient atque praedicent. Confer e. gr. Ps. 18, 2: „*Caeli enarrant gloriam Dei*“ (כְּבוֹד־אֵל). Quae verba S. Ioannes Chrysostomus Comment. in Isai. 45, 7 ita exposuit: „*Caeli enarrant gloriam Dei.* Quo tandem modo? Dum sui splendoris pulchritudine spectatorem in admirationem traducunt conditoris. Cum enim conspecto tanto opere dixeris: Gloria tibi, Deus, quale corpus condidisti et in medio constituisti! caeli gloriam istam detulerunt, et tua lingua utentes per aspectum admirationem exhibuerunt. Ita silentes gloriam et honorem Deo defuerunt, et hanc vocem audiunt omnes.“[2] Clarius porro et apertius loquitur Interpret. in Daniel proph. c. 1: „At Deus“, inquit, „quam ob causam (τίνος ἕνεκεν) pulchritudinem fecit? Audi alium dicentem: ***A magnitudine enim et pulchritudine creaturarum creator per proportionem videtur*** (Sap. 13, 5). Et multa videat aliquis non modo ad usum, sed etiam ad decorem (πρὸς ὥραν) corpori nostro indita esse. Colores namque ac coloris pulchritudines eius rei gratia, non autem ob usum dumtaxat exsistunt. . . . Unde praecipue ad speciem (πρὸς τὸ κάλλος) nobis opifex hoc animal condidit: nec tantum hoc, sed et reliqua omnia. Verum pulchritudinis huius aliis quidem plus, aliis vero minus largitus est.“[3] (Vide etiam supra Lib. II, Parte I, c. 2.)

---

[1] *Aristot.*, Op. ed. Academ. Reg. Boruss. II. 994b: Τὸ οὗ ἕνεκα τέλος, τοιοῦτον δὲ ὃ μὴ ἄλλου ἕνεκα, ἀλλὰ τἆλλα ἐκείνου. Versio in III. 487.

[2] *Migne*, Patr. gr. 56, 144: . . . Πῶς καὶ τίνι τρόπῳ; Τὸν θεατὴν τῷ κάλλει τῆς οἰκείας φαιδρότητος εἰς θαῦμα παραπέμποντες τοῦ Δημιουργοῦ. Ὅταν γὰρ ἰδὼν τὸ τοιοῦτον ἔργον, εἴπῃς· Δόξα σοι, ὁ Θεός, ἡλίκον σῶμα εἰργάσω, καὶ ἐν τῷ μέσῳ τέθεικας· οἱ οὐρανοὶ τὴν δόξαν ταύτην ἀνήνεγκαν, τῇ σῇ γλώττῃ χρησάμενοι, καὶ διὰ τῆς ὄψεως τὸ θαῦμα παραπέμποντες. Οὕτω σιγῶντες ἀναφέρουσι δόξαν τῷ Θεῷ, καὶ ταύτης τῆς φωνῆς πάντες ἀκούουσιν.

[3] Ibid. 56, 194: Ὁ δὲ Θεὸς τίνος ἕνεκεν κάλλος ἐποίησεν; Ἄκουσον ἑτέρου λέγοντος· „Ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς θεωρεῖται.“ Καὶ

II. Deinde asserimus omnia ista pulchra in hunc finem creata fuisse, ut pulchritudinem Dei imitentur atque imitando perfectionem suam consequantur. Et profecto S. Gregorius Nyssenus De hom. opif. c. 12 scribit: „Pulcherrimum omnium ac praestantissimum bonum ipse Deus est, ad quem omnia respiciunt, quaecunque pulchri desiderio tanguntur.“ [1] Similiter S. Augustinus lib. 2 De ord. c. 19 docet omnia eatenus pulchra esse, quatenus Deum pulcherrimum imitentur: „Nihil amplius dicam, nisi promitti nobis aspectum pulchritudinis, cuius imitatione pulchra, cuius comparatione foeda sunt cetera.“ [2] Quare ibid. lib. 1, c. 8 confidenter quaerit: „Ubi non imitatio verissimae illius pulchritudinis?“ [3] Deus ergo, quoniam res ad pulchritudinem eius imitandam natae et aptae sunt, causa finalis omnis pulchritudinis creatae rectissime dicitur. — Praecipue vero hominibus et lege et natura constitutum est, ut, quoad eius fieri potest, pulchritudinem divinam tamquam finem pro viribus imitentur eaque beate perfruantur, siquidem eorum beatitudo perfecta in visione et amore pulchritudinis Dei maxime consistit, quemadmodum in Parte praecedenti c. 9, § 3 ex professo demonstravimus. Quocirca etiam S. Augustinus De fide, spe et carit. c. 5 docet: „Cum initio fidei, quae per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo ad speciem pervenire, ubi est sanctis et perfectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cuius plena visio est summa felicitas.“ [4] „Illa namque visio Dei“, inquit idem Augustinus (lib. 10 De civ. Dei c. 16), „tantae pulchritudinis visio est, et tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis praeditum atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.“ [5] Atqui visio Dei beatifica, sine qua homo infelix est et manet, dicitur finis ultimus, quem omnes res aut directe aut indirecte appetunt, teste eodem episcopo Hipponensi Epist. (138) ad Marcellin.: „Universi saeculi pulchritudo, cuius particulae sunt quae suis quibusque temporibus apta sunt, velut magnum carmen cuiusdam ineffabilis modulatoris excurrat, atque inde transeant in aeternam contemplationem speciei qui Deum rite colunt, etiam cum tempus est fidei.“ [6] Ergo species ac pulchritudo Dei, vel potius eius pulchritudinis participatio quam intima, causa finalis est omnis pulchritudinis creatae.

III. Quam sententiam inter Patres Ecclesiae praecipue Dionysius Pseudo-Areopagita etiam expressis verbis propugnat. Ait enim De

πολλὰ ἴδοι τις ἂν οὐχὶ πρὸς χρείαν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς ὥραν ἡμῖν ἐν τῷ σώματι γεγενημένα. Τὰ γὰρ χρώματα, καὶ αἱ εὐχροιαι, τούτου χάριν, οὐ χρείας μόνης. . . . Ὅθεν δὲ μάλιστα καὶ πρὸς κάλλος ὁ Δημιουργὸς ἡμῖν τὸ ζῶον κατεσκεύασε τοῦτο· καὶ οὐχὶ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ ἄλλα πάντα. Ἀλλὰ τοῦ κάλλους τούτου τοῖς μὲν πλέον, τοῖς δὲ ἔλαττον ἔδωκεν.

[1] *Migne*, Patr. gr. 44, 162. Textum Graecum vide supra n. 2 capitis praecedentis.
[2] *Migne*, Patr. lat. 32, 1019. [3] Ibid. 32, 989. [4] Ibid. 40, 288.
[5] Ibid. 41, 293. Confer *Plotinum*, Ennead. I, lib. 6, c. 7.
[6] Ibid. 33, 527.

div. nom. c. 4, § 7: „Pulchrum [divinum] est . . . finis omnium atque id, quod appetitur tamquam causa finalis (ὡς τελικὸν αἴτιον); nam pulchri gratia cuncta fiunt. . . Quam ob rem idem est pulchrum atque bonum, quoniam omnem causam pulchrum et bonum appetunt." [1] Et ibid. c. 4, § 10: „Quaecunque sunt et fiunt, propter pulchrum (διὰ τὸ καλόν) et bonum sunt et fiunt." [2] Quomodo autem pulchrum et bonum inter se differant, iam supra (Lib. I, Parte I, c. 2) diligentius explicavimus. Ut etiam mentem S. Augustini cognoscamus, ipse in libro De ver. relig. c. 39 omnia opera a Dei sapientia „in unum finem decoris" ordinata esse censet: „Sapientia Dei", inquit, „*pertendit a fine usque ad finem fortiter* (Sap. 8, 1). Ita per hanc summus ille artifex opera sua in unum finem decoris ordinata contexuit. Ita illa bonitas a summo usque ad extremum nulli pulchritudini, quae ab ipso solo esse posset, invidit; ut nemo ab ipsa veritate deiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis." [3] Iam vero ille „unus finis decoris", in quem sapientia Dei omnia opera sua ordinavit atque ordinat, in ipso Deo pulcherrimo collocandus est. Ergo Deus pulcherrimus universae pulchritudinis creatae causa est finalis.

Atque his quidem tribus capitibus praecedentibus satis demonstratum esse arbitramur Deum revera esse triplicem omnis pulchritudinis derivatae causam, scilicet efficientem, exemplarem, finalem. Sed totam hanc Partem, quae de pulchritudine Dei relata ad creaturas agit, minime perfectam reliquisse videbimur, nisi prius duas adhuc absolverimus quaestiones, quarum altera quidem investigabit, quid de usu et abusu pulchri Patres Ecclesiae senserint; altera vero exquiret, an illa quae a Deo ordinata est pulchritudo universitatis rerum malis et peccatis foedari aut deleri possit.

CAPUT IV.

De usu et abusu pulchri quid Patres Ecclesiae senserint.

Quaecunque de usu et abusu pulchri Patres Ecclesiae docent, ad duas sententias commode revocari possunt. Prima sic se habet: Pulchrum, praecipue corporeum, in vitium atque corruptionem facile inducit. Altera sententia ita sonat: Illud pulchrum, quod in vitium atque corruptionem facile inducit, non per se malum est, sed mala est voluntas, quae illo male utitur.

I. Pulchrum, praecipue corporeum, quod „species infima" est [4], in vitium atque corruptionem pellicere satis unanimiter docent Ecclesiae

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 3, 703: Τὸ καλὸν . . . πέρας πάντων, καὶ ἀγαπητὸν ὡς τελικὸν αἴτιον· τοῦ καλοῦ γὰρ ἕνεκα πάντα γίγνεται. . . . Διὸ καὶ ταὐτόν ἐστι τἀγαθῷ τὸ καλόν, ὅτι τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν πάντα ἐφίεται.

[2] Ibid. 3, 706: Πάντα ὅσα ἐστὶ καὶ γίνεται, διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν ἐστι καὶ γίνεται.

[3] *Migne*, Patr. lat. 34, 154.

[4] Cf. supra Lib. I, Parte II, c. 1.

Patres, imprimis S. Ambrosius, qui De paradiso c. 7, n. 37 dicit: „Pulchritudo ipsa et gratior corporis forma frequenter in vitium quam deformitas trahit.“ [1] Et rursus lib. 4 Hexaëm. c. 8: „Ne in viribus corporis aut pulchritudine gloriemur, in quo est facilis corruptio, crebra mutatio; sed manentem in futurum animi gratiam persequamur.“ [2] Unde ibid. lib. 6, c. 8 nos admonet: „Non rapiat oculus tuus transeuntis feminae pulchritudinem.“ [3] Item S. Leo M. Serm. 90 sapienter monet: „Quod de specie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinatur, nisi in illa visibilium pulchritudine creator potius quam creatura diligatur.“ [4] — Neque mirum est, quod iam sacra Scriptura Veteris Testamenti pulchritudine rerum visibilium nobis sobrie atque caute utendum esse hortatur, ne reprobi reddamur neve misere pereamus, cum Eccli. 9, 8—9 ita scribat: „*Ne circumspicias speciem alienam* (κάλλος ἀλλότριον); *propter speciem mulieris multi perierunt.*“ Quod monitum ibid. 9, 11 repetit dicens: „*Speciem mulieris alienae multi admirati, reprobi facti sunt.*“ Atque talium, qui alienam pulchritudinem admirati in vitii caenum lapsi sint, exstant exempla. Confer 2 Reg. 11, 2 et 4: „*Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiae, viditque mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum; erat autem mulier* ***pulchra valde.*** . . . *Missis itaque David nuntiis, tulit eam.*“ Alium exemplum habes 2 Reg. 13, 1: „*Factum est* . . . *ut Absalom filii David sororem* ***speciosissimam,*** *vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, et deperiret eam valde, ita ut propter amorem eius aegrotaret*“ etc. Sed etiam primis saeculis generis humani famosi illi gigantes, quorum sacra Scriptura Gen. 6, 2—3 mentionem facit, pulchritudine aliena pellecti in vitia ruerunt. „ *Videntes filii Dei filias hominum quod essent* ***pulchrae,*** *acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum. Gigantes autem erant super terram in diebus illis.*“ Nec vero sola venustas corporis humani, sed etiam pulchritudo corporea quaelibet, sive natura producta sive arte fabricata, in vitium atque corruptionem rapere potest. Exinde quid igitur? Num pulchrum, praecipue corporeum, propterea est detestandum et reiciendum? An exemplum imitandum est iconomachorum, qui imagines templorum quantumvis pulchras combusserunt atque destruxerunt?

II. Iam vero pulchrum, etiam corporale, non per se malum est, sed mala est voluntas, quae illo male utitur vel potius abutitur. Pulchrum enim ad summum occasio peccati dici potest, nunquam autem per se est causa peccati. Unde S. Ambrosius Epist. ad Constantium episc. prudenter scribit: „Ars desit, nullum est crimen decoris; illecebra facessat, inoffensa est species et formae gratia.“ [5]

[1] *Migne,* Patr. lat. 14, 291. [2] Ibid. 14, 203. [3] Ibid. 14, 262. [4] Ibid. 54, 448. [5] Ibid. 16, 884.

S. Ioannes autem Chrysostomus Interpret. in Daniel. proph. c. 1 eos, qui ut peccatum excusent pulchritudinem tamquam offendiculum accusant, vehementer vituperat dicens: „Sed, inquiet aliquis, pulchritudo offendiculum fuit. Non propter pulchritudinis naturam id contigit, sed per ignaviam eorum, qui illa capiuntur. Dicit enim Scriptura: *Ne respicias pulchritudinem alienam* (Eccli. 9, 8). Non dixit absolute: *Ne respicias pulchritudinem*, sed addidit *alienam*. Quare laudat eos, qui propria fruuntur venustate. . . . At, inquiet idem, pulchritudo offensioni ab initio fuit. *Videntes* enim *filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi* (Gen. 6, 2). Offendiculum non fuit species, sed illorum incontinentia. Filias enim non ideo Deus speciosas fecerat, ut impudentes fierent, sed ut unusquisque suam adamaret." [1] Propterea idem Chrysostomus Expos. in Ps. 44 hanc auream regulam pulchritudine bene utendi proponit: „Formam (τὴν ὥραν) eousque mirare, ut gloria et honore afficias artificem; ulterius autem ne progrediare, animi perturbationem excitans. Pulchrum opus: is ergo, qui fecit, est adorandus, non contumelia afficiendus." [2] Quibus similia sunt, quae iam Clemens Alexandrinus Cohort. ad gent. c. 4 inculcavit: „Turpis est", inquit, „pulchritudo quae per contumeliam emarcuit. Ne tyrannidem exerceas, o homo, in pulchritudinem, neve probrum inferas florenti adolescenti; ipsam puram serva, ut sit pulchra. Pulchritudinis rex esto, non tyrannus. Liber maneat, sic tuam pulchritudinem agnoscam, quia puram servaveris imaginem. Sic veram adorabo pulchritudinem, quae primigenium pulchrorum omnium exemplar est et forma." [3]

In eadem sententia atque Graeci est S. Augustinus, ubi De ver. relig. c. 36 peccatum et errorem in eo esse censet, quod homo, Deo summo artifice neglecto, pulchra terrena tamquam finem suum ultimum appetat: „Unde falsitas oritur", inquit, „non rebus ipsis fallentibus, quae nihil aliud ostendunt sentienti quam speciem suam, quam pro

[1] *Migne*, Patr. gr. 56, 195: Ἀλλὰ πρόσκομμα γέγονε τὸ κάλλος, φησίν. Οὐχὶ παρὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, ἀλλὰ παρὰ τὴν ῥᾳθυμίαν τῶν ἁλισκομένων· „Μὴ καταμάνθανε" γάρ, φησί, „κάλλος ἀλλότριον." Οὐχ ἁπλῶς εἶπε· „Μὴ καταμάνθανε κάλλος", ἀλλὰ προσέθηκεν „ἀλλότριον", ὡς τό γε οἰκείου ἀπολαύειν αἰνεῖ. . . . Καὶ μὴν τοῦτο, φησί, γέγονε πρόσκομμα παρὰ τὴν ἀρχήν. „Ἰδόντες γὰρ οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν Ἑβραίων [ἀνθρώπων], ὅτι καλαί εἰσιν, ἔλαβον ἑαυτοῖς." Οὐχὶ τοῦτο γέγονε πρόσκομμα, ἀλλ' ἡ ἀκρασία ἐκείνων. Καλὰς αὐτὰς ἐποίησεν, οὐχ ἵνα ἀναιδεῖς αἱ θυγατέρες γένωνται, ἀλλ' ἵνα ἕκαστος στέργῃ τὴν ἑαυτοῦ.

[2] Ibid. 55, 181: Μέχρι τοσούτου θαύμαζε τὴν ὥραν, μέχρι τοῦ δοξάσαι τὸν τεχνίτην, περαιτέρω δὲ μὴ προέλθῃς, τὸ πάθος ἀλείφων. Καλὸν τὸ ἔργον· οὐκοῦν τὸν ἐργασάμενον προσκυνεῖν, ἀλλ' οὐχ ὑβρίζειν χρή.

[3] Ibid. 8, 142: Αἰσχρόν ἐστι τὸ κάλλος ὕβρει μεμαραμμένον. Μὴ τυραννήσῃς, ἄνθρωπε, τοῦ κάλλους, μηδὲ ἐνυβρίσῃς ἀνθοῦντι τῷ νέῳ· τήρησον αὐτὸ καθαρόν, ἵνα ᾖ καλόν. Βασιλεὺς τοῦ κάλλους γενοῦ, μὴ τύραννος. Ἐλεύθερος μενέτω· τότε σου γνωρίσω τὸ κάλλος, ὅτι καθαρὰν τετήρηκας τὴν εἰκόνα· τότε προσκυνήσω τὸ κάλλος τὸ ἀληθινόν, ὃ ἀρχέτυπόν ἐστι τῶν καλῶν.

suae pulchritudinis acceperunt gradu; neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud quam suas affectiones praesidenti animo nuntiant: sed peccata animas fallunt, cum verum quaerunt, relicta et neglecta veritate. Nam quoniam opera magis quam artificem atque ipsam artem dilexerunt, hoc errore puniuntur, ut in operibus artificem artemque conquirant; et cum invenire nequiverint (Deus enim non corporalibus sensibus subiacet, sed ipsi menti supereminet), ipsa opera existiment esse et artem et artificem." [1] Qui abusus vera causa idololatriae et culpae gentium fuit, ut Sap. 13, 1—3 legimus: *„Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum, deos putaverunt. Quorum si specie* (τῇ καλλονῇ) *delectati, deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator haec omnia constituit."* Falsitas ergo et malitia non istis rebus pulchris inest — Deus enim, generator speciei, omnia quae sunt, καλὰ λίαν, id est, pulchra valde (Gen. 1, 31) fecit —, sed in perversa consistit voluntate, quae rebus pulchris male utitur. „Deficitur enim", inquit rursus S. Augustinus (lib. 12 De civ. Dei c. 8), „non ad mala, sed male; id est, non ad malas naturas, sed ideo male, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est ad id quod minus est. Neque enim auri vitium est avaritia, sed hominis perverse amantis aurum, iustitia derelicta, quae incomparabiliter auro debuit anteponi. Nec luxuria est vitium pulchrorum suaviumque corporum, sed animae perverse amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia, qua rebus spiritualiter pulchrioribus et incorruptibiliter suavioribus coaptamur. . . . Ac per hoc qui perverse amat cuiuslibet naturae bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus, et miser meliore privatus." [2] Talem miseriam ut effugiamus, hanc de usu pulchri regulam proponit lib. 6 De mus. c. 14: „Non igitur numeri[3], qui sunt infra rationem et in suo genere pulchri sunt, sed amor inferioris pulchritudinis animam polluit: quae cum in illa non modo aequalitatem . . . sed etiam ordinem diligat, amisit ipsa ordinem suum; nec tamen excessit ordinem rerum, quandoquidem ibi est et ita est, ubi esse et quomodo esse tales, ordinatissimum est. Aliud enim est tenere ordinem, aliud ordine teneri. Tenet ordinem, seipsa toto diligens quod supra se est, id est Deum, socias autem animas tamquam seipsam. Hac quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus sordidatur. Quod autem illam sordidat, non est malum, quia etiam corpus

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 152. [2] Ibid. 41, 355.
[3] S. Augustinus in mente habuit Sap. 11, 21: *„Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti."*

creatura Dei est, et specie sua quamvis infima decoratur, sed prae animae dignitate contemnitur: sicut auri dignitas etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit. Quapropter quicunque de nostra quoque poenali mortalitate numeri facti sunt, non eos abdicemus a fabricatione divinae providentiae, cum sint in genere suo pulchri. Neque amemus eos, ut quasi perfruendo talibus beati efficiamur. His etenim, quoniam temporales sunt, tamquam tabula in fluctibus, neque abiciendo quasi onerosos, neque amplectendo quasi fundatos, sed bene utendo carebimus." [1]

Quodsi homo rebus pulchris male utitur, a propria quidem pulchritudine deficit et fit reprobus; at vero utut male egerit, perturbare nunquam poterit pulchritudinem illam, in qua sapientia Dei totam rerum universitatem ab aeterno constituit. Sed de hoc fusius agemus capite sequenti.

CAPUT V.

An illa, quae a Deo ordinata est, pulchritudo totius rerum universitatis malis et peccatis foedari aut deleri possit.

I. Quia nemo est, qui non videat in hac rerum universitate praeter pulchra atque formosa etiam foeda ac deformia exsistere, factum est, ut Manichaei duo principia mundi inter se pugnantia statuerent: unum pulchrum atque bonum, alterum deforme atque malum. Contra quos S. Augustinus iterum iterumque magna eloquentia contendebat eam, quae a Deo ordinata sit, pulchritudinem totius mundi nec peccatis foedari nec malis deleri unquam posse, ideoque nihil esse, cur praeter Deum optimum ac pulcherrimum alterum statuatur principium deforme atque malum. Manichaeos quippe in eo erravisse dicebat, quod non de universo mundo nec de toto consilio providentiae divinae iudicarent, sed singulis mundi particulis adhaerentes, earum deformitate offenderentur, ignorantes, cuinam universitati illae particulae congruerent, et ad quamnam referendae essent pulchritudinem universalem. Atque De ver. relig. c. 40 haec sane docet: „Ita ordinantur omnes officiis et finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat: quia nec in aedificio iudicando unum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronuntiante solum digitorum motum, nec in lunae cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim, quae propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, sive in statu sive in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt, si recte volumus iudicare. Verum enim nostrum iudicium, sive de toto sive de parte iudicet, pulchrum est; universo quippe mundo superfertur, nec alicui parti eius, in quantum verum

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 1187.

iudicamus, adhaeremus. Error autem noster parti adhaerens eius, ipse per se foedus est."[1] Hunc errorem si vitemus, divina permissione malorum et physicorum et moralium non est, cur offendamur. Etenim mala quaevis ac peccata, licet per se admodum deformia et turpia sint, tamen, si cum toto providentiae consilio conferantur, universalem pulchritudinem mundi tam parum perturbant, ut potius augeant.

Atque imprimis constat pulchritudinem universitatis rerum nullis perturbari **malis physicis**, velut morbo, morte, tenebris, quae bonis physicis, ut valetudini, vitae, luci et ceteris huiusmodi opponuntur. „Deus enim", inquit S. Augustinus (lib. 16 De civ. Dei c. 8), „creator est omnium, qui ubi et quando creari quid oporteat vel oportuerit, ipse novit, sciens universitatis pulchritudinem quarum partium vel similitudine vel diversitate contexat. Si quis totum inspicere non potest, tamquam deformitate partis offenditur; quoniam, cui congruat et quo referatur, ignorat."[2]

Nec vero ullis **malis moralibus**, i. e. peccatis, pulchritudo universitatis rerum e medio tollitur. Namque idem Augustinus lib. 5 Confess. c. 2 Deum sic alloquitur: „Eant et fugiant a te inquieti et iniqui; et tu vides eos, et distinguis umbras; et ecce pulchra sunt cum eis omnia, et ipsi turpes sunt. Et quid nocuerunt tibi? aut in quo imperium tuum dehonestaverunt, a caelis usque in novissima iustum et integrum?"[3]

II. Quam sententiam ne quis ut absurdam carpat, ingeniosus episcopus Hipponensis variis usus est **exemplis.** Ita De nat. boni contr. Manich. c. 8 transeuntem pulchritudinem mundi malis et peccatis maculati similem esse dicit pulcherrimo cuidam sermoni, qui eo ipso quod singulae syllabae paulatim nascantur et pereant et intervalla silentiorum rite interposita sint, pulchritudinem suam non modo non amittat, sed etiam recipiat. „Fit autem", inquit, „decedentibus et succedentibus rebus temporalis quaedam in suo genere pulchritudo, ut nec ipsa, quae moriuntur vel quod erant esse desinunt, turpent aut turbent modum et speciem et ordinem universae creaturae: sicut sermo bene compositus utique pulcher est, quamvis in eo syllabae atque omnes soni tamquam nascendo et moriendo transcurrant."[4] Item Contr. epist. Manich. c. 41: „Nam et species vocis emissae praeterit, et silentio perimitur; et tamen sermo noster ex praetereuntium verborum decessione ac successione peragitur, et moderatis silentiorum intervallis decenter suaviterque distinguitur: ita sese habet etiam temporalium naturarum infima pulchritudo, ut rerum transitu peragatur, et distinguitur morte nascentium. Cuius pulchritudinis ordinem et modos si posset capere sensus

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 168. [2] Ibid. 41, 486.
[3] Ibid. 32, 706. [4] Ibid. 42, 554.

noster atque memoria, ita nobis placeret, ut defectus quibus distinguitur, nec corruptiones vocare auderemus. Quod autem in eius pulchritudinis parte laboramus, cum nos fluentia deserunt temporalia quae diligimus, et peccatorum poenas luimus, et sempiterna diligere commonemur." [1]

Alia deinde comparatione, quae praecedenti haud dissimilis est, S. Augustinus utitur acute arguens, mala et peccata in ordine hoc pulcherrimo perinde sese habere atque nitidi cuiusdam carminis oppositiones, quae Graece ἀντιθέσεις vocantur. Ait quippe lib. 11 De civ. Dei c. 18: „Neque enim Deus ullum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret atque ita ordinem saeculorum tamquam pulcherrimum carmen ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Antitheta enim, quae appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima. . . . Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem sermonis reddunt; ita quadam, non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione saeculi pulchritudo componitur. Apertissime hoc positum est in libro Ecclesiastico hoc modo: *Contra malum bonum est, et contra mortem vita; sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, bina et bina, unum contra unum* (Eccli. 33, 15)." [2] Hinc lib. 1 De ord. c. 7: „Qui ordo", inquit, „atque dispositio, quia universitatis congruentiam ipsa distinctione custodit, fit ut mala etiam esse necesse sit. Ita quasi ex antithetis quodammodo, quod nobis etiam in oratione iucundum est, id est ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur." [3]

Tertium porro comparationis genus ex artibus humanis depromens S. Augustinus eleganter docet universitatem rerum, licet mala et peccata ei non desint, tamen non minore pulchritudine praeditam esse quam picturam quandam, utpote quae pulchra non esset, nisi colore nigro distincta esset atque umbris. „Nec mala voluntas", inquit lib. 11 De civ. Dei c. 23, „quia naturae ordinem servare noluit, ideo iusti Dei leges omnia bene ordinantis effugit. Quoniam sicut pictura cum colore nigro, loco suo posita, ita universitas rerum, si quis possit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est, quamvis per se ipsos consideratos sua deformitas turpet." [4] — Cui simili cognatum est aliud lib 1 De ord. c. 1, ubi totus mundus, qui utique sine

[1] *Migne*, Patr. lat. 42, 205.

[2] Ibid. 41, 332. In nostra Vulgata Eccli. 33, 15 ita sonat: „*Contra malum bonum est, et contra mortem vita; sic et contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo et duo, et unum contra unum.*"

[3] *Migne*, Patr. lat. 32, 986.

[4] Ibid. 41, 336. Hanc comparationem S. Augustinus etiam De ver. relig. c. 40 adhibet: „Sicut niger color in pictura cum toto sit pulcher, sic totum istum agonem (scil. iustorum et peccatorum) decenter edit incommutabilis divina providentia" etc. (Ibid. 34, 156.)

malis et peccatis non est, optime confertur cum „pavimento vermiculato“ (Germanice Mosaikboden), cuius pulchritudinem solus is intelligere possit, qui non tantum unum alterumve lapillum, sed totum pavimentum tessellatum oculo atque mente complecti valeat: „Si quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius tessellae modulum acies eius valeret ambire, vituperaret artificem velut ordinationis et compositionis ignarum; eo quod varietatem lapillorum perturbatam putaret, a quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia simul cerni collustrarique non possent. Nihil enim aliud minus eruditis hominibus accidit, qui universam rerum coaptationem atque concentum imbecilla mente complecti et considerare non valentes, si quid eos offenderit, quia suae cogitationi magnum est, magnam putant rebus inhaerere foeditatem.“ [1]

Duo alia denique exempla S. Augustinus desumpsit e vita quotidiana et consuetudine hominum. Atque unum quidem est de illis magnis triumphis, quibus Romanorum more imperatores hostes victos per vias publicas ducere consueverunt. „Nulli autem victo“, inquit De ver. relig. c. 22, „ludi agonistici placent, sed tamen cum eius dedecore decori sunt. . . . Ita universitatis huius condicio atque administratio solis impiis animis damnatisque non placet, sed etiam cum miseria earum multis vel in terris victricibus vel in caelo sine periculo spectantibus placet; nihil enim iustum displicet iusto.“ [2] Alterum vero exemplum paulo crassius capit de aliquo domus servo, qui mundandae cloacae dignus habitus turpitudine sua ipsam domum ornet. Ait quippe lib. 3 De lib. arbit. c. 9: „Quid enim tam magnum in domo est quam homo? et quid tam abiectum et infimum quam cloaca domus? Servus tamen in tali peccato detectus, ut mundandae cloacae dignus habeatur, ornat eam etiam turpitudine sua; et utrumque horum, id est, turpitudo servi et mundatio cloacae, iam coniunctum et redactum in quandam sui generis unitatem[3], ita dispositae domui coaptatur atque subtexitur, ut eius universitati ordinatissimo decore conveniat. Qui tamen servus si peccare noluisset, non defuisset domesticae disciplinae alia provisio, qua necessaria mundarentur. Quid itaque tam infimum in rebus quam corpus omne terrenum? Hanc tamen corruptibilem carnem etiam peccatrix anima sic ornat, ut ei speciem decentissimam praebeat motumque vitalem. Habitationi ergo caelesti talis anima non congruit per peccatum, terrestri autem congruit per supplicium: ut quodlibet elegerit, semper sit pulchra universitas decentissimis partibus ordinata, cuius est conditor et administrator Deus.“ [4] Proinde pluribus interiectis lib. 3, c. 15: „Si non reddit (homo) faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 979. [2] Ibid. 34, 140.

[3] Recole, quod S. Augustinus supra (Lib. I, Parte I, c. 3, § 5 A) definivit „Omnis pulchritudinis forma unitas est.“ [4] *Migne*, Patr. lat. 32, 1284.

alio tempore non faciat quod debet, et alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictae." [1]

III. Immo tantum abest, ut pulchritudo universi per mala et peccata foedetur, ut ei novae pulchritudines accrescant; quoniam si peccatum non esset, misericordia Dei non haberet, unde manifestaretur. Quare S. Augustinus De ver. relig. c. 28 recte docet: „Ita de peccato nostro, quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, et genus humanum factum est magnum decus ornamentumque terrarum, et tam decenter divinae providentiae procuratione administratur, ut ars ineffabilis medicinae ipsam vitiorum foeditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat." [2] Cuius rei memor Ecclesia die dom. X. p. Pentec. sic orat: „Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas: multiplica super nos misericordiam tuam; ut ad tua promissa currentes, caelestium bonorum facias esse consortes." [3] Cereum autem paschalem consecrans canit: „O certe necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!" [4] *„Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?"* (Rom. 6, 1) aut adiciemus delictum ad delictum, ut decor universitatis rerum atque pulchritudo augeatur? *„Absit."* Nam quid prodesset homini, si ex peccatis suis poenisque novae quidem pulchritudines orirentur, ipse autem et suam pulchritudinem perderet, et insuper illam amitteret divinam, cuius solo aspectu atque usu beatus reddi potest? Unde S. Augustinus De ver. relig. c. 41 verissime ait: „Quid ergo mirum est, si hominis animam, quae ubicunque sit et qualiscunque sit omni corpore est melior, dicam pulchre ordinari et de poenis eius alias pulchritudines fieri; cum ibi non sit quando misera est, ubi beatos esse decet, sed ibi sit, ubi esse miseros decet?" Et axiomatis instar addit: „Nulla itaque foeditate universa creatura maculari permittitur." [5] „Neque de peccatis poenisque . . . animae efficitur", inquit (ibid. c. 23), „ut universitas ulla deformitate turpetur; quia rationalis substantia, quae ab omni peccato munda est, Deo subiecta, subiectis sibi ceteris dominatur; ea vero, quae peccavit, ibi ordinata est, ubi esse tales decet, ut Deo conditore atque rectore universitatis decora sint omnia. Et est pulchritudo universae creaturae per haec tria inculpabilis: damnationem peccatorum, exercitationem iustorum, perfectionem beatorum." [6]

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 1293. [2] Ibid. 34, 145.

[3] Cf. „Missale Romanum ex decreto sacrosancti concilii Tridentini restitutum, S. Pii V. Pontificis maximi iussu editum, Clementis VIII., Urbani VIII. et Leonis XIII. auctoritate recognitum."

[4] Ex hymno „Exsultet iam angelica turba caelorum." Cf. Missale Romanum.

[5] *Migne*, Patr. lat. 34, 157. [6] Ibid. 34, 141.

Vae tamen illis, qui Deum, ipsam pulchritudinem ineffabilem omnisque pulchri causam efficientem, exemplarem, finalem, turpiter derelinquunt et in umbratilibus vestigiis eius mentem omnem incurvati figunt. Eos enim S. Augustinus lib. 2 De lib. arbit. c. 16 ita increpat: „Vae qui derelinquunt Te ducem, et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, et obliviscuntur quid innuas, o suavissima lux purgatae mentis sapientia! Non enim cessas innuere nobis, quae et quanta sis; et nutus tui sunt omne creaturarum decus. Et artifex enim quodammodo innuit spectatori operis sui de ipsa operis pulchritudine, ne ibi totus haereat, sed speciem corporis fabricati sic percurrat oculis, ut in eum qui fabricaverit recurrat affectu. Similes autem sunt hominibus, qui ea quae facis pro te amant, qui cum audiunt aliquem facundum sapientem, dum nimis suavitatem vocis eius et structuras syllabarum apte locatarum avide audiunt, amittunt sententiarum principatum, cuius illa verba tamquam signa sonuerunt. Vae qui se avertunt a lumine tuo, et obscuritati suae dulciter inhaerent! Tamquam enim dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra sua defiguntur, et tamen etiam ibi quod eos delectat, adhuc habent de circumfulgentia lucis tuae." [1]

[1] *Migne*, Patr. lat. 32, 1264.

Liber tertius.

De pulchritudine divina, quatenus Filio Dei appropriatur.

„Infinitas in aeterno, species in imagine, usus in munere."

S. Hilarius, De Trinit. lib. 2, n. 1.

„Species proprie Filio tribuitur."

S. Augustinus, Epist. (11) ad Nebrid.

Deus considerari potest et in unitate essentiae sive naturae et in trinitate ὑποστάσεων sive personarum. Trinitas enim distinctionem importat trium personarum, scil. Patris et Filii et Spiritus sancti. Iam vero quae de pulchritudine divina hucusque explicavimus, ea per se ad Deum pertinent unum. Restat igitur, ut subtilius inquiramus, an pulchritudo etiam Deo conveniat trino secundum personas, i. e. Trinitati divinae. Qua quaestione expedita, haec sponte orietur altera: cuinam Trinitatis personae pulchritudo divina approprietur. Atque illa quidem de pulchritudine Trinitatis quaestio quasi praeambula est nec pluribus exponenda, haec autem de divinae pulchritudinis appropriatione cum maioris sit momenti, uberiore explicatione indiget.

CAPUT I. PRAEAMBULUM.

De pulchritudine Trinitatis divinae.

§ 1.

Generalia de pulchritudine Trinitatis argumenta rationis et Patrum Ecclesiae.

I. Primum argumentum theologicum, quo pulchritudinem Trinitati divinae convenire demonstramus, ex ipsa pulchritudinis definitione derivatur. Pulchritudo autem, ut supra (Lib. 1, Parte I, c. 3, § 5) definivimus, est multitudinis debitae debita unitas, quae visa placet: vel brevius secundum S. Augustinum: „Pulchritudinis forma unitas est." Atqui Trinitati divinae competit et multitudo debita et debita unitas: illa quidem, quia tres sunt in Deo personae realiter distinctae: haec vero, quia personae divinae in summa unitate eiusdem naturae maximo concordant. Quapropter S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Pace II, n. 14 haec dicit: „Trinitati nihil aeque proprium est ac na-

turae unitas et in seipsa concordia.“ [1] Nec minus bene S. Bernardus lib. 5 De consid. c. 8: „Inter omnia“, inquit, „quae unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres personae una substantia sunt.“ [2] Trinitas ergo divina, quoniam definitio pulchritudinis perfectissime in eam quadrat, pulcherrima sit necesse est.

Praeterea pulchritudo, ut itidem supra (ibid. § 3) demonstravimus, in harmonia consistit, vel consonantia, vel congruentia, vel symmetria, vel ordine debito, vel quomodocunque rem eandem vocare volueris. Iam vero in Trinitate summa est trium divinarum personarum harmonia, summa consonantia, summa congruentia, summa symmetria, ordo summus. Quare S. Hilarius De synod. n. 19 ait: „Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt quidem per substantiam (i. e. hypostasin) tria, per consonantiam vero unum.“ [3] Neque enim fieri posse docet S. Gregorius Nazianzenus Orat. theol. V., ut in ipsa Trinitate divina, quae omnia in ordinem et concinnitatem adduxerit, confusio seu perturbatio exsistat: „Patris enim“, inquit, „et Filii [et Spiritus sancti] proprietates incolumes atque integras ipsis manere conveniebat, ne alioqui apud divinitatem, quae alia quoque in ordinem et concinnitatem adduxit, confusio exsisteret.“ Ergo etiam sub hoc respectu Trinitas divina summae pulchritudinis esse censenda est.

II. Ecclesiae Patres pulchritudinem indubiis atque expressis verbis tribuunt et Trinitati et unicuique Trinitatis personae. Quod ad singulas personas attinet, S. Gregorius Nyssenus De orat. Dom. Orat. II de pulchritudine **Patris** ita loquitur: „Ad paternam pulchritudinem omni tempore spectandum esse, et iuxta illam suum unumquemque animum exornare debere. . . . Ab invidia atque ab omni vitii nota purum et integrum numen divinum est. Ne te quidem designent eiusmodi vitia: non invidia, non superbia, non aliud quidquam eorum, quae divinam pulchritudinem polluunt ac foedant.“ [4] Sed quid amplius? iam S. Paulus Rom. 6, 4, ubi Christum a mortuis resurrexisse testatur, Patris decorem vel potius gloriam commemorat: *„Christus“*, inquit, *„surrexit a mortuis per gloriam Patris.“*

De pulchritudine vero **Filii**, qui mentem ad paternam gloriam decoremque adducat, S. Cyrillus Alexandrinus Thesaur. assert. 32 haec egregia habet: *„Manifestavi nomen tuum hominibus* (Io. 17, 6). . . . Quale igitur nomen est, quod se manifestasse dicit? Nonne manifesto nomen Patris? Postquam enim crediderunt in Filium, aperte confessi sunt esse Patrem, cognoveruntque quis et qualis esset Pater, a naturali

[1] ***Migne***, Patr. gr. 35, 1147: Τριάδος οὐδὲν οὕτως ἴδιον ὡς τὸ ἐν τῇ φύσει, καὶ ἑαυτὴν εἰρηναῖον.

[2] ***Migne***, Patr. lat. 182, 799. [3] Ibid. 10, 508.

[4] ***Migne***, Patr. gr. 44, 1147: Πρὸς τὸ πατρικὸν κάλλος διαπαντὸς βλέπειν, καὶ κατ' ἐκεῖνο τὴν ἰδίαν καλλωπίζειν ψυχήν. . . . Φθόνου καθαρὸν τὸ Θεῖον, καὶ πάσης ἐμπαθοῦς κηλῖδος. Μηδέ σε καταστιζέτω τὰ τοιαῦτα πάθη, μὴ φθόνος, μὴ τῦφος, μὴ ἄλλο τι τῶν μολυνόντων τὸ θεοειδὲς κάλλος.

pulchritudine Filii ad pulchritudinem Patris manuducti, atque ex perfecta absolutaque imagine exemplar ipsum (sive archetypum) cernentes."[1] Quo in loco admirandus est subtilis dicendi modus Cyrilli, qui, ut pulchritudinem Filii a Patris pulchritudine distingueret, hanc vocavit κάλλος, illam vero optime ὡραιότητα, quod vocabulum Graeci ad florem ac vigorem iuventutis (i. e. filiorum) significandum adhibere solent. (Cf. supra Lib. I, Parte I, c. 1, § 1.)

De „suprema et supermundana" denique pulchritudine **Spiritus sancti** idem Cyrillus Alexandrinus De ss. Trinit. dialog. VII. haec ait: „Perinde non erit, aliquid in sanctos facere, et in Spiritum sanctum; sed si de homine verba fiant, iure ad Deum eius auctorem referemus; allato autem in medium sancto Spiritu, quodcunque factum fuerit, in ipsam divinam et ineffabilem naturam erit, non per mediatorem ad aliquid sublimius tendens, sed proxime et immediate ad ipsam supremam et supermundanam pulchritudinem prosiliens."[2] In idem consentit etiam Ecclesia, cum in festo Pentecostes de Spiritu sancto canat:

„De Patris ergo lumine
Decorus ignis almus est."[3]

Quoniam igitur Pater et Filius et Spiritus sanctus, id est unaquaeque Trinitatis persona pulchra perhibetur, perspicuum est totam quoque Trinitatem divinam, quippe quae sine tribus personis ne concipi quidem possit, pulchram ac speciosam esse. „Quod enim de Patris gloria . . . credimus, hoc de Filio eius, hoc de Spiritu sancto, sine differentia discretionis sentimus."[4] Merito ergo S. Gregorius Nazianzenus in ea, quae „Supremum vale" inscribitur, oratione celeberrima perorans exclamavit: „Vale Trinitas, meditatio mea et decus meum!"[5]

[1] *Migne*, Patr. gr. 75, 559: „Ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις." . . . Ποῖον οὖν ὄνομα πεφανερῶσθαί φησιν; Ἢ δῆλον ὅτι τοῦ Πατρός; Ἐπειδὴ γὰρ πεπιστεύκασιν ὡς Υἱόν, συνωμολόγησαν δηλονότι τὸ εἶναι Πατέρα, καὶ ἔγνωσαν τίς ἐστιν καὶ ὁποῖος ὁ Πατήρ, ἀπὸ τῆς κατὰ φύσιν ὡραιότητος τοῦ Υἱοῦ πρὸς τὸ τοῦ γεννήσαντος κάλλος χειραγωγούμενοι, καὶ ἀπὸ τῆς ἀκριβοῦς εἰκόνος τὸ ἀρχέτυπον βλέποντες.

[2] Ibid. 75, 1088: Ἰσοστατήσειε γὰρ ἂν οὔτι που, τὸ εἰς ἁγίους τι δρᾶν, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ἀλλ' εἰ μέν τις γένοιτο περὶ ἀνθρώπου λόγος, εἰκότως ἂν οἴσομεν εἰς Θεὸν τὸν προεστηκότα τὴν ἀναφοράν· ἥκοντος δὲ εἰς μέσον ἡμῖν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, εἰς αὐτὴν ἅπαν ἔσται τὸ δρώμενον, τὴν θείαν τε καὶ ἀπόῤῥητον φύσιν, οὐ διὰ μεσίτου τρέχον εἴς τι τῶν ὑπερκειμένων ἀναθρῶσκον δὲ μᾶλλον προσεχῶς καὶ ἀμεσιτεύτως, εἰς αὐτὸ τὸ ἀνωτάτω καὶ ὑπερκόσμιον κάλλος.

[3] Breviarium Roman. Dom. Pentecost. ad matut. hymn.: „Iam Christus astra ascenderat."

[4] Cf. in Missali Romano praefationem de ss. Trinitate.

[5] *Migne*, Patr. gr. 36, 491: Χαῖρέ μοι, ὦ Τριάς, τὸ ἐμὸν μελέτημα καὶ καλλώπισμα.

§ 2.

Specialia de pulchritudine Trinitatis argumenta ex S. Augustino et S. Paulo apostolo.

Ad argumenta generalia accedunt specialia et subtiliora quaedam argumenta, quibus S. Paulus apostolus et praesertim S. Augustinus non solum demonstrant Trinitatem divinam summe pulchram esse, verum etiam satis indicant, cuinam Trinitatis personae pulchritudo maxime tribuenda sit.

I. Atque S. Augustini quidem argumentum praecipue nititur Sap. 11, 21: „*Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.*“ Pulchra enim omnia, quae creata sunt, ideo pulchra esse censet et „pulchra valde“ [1], quod *in mensura et numero et pondere* constituta sint. Porro quidquid est in effectu, aliquo modo in causa sit oportere. Sed quo modo ac qua ratione haec tria, scil. mensura et numerus et pondus, in ipso Deo esse possint? Hanc igitur quaestionem subtilissimam etiam atque etiam animo suo volvens, S. Augustinus lib. 4 De Genes. ad litt. c. 3 haec tandem reperit: „*Omnia*“, inquit, „*in mensura et numero et pondere disposuisti.* Atque ita cogitet anima . . . utrum haec tria, mensura, numerus, pondus, in quibus Deus disposuisse omnia scriptum est, erant alicubi antequam crearetur universa creatura, an etiam ipsa creata sunt; et si erant antea, ubi erant. Neque enim ante creaturam erat aliquid nisi creator. In ipso ergo erant. Sed quomodo? Nam et ista, quae creata sunt, in ipso esse legimus (Rom. 11, 36): an illa sicut ipse, ista vero sicut in illo, a quo reguntur et gubernantur? Et quomodo illa ipse? Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut ista omnia. An secundum id, quod novimus mensuram in eis quae metimur, et numerum in eis quae numeramus, et pondus in eis quae appendimus, non est Deus ita; secundum id vero, quod mensura omni rei modum praefigit, et numerus omni rei speciem praebet, et pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus et veraciter et singulariter ista est. qui terminat omnia et format omnia et ordinat omnia.“ [2] Et apertius lib. 1 De Genes. contra Manich. c. 16: „Video“, inquit, „omnia in suo genere pulchra esse, quamvis propter peccata nostra multa nobis videantur adversa. Non enim animalis alicuius corpus et membra considero. ubi non mensuras et numeros et ordinem [3] inveniam ad unitatem [4] concordiae pertinere. Quae omnia unde veniant non intelligo, nisi a summa mensura et numero et ordine, quae

[1] Cf. Gen. 1, 31 secundum LXX.

[2] *Migne*, Patr. lat. 34, 298.

[3] S. Augustinus *ordinem* ibi substituit pro *pondere*, utpote quod „omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahat“.

[4] S. Augustinus siquidem, ut saepius diximus, pulchritudinem ad unitatem revocat: „Omnis pulchritudinis forma unitas.“

in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque aeterna consistunt. . . . In omnibus tamen cum mensuras et numeros et ordinem vides artificem quaere. Nec alium invenies, nisi ubi summa mensura et summus numerus et summus ordo est, id est Deum, de quo verissime dictum est, quod *omnia in mensura et numero et pondere* disposuerit." [1] Quoniam ergo haec tria, scil. mensura, numerus et ordo, in Deo trino inveniuntur summo quodam et ineffabili modo, colligere etiam oportet ipsam Trinitatem divinam summe et ineffabiliter pulchram esse.

II. Quam sublimem sententiam S. Augustinus eo tandem deduxit, ut summum principium atque mensuram Patri tribueret, summum numerum atque speciem Filio, summum ordinem atque bonitatem Spiritui sancto. Dicit enim lib. 6 De mus. c. 17: „Id agi per providentiam Dei, per quam cuncta creavit et regit, ut etiam peccatrix et aerumnosa anima numeris agatur, et numeros agat usque ad infimam carnis corruptionem. Qui certe numeri minus minusque pulchri esse possunt, penitus vero carere pulchritudine non possunt. Deus autem summe bonus et summe iustus nulli invidet pulchritudini, quae sive damnatione animae, sive regressione, sive permansione fabricatur. Numerus autem et ab uno incipit, et aequalitate ac similitudine pulcher est, et ordine copulatur. Quam ob rem quisquis fatetur nullam esse naturam, quae non, ut sit quidquid est, appetat unitatem suique similis in quantum potest esse conetur, atque ordinem proprium vel locis vel temporibus, vel in corpore quodam libramento salutem suam teneat: debet fateri ab uno **principio** per aequalem illi ac similem **speciem** divitiis **bonitatis** eius, qua inter se unum et de uno unum carissima, ut ita dicam, caritate iunguntur, omnia facta esse atque condita quaecunque sunt, in quantumcunque sunt." [2] Atque hic est insignis de divina Trinitate locus, unde satis aperte sequitur, ut principium (sine principio) Patri conveniat, species Filio, qui „aequalitate ac similitudine pulcher" est, divitiae bonitatis denique Spiritui sancto. Quam sententiam iterum attingens idem Augustinus De nat. boni contra Manich. c. 3 scribit: „Deus itaque supra omnem creaturae modum est, supra omnem speciem, supra omnem ordinem: nec spatiis locorum supra est, sed ineffabili et singulari potentia, a quo omnis modus, omnis species, omnis ordo." [3] Quibus ex locis subtilioribus S. Augustini colligere iam licet speciem ac pulchritudinem Filio Dei appropriari.

III. Eandem conclusionem derivare possumus ex epist. S. Pauli ad Rom. 12, 2, ubi sic admonemur: *„Probetis, quae sit voluntas Dei*

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 185. [2] Ibid. 32, 1191.

[3] Ibid. 42, 553. Confer etiam lib. 5 De civ. Dei c. 11, ubi S. Augustinus de Deo loquitur providente, „a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo: a quo est mensura, numerus, pondus" etc. (Ibid. 41, 153.) Similia vide De nat. boni contra Manich. c. 4, 5 et 6.

bona et beneplacens et perfecta" (τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον). Una igitur est voluntas Dei, tria autem sunt eius attributa, ut sit bona, beneplacens, perfecta. Neque confuse ac promiscue accipiendum esse videtur, quod distincte ait Apostolus: „*voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.*" Dicit enim *perfecta* propter Patrem, de quo Filius incarnatus apud Matth. 5, 48 ait: „*Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus* (τέλειος) *est.*"[1] Deinde dicit *beneplacens* propter Filium, de quo Pater apud Matth. 17, 5 testatur: „*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*" Denique dicit *bona* propter Spiritum sanctum; qui tamquam „*donum*" (Act. 2, 38) et „*pignus*" (2 Cor. 1, 22) nobis datus est, quemadmodum S. Paulus Rom. 5, 5 scribit: „*Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*" Itaque ex Apostoli verbis: „*voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta*", hanc deducere licet sententiam, quae Patri tribuat perfectionem, Filio pulchritudinem (quae visa placet), Spiritui sancto bonitatem. Et quod ad pulchritudinem Filii attinet, iam S. Ambrosius Enarr. in Ps. 43, n. 13 simili argumento usus est, dicens: „*Filius meus tu es, in te complacui* (Marc. 1, 11). . . . Recte enim Deus in Filio complacet, quia aequalis est Patri nec in ullo decolor invenitur, quia complacet divinae iure naturae et unitate substantiae."[2] Quibus in verbis merito admiramur, quod iam ante S. Augustinum S. Ambrosius pulchritudinem essentialiter ad unitatem, licet obscurius, revocet. Neque enim Filius „in ullo decolor invenitur", propterea quod Patri „complacet unitate substantiae".

Atque haec quidem sunt quasi praeambula, quae de pulchritudine Trinitatis divinae necnon Filii Dei praemittenda esse putavimus. Nunc ad illa transeamus argumenta graviora, quae pulchritudinem Filio Dei vere appropriari cum certitudine probant. Imprimis igitur ea explicabimus, quae Scripturae Veteris Testamenti de pulchritudine Christi typico atque prophetico modo praenuntiaverunt; deinde ea, quae de eadem Christi pulchritudine Scripturae Novi Testamenti docent. Doctrinam autem Patrum Ecclesiae, qui sacras Scripturas utriusque Testamenti optime interpretati sunt, suo quoque loco inseremus.

---

[1] Haec Evangelii verba Concilium Lateran. IV. (in capite *Damnamus*) ita interpretatur: „Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester caelestis perfectus est perfectione naturae." Cf. Enchiridion symbolorum et definitionum ed. *Henricus Denzinger*. Editio 7 cura *J. Stahl* (Wirzeburgi 1895) p. 122.

[2] *Migne*, Patr. lat. 14, 1086.

CAPUT II.

Argumenta Veteris Testamenti, quibus pulchritudinem Christo, Filio Dei, appropriari probatur.

Appropriatio probe distinguenda est a proprietate. Quidquid enim unicuique Trinitatis personae ita exclusive proprium est, ut per id a duabus aliis distinguatur, dicitur eius **proprietas**. Tres igitur in Deo sunt proprietates: paternitas, filiatio, spiratio (passiva). Quidquid e contra de unaquaque Trinitatis persona non exclusive quidem, tamen prae aliis duabus ita praedicatur, ut commune trahatur ad proprium, dicitur appropriatum. Rationem autem huius doctrinae reddit S. Thomas Aquinas (S. th. 1, qu. 39, a. 8 c.): „Ad manifestationem fidei", inquit, „conveniens fuit essentialia attributa personis appropriari." Et paucis interiectis: „Sicut similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa utimur ad manifestationem divinarum personarum, ita et essentialibus attributis. Et haec manifestatio personarum per essentialia attributa appropriatio nominatur."

Quibus breviter praemissis, hunc syllogismum proponimus: Attributum quodvis essentiale illi merito appropriatur Trinitatis personae, ad quam saltem plerique de tali attributo loci Scripturae sacrae pertinent. Atqui omnibus de **pulchritudine divina** locis Scripturae sacrae rite inspectis, intelligimus longe plerosque ad Filium Dei pertinere. Ergo Filio Dei divinà pulchritudo merito est approprianda. Propositio minor demonstratione indiget. Et profecto, quod ad Vetus Testamentum attinet, pulchritudo Christi, Filii Dei, praenuntiata est

1° typis atque figuris,

2° dictis propheticis.

Articulus I.

De typis atque figuris, quibus pulchritudo Christi, Filii Dei, praemonstrata est.

S. Cyrillus Alexandrinus pulchritudinem Veteris Legis generatim typum esse docet atque umbram pulchritudinis Iesu Christi eiusque Evangelii. „Lex namque", inquit (De ador. in spir. et verit. lib. 1), „figura et umbra est, et forma pietatis tamquam adhuc parturiens, et latentem in se **pulchritudinem veritatis** continens."[1] Et rursus Glaphyr. in Exod. lib. 3: „Lex igitur est praeparatrix, et **beneficiorum Christi pulchritudinem** nobis **praemonstrat** tamquam **in rudibus adhuc typis**."[2] At vero rudes hos typos tripli-

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 68, 138: Τύπος γὰρ ὁ νόμος καὶ σκιά, καὶ τῆς εὐσεβείας ἡ μόρφωσις ὡς ἐν ὠδῖσιν ἔτι, καὶ κεκρυμμένον ἐν ἑαυτῇ τὸ τῆς ἀληθείας ἔχουσα κάλλος.

[2] Ibid. 69, 503: Οὐκοῦν προευτρεπιστὴς ὁ νόμος, καὶ τῶν διὰ Χριστοῦ χαρισμάτων προαναφαίνει τὸ κάλλος, ὡς ἐν παχέσιν ἔτι τοῖς τύποις.

citer distinguimus: Primum personae quaedam sunt in Vetere Testamento typicae, quarum pulchritudine pulchritudo Christi adumbratur. Deinde Christus in eodem Testamento „flos“ praedicatur, qui tropus pulchritudinem illius haud obscure significat. Denique Christus ibidem praefiguratur tamquam „sponsus“, qui sine formositate non est. „Agedum igitur“, inquam cum eodem Cyrillo Glaphyr. in Levit., „quoad licet, singula subtiliter exsequentes, et litterae pinguedinem explicantes, pulchritudinem quoque eius, quae in ipsa inclusa est, contemplationis aperire studeamus.“ [1]

§ 1.

De pulchritudine Christi, quatenus personis typicis praefiguratur.

Personae Veteris Testamenti typicae, quae praeter alia etiam speciosam formam Filii Dei adumbravisse videntur, sunt hae: Ioseph, Moyses, Nephthali, David, Aaron pulchris vestibus indutus.

Atque ille quidem **Ioseph**, qui a fratribus suis in Aegyptum venumdatus est, formositate sua casta multo castiorem pulchritudinem Christi certe praefiguravit. Legimus enim Gen. 39, 6: *„Erat autem Ioseph pulchra facie et decorus aspectu.“* [2] Quem decorem benedictio morientis Iacob patriarchae expresse commemorat Gen. 49, 22: *„Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu.“* [3] Iterum Moyses tribui Ioseph benedicens ait Deut. 33, 17: *„Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.“* [4] Atqui Ioseph Aegyptiacus ab omnibus typus Christi habetur. Ergo etiam quoad pulchritudinem suam typus pulchritudinis Christi dicendus est. Cui sententiae profecto suffragantur Ecclesiae Patres, praecipue S. Ambrosius, qui Enarr. in Ps. 43, n. 17 scribit: „Unde pulchre ait Scriptura: *Tauri decus eius*. Sicut enim taurus ducit armentum, ita Christus plebem gentium duxit ad Ecclesiam, induxit ad pascua, ut posset dicere: *In loco pascuae ibi me collocavit; super aquam refectionis constituit me* (Ps. 22, 2). Huius tauri decorem pro captu nostrae fragilitatis armenta secuta sunt praecedentem, ut vitam adipiscerentur aeternam.“ [5] Nos vero fortasse melius illis verbis *„Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius“* nihil aliud praesignificatum esse arbitramur nisi primogenitam fortitudinem et pulchritudinem Iesu Christi, *„quasi unigeniti a Patre“* (Io. 1, 14), quem Filium vox prophetica Ps. 44, 4—5 orat atque

[1] *Migne*, Patr. gr. 69, 566: Καὶ φέρε δὴ πάλιν ὡς ἔνι λεπτῶς διεξιόντες ἕκαστα, καὶ τὴν ἐν τῷ γράμματι παχύτητα διαπτύσσοντες, τῆς ἐγκεχωσμένης αὐτῷ θεωρίας τὸ κάλλος ἀπογυμνοῦν σπουδάσωμεν.

[2] LXX: καλὸς τῷ εἴδει καὶ ὡραῖος τῇ ὄψει σφόδρα. Hebr.: יְפֵה־תֹאַר וִיפֵה מַרְאֶה

[3] LXX verterunt: Υἱὸς ηὐξημένος Ἰωσήφ, υἱὸς ηὐξημένος ζηλωτός, υἱός μου νεώτατος. **Masoretae** habent: בֵּן פֹּרָת יוֹסֵף בֵּן פֹּרָת עֲלֵי־עָיִן, id est: „Filius fructuosus Ioseph, filius fructuosus super fontem.“

[4] LXX: Πρωτότοκος ταύρου τὸ κάλλος αὐτοῦ. Hebr. בְּכוֹר שׁוֹרוֹ הָדָר לוֹ

[5] *Migne*, Patr. lat. 14, 1098.

adhortatur: *„Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua“*; nam sacra Scriptura, ut supra (Lib. I, Parte I, c. 1, § 2) notavimus, pulchritudinem cum fortitudine fere coniungere solet.

Deinde **Moyses,** quem ex eadem Scriptura „elegantem“ fuisse novimus, pulchritudinem Christi typice praemonstrat; siquidem de matre eius Exod. 2, 2 narratur: *„Quae concepit, et peperit filium; et ridens eum elegantem* (ἀστεῖον)[1], *abscondit tribus mensibus.“* Quod iterum S. Paulus commemorat, Hebr. 11, 23 scribens: *„Moyses“*, inquit, *„occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem* (ἀστεῖον) *infantem.“* Iam vero pulchritudinem Christi elegantia Moysis adumbratam esse testatur S. Cyrillus Alexandrinus Glaph. in Exod. lib. 1: „Erat autem puer elegans. Etenim *speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44, 3) et vocatus est et est Christus. Compellat autem eum et alibi rursum beatus David: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua.* Nemo vero dubitaverit, quin pulchritudo intelligatur de ea, quae est in gloria et natura deitatis omnia superantis.“[2]

Accedit quod etiam **Nephthali** pulchritudinem Christi umbratili modo praemonstravit, cum Iacob patriarcha Gen. 49, 21 hunc filium suum ita sit allocutus: *„Nephthali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis“*; secundum LXX: Νεφθαλεί, στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος, id est: „Nephthali, truncus remissus, dans in germine pulchritudinem.“[3] Ac si vulgatam quidem versionem sequimur, Nephthali, qui poeticae artis peritissimus fuit, Christum praemonstrat ut dantem eloquia Evangelii pulcherrima. Sin autem Alexandrinam respicimus, idem Nephthali *dans in germine pulchritudinem* Christum praesignificat de se testantem: *„Ego sum vitis vera“*, et paulo post: *„Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum“* (Io. 15, 1 et 5); ita ut sensus hic occurrat: Christus vitis vera quasi palmites frugiferos et pulchros producit, hoc est, fideles pulchritudine ac pinguedine gratiae exornat, *dans in germine pulchritudinem.* Et certe S. Ambrosius De bened. patriarch. c. 10 illud vaticinium simili modo interpretatus est: *„Nephthalim“*, inquit, *„vitis remissa, porrigens in germine decorem.* Sarmentum vitis alind amputatur, quod videtur inutile, ne

---

[1] Hebr. וַתֵּרֶא אֹתוֹ כִּי־טוֹב הוּא

[2] *Migne*, Patr. gr. 69, 395: Ἀλλ' ἦν ἀστεῖον, φησί, τὸ παιδίον. Καὶ γὰρ „ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων“ ὠνόμασταί τε καὶ ἔστι Χριστός. Ἐπιφωνεῖ δὲ αὐτῷ καὶ ἑτέρωθί που πάλιν ὁ θεσπέσιος Δαβίδ· „Περίζωσαι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, δυνατέ, τῇ ὡραιότητί σου καὶ τῷ κάλλει σου.“ Νοητέον δὲ ὅτι τὸ κάλλος τὸ ὡς ἐν δόξῃ τε, φημί, καὶ φύσει τῆς ὑπὲρ πάντα θεότητος οὐκ ἂν ἐνδοιάσειέ τις.

[3] Versio vulgata cum Masoretico textu congruit, qui ita sonat: הַנֹּתֵן אִמְרֵי־שָׁפֶר: LXX vero duas voces legerunt aliter punctatas. Cf. Commentarium in Genesim auctore *Fr. de Hummelauer* S. J. (Parisiis 1895) p. 600.

cassa vitis sarmentorum exsultatione luxuriet: et aliud paulisper recidetur ac remittetur, ut fructum afferat, cuius decus in generatione porrigitur. . . Est et ille [Nephthali] decus in generatione, quia plenis palmitibus multos fructus exundet. Decorum hoc, sed multo illud pulchrius, quod haerentem palmitom viti significat spirituali [scil. Christo], cuius nos sarmentum sumus, et fructum afferre possumus, si maneamus in vite.“ [1] Paulo clarius eodem de vaticinio loquitur S. Cyrillus Alexandrinus Glaph. in Gen. lib. 7: „*Nephthalim, truncus remissus, dans germini pulchritudinem.* Truncus igitur est Nephthalim, aut ipse **Christus**, aut qui Christo noti sunt. . . . Cum ergo in nobis cognitio ipsius [Christi] ad perfectionem perducta fuerit, tunc demum ***speciosus forma prae filiis hominum*** (Ps. 44, 3) apparebit et vere cognoscetur. At vero si de nobis haec verba intelligantur, *dans germini pulchritudinem*, non obscura fuerit ratio. Cum enim semper proficiamus in virtute atque ad meliora contendamus ad ulteriora nos extendentes, iuxta beati Pauli vocem (Philipp. 3, 13), tum profecto semper ad pulchritudinem progredimur, pulchritudinem inquam spiritualem, ita ut et nobis dici possit: ***Concupivit rex decorem tuum*** (Ps. 44, 12).“ [2] — Ceterum illa praesagia Iacob patriarchae satis obscura sunt, praesertim cum variae lectiones, ut apparet, et verbis et rebus plus minus inter se discrepant.

Praeterea **David** rex fortitudine et pulchritudine sua certo praefiguravit Christum, utpote qui rex potentissimus et speciosissimus est secundum illud Ps. 44, 4—5: „*Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua.*“ Ac David quidem regem, qui Goliath istum Philistaeum fortiter devicit, specie atque forma praestantem fuisse legimus 1 Reg. 17, 42: „***Erat enim adolescens, rufus et pulcher aspectu.***“ [3] Item paulo ante 1 Reg. 16, 12: „***Erat autem rufus et pulcher aspectu decoraque facie.***“ [4] Iam vero idem David generatim indubius Christi typus ab omnibus habetur. Ergo etiam quoad fortitudinem et pulchritudinem suam dubitandus non est, quin Christum typice adumbraverit.

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 14, 687.

[2] *Migne*, Patr. gr. 69, 374: „Νεφθαλεὶμ στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς τῷ γεννήματι κάλλος.“ Στέλεχος δὴ οὖν ἀνειμένον Νεφθαλείμ, ἢ αὐτὸς ὁ Χριστός, ἢ οἱ Χριστοῦ γνώριμοι. . . . Οὐκοῦν προϊούσης εἰς τελειότητα τῆς περὶ αὐτοῦ γνώσεως ἐν ἡμῖν, ὡραῖος ὢν κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, τότε δή, τότε διαγινώσκεται. Εἰ δὲ δὴ καὶ ἐφ' ἡμῶν νοοῖτο τυχὸν τὸ „Ἐπιδιδοὺς τῷ γεννήματι κάλλος“, οὐκ ἀσυμφανὴς ὁ λόγος. Προκόπτοντες γὰρ ἀεὶ κατὰ ἀρετήν, καὶ τῶν ἀμεινόνων ἐφικνούμενοι, ἤτοι τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενοι, κατὰ τὴν τοῦ μακαρίου Παύλου φωνήν, εἰς κάλλος ἀεὶ τὸ περιφανὲστερον ἀναθρώσκομεν· κάλλος δέ φημι τὸ πνευματικόν, ἵνα καὶ ἡμῖν λέγηται λοιπόν· „Ἐπεθύμησεν ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου.“

[3] LXX: ὅτι αὐτὸς ἦν παιδάριον καὶ αὐτὸς πυῤῥάκης μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν. Hebr. 1 Sam. 17, 42: כִּי־הָיָה נַעַר וְאַדְמֹנִי עִם־יְפֵה מַרְאֶה

[4] LXX: Καὶ αὐτὸς πυῤῥάκης μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν καὶ ἀγαθὸς ὁράσει. Hebr. 1 Sam. 16, 12: וְהוּא אַדְמוֹנִי עִם־יְפֵה עֵינַיִם וְטוֹב רֹאִי

Aaron denique, summus sacerdos, quoties vestitu atque ornatu suo indutus exhibetur, typice designat spiritualem pulchritudinem Iesu Christi, pontificis confessionis nostrae (Hebr. 3, 1). Etenim ad sacerdotalem vestitum illius quod attinet, ipse Deus Moysi mandavit Exod. 28, 2: *„Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem"* (LXX: εἰς τιμὴν καὶ δόξαν; Hebr. לְכָבוֹד וּלְתִפְאָרֶת). Iesus autem, filius Sirach, Eccli. 45, 12—15 hunc ornatum ita describit: *„Stolam sanctam, auro et hyacintho et purpura opus textile viri sapientis, iudicio et veritate praediti: torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri et opere lapidarii sculptis in memoriam secundum numerum tribuum Israel. Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis et gloria honoris; opus virtutis, et desideria oculorum ornata. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem."*[1] Talibus igitur vestibus indutus Aaron sacerdos neminem praemonstravit, nisi ut figura quasi umbratilis fuerit, indicans veram speciem ac pulchritudinem Iesu Christi, qui est *„sacerdos in aeternum"* (Ps. 109, 4).

Atque hae quidem sunt Veteris Testamenti personae typicae (nimirum: Ioseph, Moyses, Nephthali, David, Aaron), quarum corporali atque externa venustate pulchritudo Christi, Filii Dei, adumbrata est spiritualis atque infinita[2].

§ 2.

De pulchritudine Christi, quatenus sub figura „floris" praemonstratus est.

Duobus Veteris Testamenti locis Iesus Christus sub figura „floris" praenuntiatus est et in flore pulchritudo eius atque decor. Alterum quidem locum invenis Cant. 2, 1, ubi secundum interpretationem patri-

---

[1] Ultima verba Graece sonant: ἐπιθυμήματα ὀφθαλμῶν κοσμούμενα ὡραῖα, πρὸ αὐτοῦ οὐ γέγονε τοιαῦτα ἕως αἰῶνος.

[2] Nolumus praetermittere, quod S. Cyrillus Alexandrinus De ador. in spir. et verit. lib. 9 pulchritudinem Christi adumbratam esse censet etiam illo **candelabro** ductili, quod in templo iugiter lucebat. Ait enim: „Aureum igitur candelabrum Christi figuram tenet; Filius enim natura ac vere Deus est. Auro autem similis esse putanda est illa divina claritas atque praestantia: tornatili autem, quia speciosissimus est, plus quam verbis explicari possit, ille Emmanuel, si pulchritudinem animo spectabilem cogites. Scriptum est enim: *Speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44, 3). Quod igitur candelabrum tornatile factum est, id vero illam pulchritudinis praestantiam, id est divinam illam nostri Emmanuelis dignitatem, aptissime significat" (*Migne*, Patr. gr. 68, 606). Quin etiam Explan. in Ps. 44, 2 Christum appellat pulchrum Patris **calamum,** quo nomine nihil aliud quam Verbum Patris exprimi videtur. Illum ergo versum: *„Lingua mea calamus* (עֵט) *scribae velociter scribentis"*, explanans ait: „Age vero, hic calamus, praeterquam quod celer est et velox, excellit etiam pulchritudine prae filiis hominum. Promulgavit quidem priscis hominibus divus Moyses legem per angelos ministratam; narrarunt iisdem etiam prophetae revelationes Dei; verum enimvero pulcher demum fuit prae filiis hominum Patris calamus" (*Migne*, Patr. gr. 69, 1031).

sticam sponsus, i. e. Christus, de se testatur: „*Ego*,“ inquit, „*flos campi*.“[1] Alterum vero habes apud Isaiam prophetam, qui (c. 11, 1) de Messia venturo vaticinatur: „*Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.*“ Cuius vaticinii partem primam Balaam anticipavisse videtur, Num. 24, 17 dicens: „*Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel.*“ Quid autem de utroque loco Patres Ecclesiae senserint, iam breviter explicabimus.

I. Cant. 2, 1: „*Ego flos campi*“ ad ipsum Christum referendum esse tenemus cum Patribus Ecclesiae fere omnibus, licet plerique interpretes recentiores illud dictum non tam ad sponsum pertinere censeant quam ad sponsam[2]. Patres enim Ecclesiae Cant. 2, 1 propter Isai. 11, 1 communiter ad sponsum, i. e. Christum, retulerunt praeeunte Origene, qui Homil. duab. in Cant. interprete S. Hieronymo haec habet: „*Ego flos campi et lilium convallium*. . . Pro ligno vitae, quod plantatum est in paradiso Dei, totius campi, id est, totius mundi et universae terrae flos factus est. Quid enim sic potest esse flos mundi, ut vocabulum Christi? *Unguentum effusum nomen eius* (Cant. 1, 2).“[3] In idem consentit S. Ambrosius, cum Expos. in Luc. lib. 7, n. 128 doceat: „*Ego flos campi et lilium convallium*. Et bene lilium Christus; quia ubi martyrum sanguis, ibi Christus, qui est flos sublimis, immaculatus, innoxius, in quo non spinarum offendat asperitas, sed gratia circumfusa clarescat.“[4] His autem verbis non solum testatur illum florem designare Christum, sed ipsam quoque pulchritudinem eius commemorat, „in quo gratia (Germanice Anmut) circumfusa clarescat“. Neque minus clare S. Cyrillus Alexandrinus Comment. in Mich. proph. illud „*Ego flos campi*“, ad eundem refert: „Christus“, inquit, „pastor ille bonus, qui in hortis et liliis nos pascit, et evangelicorum oraculorum suaveolentiam apponit, et quae sua sunt tamquam flores maturos decerpere volentibus exhibet. Dixit enim: *Ego flos campi, lilium convallium*.“[5] Et iterum Glaph. in Genes. lib. 3: „Ita enim nobis seipsum in Cantico canticorum nominavit Christus, dicens: *Ego flos campi, lilium convallium*. Lilium enim erat et rosa ex terra orta propter humanitatem; ceterum nesciens peccatum, ac potius divinissimum omnibus, qui per universum orbem terrarum constituti erant, ex operibus odorem emittens.“[6] Denique lib. 5 in Isai. proph. tom. 5 ait: „*Sicut terra profert*

[1] Similiter LXX: Ἐγὼ ἄνθος τοῦ πεδίου. Masoretae vero habent: אֲנִי חֲבַצֶּלֶת הַשָּׁרוֹן, id. est: „Ego (lilium? narcissus? rosa? colchicum autumnale?) Saronis.“

[2] Ita etiam nuperrime *G. Gietmann* S. J., Commentar. in Eccl. et Cant. (Paris. 1890). p. 451.

[3] *Migne*, Patr. lat. 23, 1135. [4] Ibid. 15, 1732.

[5] *Migne*, Patr. gr. 71, 714: Ὁ Χριστὸς ὁ ποιμὴν ὁ καλός, ὁ ἐν κήποις ἡμᾶς καταβόσκων, καὶ κρίνοις, καὶ τὴν τῶν εὐαγγελικῶν θεσπισμάτων εὐοσμίαν παρατιθείς, καὶ οἷον ἄνθη προσάγων ὥριμα τὰ καθ' ἑαυτόν, τοῖς ἐθέλουσιν ἀποδρέπεσθαι. Ἔφασκε γάρ· „Ἐγὼ ἄνθος τοῦ πεδίου, κρίνον τῶν κοιλάδων.“

[6] Ibid. 69, 171: Οὕτω γὰρ ἡμῖν ἑαυτὸν ἐν τῷ Ἄσματι τῶν ᾀσμάτων ὠνόμαζεν ὁ Χριστός, λέγων μέν· „Ἐγὼ ἄνθος τοῦ πεδίου, κρίνον τῶν κοιλάδων.“ Κρίνον γὰρ ἦν

florem suum, et sicut hortus semina sua, sic germinare faciet Dominus iustitiam et exsultationem in conspectu omnium gentium (Isai. 61, 11). Videtur autem hic germinans vel exoriens semen ac florem coram gentibus dicere ipsum Dominum nostrum Iesum Christum. Dixit nimirum in Cantico canticorum: *Ego flos campi, lilium convallium.*“[1]

II. Locum vero Isai. 11, 1: „*Et flos de radice eius ascendet*“[2] ad Christum pertinere inter omnes interpretes plane constat, e quibus S. Ambrosius De bened. patriarch. c. 4 sic ait: „*Exiet virga de radice Iesse, et flos ex radice eius ascendet.* Radix familia Iudaeorum, virga Maria, flos Mariae Christus. Recte virga, quae regalis est generis, de domo et patria David, cuius flos Christus est, qui foetorem mundanae colluvionis abolevit et vitae aeternae odorem infudit.“[3] Praecipue autem S. Hieronymus Comment. in Isai. lib. 4, c. 11: „Virgam“, inquit, „et florem de radice Iesse ipsum Dominum Iudaei interpretantur; quod scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur.“[4] Eiusdem floris etiam fragrantiam inter Graecos S. Cyrillus Alexandrinus commemorat, lib. 2 in Isai. tom. 1 ita dicens: „*Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice ascendet.* . . . Assumitur enim in typum Christi etiam virga Aaronis, quae floruit et in Sancta sanctorum illata est.“ Et paulo post: „Flos vero rursum, quoniam hominis natura in illo ad incorruptionem et ad novitatem conversationis evangelicae refloruit. Flos etiam aliter appellatur propter suavem fragrantiam sub intelligentiam cadentem. *Ego* enim, inquit, *flos campi, lilium convallium.* Erat sane et nobis veluti odor quidam cognitionis Dei et Patris. Nimirum divinus Paulus in epistula dicit: ***Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo, et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo*** (2 Cor. 2, 14—15).“[5] Illinc autem Thesaur. assert. 32 haec deducit: „Cum itaque (Christus) sit odor Dei ac Patris, diversae

---

καὶ ῥόδον ἐκ γῆς ἀναφύς, διὰ τὸ ἀνθρώπινον. Πλὴν οὐκ εἰδὼς ἁμαρτίαν, θεοπρεπεστάτην δὲ μᾶλλον τοῖς ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὴν ἐκ τῶν κατορθωμάτων εὐωδίαν ἱείς.

[1] *Migne* Patr. gr. 70, 1367: „Ὡς γῆν αὐξάνουσαν τὸ ἄνθος αὐτῆς, καὶ ὡς κῆπον τὰ σπέρματα αὐτοῦ, οὕτως ἀνατελεῖ Κύριος δικαιοσύνην, καὶ ἀγαλλίαμα ἐναντίον πάντων τῶν ἐθνῶν.“ Ἔοικε δὲ διὰ τούτων τὸ ἀνίσχον, ἤγουν ἀνατέλλον, σπέρμα τε καὶ ἄνθος ἐναντίον τῶν ἐθνῶν, αὐτὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν ὀνομάζειν. Ἔφη γὰρ ἐν τῷ Ἄισματι κτλ.

[2] LXX: καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης ἀναβήσεται. Hebr.: וְנֵצֶר מִשָּׁרָשָׁיו יִפְרֶה

[3] *Migne,* Patr. lat. 14, 680. [4] Ibid. 24, 144.

[5] *Migne,* Patr. gr. 70, 311: . . . Παραλαμβάνεται γὰρ εἰς τύπον Χριστοῦ καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ εἰς τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων εἰσκεκομισμένη. . . . Ἄνθος δὲ πάλιν· ἀνέθαλε γὰρ ἡ ἀνθρώπου φύσις ἐν αὐτῷ πρὸς ἀφθαρσίαν, καὶ εἰς ζωήν, καὶ εἰς καινότητα πολιτείας εὐαγγελικῆς· ἄνθος δὲ καὶ ἑτέρως, διὰ τὴν νοητὴν εὐοσμίαν. „Ἐγὼ“ γάρ, φησίν, „ἄνθος τοῦ πεδίου, κρίνον τῶν κοιλάδων.“ Γέγονε δὲ καὶ ἡμῖν ὀσμή τις ὥσπερ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός. Καὶ γοῦν ὁ θεσπέσιος Παῦλος ἐπιστέλλει, καὶ φησι· „Τῷ Θεῷ χάρις τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριστῷ, καὶ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως αὐτοῦ φανεροῦντι“ κτλ.

ab ipso essentiae esse nequit; sed quemadmodum bonus odor, qui ex floribus naturaliter atque substantialiter diffunditur, speciem unde gignitur declarat, ita et Filius cum sit veluti odor quidam essentiae paternae, a qua ipse est, Patrem ipsum significat." [1]

III. Huc etiam referri potest, quod Isaias propheta c. 52, 6—7 habet secundum versionem LXX: *„Ego sum ipse qui loquebar: Adsum, quasi* **pulchritudo in montibus**, *quasi pedes evangelizantis auditionem pacis, sicut evangelizans bona."* [2] Quod vaticinium ad Christum eiusque Evangelium pacis pertinere testatur praecipue S. Cyrillus Alexandrinus, cum lib. 5 in Isai. tom. 1 textum propheticum ita explicat: „Adsum igitur quasi pulchritudo, inquit, in montibus; ὥραν autem dicit ver. Agedum ergo videamus velut ex re, quae conspicua est, spiritualia. Ver apparens in montibus, quid efficit? Ornat eos flore recenti, et ex sterilitate fecunditatem gignit, prout cuiusque natura fert. Quale etiam in Canticis canticorum scriptum inveniemus: ***Surge*** *enim, inquit,* ***veni****, propinqua mea, pulchra mea, columba mea; quia ecce hiems praeteriit, imber abiit, recessit sibi; flores apparuerunt in terra, tempus putationis praevenit* (Cant. 2, 10—12). Praeterlapsa enim hieme, ver pulchrum in terra oritur, et eam nutricem florum reddit, matremque pulcherrimorum fructuum facit. Cuiusmodi etiam de nobis factum est intelligibiliter. Hiemem enim offudit orbi terrarum draco apostata, eumque aridum et infructuosum reddidit. Neque enim quisquam omnino erat, qui bonitatem exerceret, ne unus quidem; sed ***omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*** (Ps. 13, 3). Sed ubi cum carne apparuit Unigenitus, factus est nobis quasi **pulchritudo in montibus**. Cum enim defloruissemus omnisque virtutis decorem animis nostris eiecissemus, in ipso refloruimus et spirituali fertilitate abundavimus, ita ut liceat dicere illud in Cantico canticorum: ***Nepos meus descendat in hortum suum, et comedat fructum nucum suarum*** (Cant. 5, 1). Factus est igitur quasi **pulchritudo in montibus** et quasi pedes evangelizantis auditionem pacis, evangelizantis etiam bona." [3]

[1] ***Migne***, Patr. gr. 75, 466: Ὀσμὴ τοιγαροῦν ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός, οὐκ ἂν εἴη πρὸς αὐτὸν ἑτερούσιος· ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἐξ ἀνθέων εὐωδία φυσικῶς τε καὶ οὐσιωδῶς προεκκύπτουσα, τοῦ γεννήσαντος αὐτὴν εἴδους ἐστὶν ἐκφαντική, οὕτω καὶ ὁ Υἱὸς ὀσμή τις ὥσπερ ὑπάρχων τῆς πατρῴας οὐσίας, ἀφ' ἧς ἐστιν αὐτός, τὸν γεννήσαντα δηλοῖ.

[2] Graece: ὅτι ἐγώ εἰμι αὐτὸς ὁ λαλῶν· Πάρειμι ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά. Masoretae vero habent: כִּי־אֲנִי־הוּא הַמְדַבֵּר הִנֵּנִי׃ מַה־נָּאווּ עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם מְבַשֵּׂר טוֹב quae versio vulgata ita reddit: *„quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem: annuntiantis bonum."*

[3] ***Migne***, Patr. gr. 70, 1154: Πάρειμι δὴ οὖν ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, φησίν· ὥραν δέ φησι τὸ ἔαρ. Φέρε δὴ οὖν καταθρήσωμεν ὡς ἐκ πράγματος ἐμφανοῦς τὰ πνευματικά. Τί τὸ ἔαρ ὀφθὲν ἐν τοῖς ὄρεσιν ἀποτελεῖ; Ἀνθεῖ νέῳ στεφανοῖ τὰ φυτά, καὶ ἐξ ἀκαρπίας αὐτὰ μεθίστησι πρὸς ἀπότεξιν, ὧν ἂν φυσικῶς ἕκαστον ἔχοι. Τοιοῦτόν τι καὶ ἐν τοῖς Ἄισμασι τῶν ᾀσμάτων γεγραμμένον εὑρήσομεν· „Ἀνάστα γάρ, ἐλθέ, φησίν, ἡ πλησίον μου, καλή μου, περιστερά μου· ὅτι ἰδοὺ ὁ χειμὼν παρῆλθεν, ὁ ὑετὸς ἀπῆλθεν, ἐπορεύθη ἑαυτῷ· τὰ ἄνθη ὤφθη ἐπὶ τῆς γῆς, καιρὸς τῆς τομῆς ἔφθακε." Χειμῶνος γὰρ

Quorum Patrum auctoritate moti, et Christum „florem“ boni odoris esse censemus, et sub huius floris figura pulchritudinem Christi praemonstratam esse, quandoquidem S. Hieronymo teste „in flore pulchritudo monstratur“.

§ 3.

De pulchritudine Christi, quatenus sub figura „sponsi“ praemonstratus est.

Iesus Christus in sacra Scriptura ut sponsus (νυμφίος, חָתָן) tam Ecclesiae totius quam cuiuslibet in ea animae iustae identidem exhibetur. Cum autem sponsus „in flore ac vigore aetatis“ esse soleat, ἐν ὥρᾳ, ut Graeci dicunt[1], sacra Scriptura, quando Christus sponsus appellatur, de specie atque decore eius te commonet, ut tali pulchritudine accensus Dominum diligas *„ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis“* (Luc. 10, 27). Inquiramus igitur, quibus verbis et sacra Scriptura et Patres Ecclesiae formam ac pulchritudinem huius sponsi describant.

I. Scriptura sacra pulchritudinem sponsi praecipue in Cantico canticorum talibus depingit verbis, ut sponsa, i. e. Ecclesia aut anima quaelibet sancta, cum primum formositatem sponsi, i. e. Christi, eximiam animadvertit, admiratione quadam vehementer commota ibid. 1, 15 exclamet: ***„Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.“***[2] Deinde vero Cant. 5, 10—16 pulchritudines sponsi singulatim describens ait: ***„Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum; comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus. Oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae et resident iuxta fluenta plenissima. Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureae, plenae hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris. Crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas. Species eius[3] ut Libani, electus ut cedri. Guttur illius suavissimum, et***

παρελάσαντος, τὸ λαμπρὸν ἔαρ ἀνίσχει τῇ γῇ, καὶ ἀνθέων αὐτὴν ἀποφαίνει τροφόν, καὶ καρπῶν ὡρίμων ποιεῖται μητέρα. Τοιοῦτόν τι καὶ περὶ ἡμᾶς πέπρακται νοητῶς. Κατεχείμασε γὰρ τὴν ὑπ' οὐρανὸν ὁ δράκων ὁ ἀποστάτης, ξηρὰν καὶ ἄκαρπον ἀπέφηνεν αὐτήν. Ἦν γὰρ ὅλως οὐδεὶς ὁ ποιῶν χρηστότητα, οὐκ ἦν ἕως ἑνός, ἀλλὰ „πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν“. Ἐπειδὴ δὲ μετὰ σαρκὸς ἐπέφανεν ὁ Μονογενής, γέγονεν ἡμῖν ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων. Ἀπηνθηκότες γὰρ ὥσπερ καὶ ἁπάσης ἀρετῆς ὡραιότητα τῶν ἰδίων ψυχῶν ἀποβεβληκότες, ἀνεθάλλομεν ἐν αὐτῷ καὶ πνευματικῆς εὐκαρπίας πεπληρώμεθα, ὥστε καὶ δύνασθαι λέγειν τὸ ἐν τῷ Ἄισματι τῶν ᾀσμάτων· „Ἀδελφιδός μου καταβήτω εἰς κῆπον αὐτοῦ, καὶ φαγέτω καρπὸν ἀκροδρύων αὐτοῦ.“ Γέγονε τοίνυν ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, καὶ ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, εὐαγγελιζομένου δὲ καὶ ἀγαθά.

[1] Cf. supra Lib. I, Parte I, c. 1, § 1, n. 2.

[2] LXX: Ἰδοὺ εἶ καλός, ἀδελφιδός μου, καί γε ὡραῖος. Hebr. Cant. 1, 16: הִנְּךָ יָפֶה דוֹדִי אַף נָעִים

[3] LXX: εἶδος αὐτοῦ; Hebr.: מַרְאֵהוּ.

totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus." Ecce, si vis, illa membrorum et partium symmetria cum quadam coloris suavitate, in quibus pulchritudinem corporis humani consistere Patres Ecclesiae supra (Lib. I, Parte I, c. 3, § 2) explicaverunt praeeunte Clemente Alexandrino, qui lib. 3 Paedag. c. 11 ita definit: „Corporalis pulchritudo (est) symmetria membrorum et partium cum coloris suavitate." „*Dilectus meus*," inquit sponsa, „*candidus et rubicundus.*" Ab hoc autem sponso, cuius pulchritudo corporalis in Cantico canticorum tam vividis coloribus describitur, Iesum Christum praefiguratum esse non solum Patres Ecclesiae ad unum omnes consentiunt, sed ipsa sacra Scriptura Novi Testamenti maximopere confirmat, cum Dominus Luc. 5, 35 seipsum „sponsum" expresse vocet, Pharisaeis dicens: „*Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis* (discipulis) *sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.*" Etiam S. Ioannes Baptista Christum, cui viam paraverat, „sponsum" esse testatus est Io. 3, 29: „*Qui habet sponsam,*" inquit, „*sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.*" Sed iam audiamus, quid de pulchritudine huius sponsi, i. e. Christi, Patres Ecclesiae senserint.

II. Atque in Ecclesia quidem orientali Origenes Select. in Psal. illud Ps. 18, 6 sic interpretatur: „*Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Tamquam sponsus est Christus. *Qui* enim *habet*, inquit, *sponsam, sponsus est.* Secundum pulchritudinem imitatur sponsum de thalamo procedentem cum multo decore." [1] Et rursus, illud alterum Cant. 1, 15: „*Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus,*" exponens, haec dicit (interprete Rufino): „Nunc primum videtur attentius inspexisse sponsi sui pulchritudinem sponsa, et considerasse illis oculis, qui columbae esse dicti sunt, decus et speciem Verbi Dei. Quia revera non potest prius perspici nec agnosci, quanta sit in Verbo magnificentia, nisi prius oculos quasi columbae, id est, intelligentiam spiritualem accipiat. . . . Hi vero, qui tantummodo credunt sponso, non tamen perspicere potuerunt in Verbo Dei quanta sit pulchritudo, dicunt: *Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius indecora et deficiens prae filiis hominum* (Isai. 53, 2). . . . . Bonus ergo et decorus fraternus; et quanto magis inspici poterit oculis spiritalibus, tanto speciosior invenitur et pulchrior; quia non solum illius species et pulchritudo mirabilis apparebit, verum et inspicienti atque intuenti eum decus ingens et species formae nova ac mirabilis orietur secundum illud, quod Apostolus Verbi Dei intuens pulchritudinem dicit: *Nam etsi is qui foris est homo noster corrumpitur,*

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 12, 1216: . . . Ὡς νυμφίος ἐστὶν ὁ Χριστός. „Ὁ γὰρ ἔχων, φησί, νύμφην νυμφίος ἐστί." Κατὰ τὸ κάλλος μιμεῖται νυμφίον ἐκ παστάδος μετὰ πολλῆς εὐπρεπείας.

sed qui intus est renovatur de die in diem (2 Cor. 4, 16).“[1] Christus igitur secundum Origenem sponsus est et pulcher et pulchrificans. Eiusdem sponsi pulchritudinem S. Gregorius Nazianzenus Orat. (37) in Matth. 19 his verbis celebrat: „Si vim totam amoris in Deum effudisti . . . profecto usque adeo electa illa sagitta sauciata es, sponsique pulchritudinem cognovisti, ut illud quoque sponsalis dramatis et cantici dicere queas: *Dulcedo es, et totus desiderabilis* (Cant. 5, 16).“[2] Quare etiam in carmine suo morali, quod „Exhortatio ad virgines“ inscribitur, virgines graviter sic admonet: „O virgines, Christum exspectate vigilantes, et cum accensis sponsum excipite lucernis, ut simul ingressae sponsi pulchritudinem intueamini, et consociemini caelestibus mysteriis.“[3] Talis autem ac tantus est huius sponsi decor, ut nunquam senescat aut minuatur, sed semper admirabilis maneat, quemadmodum S. Gregorius Nyssenus Homil. 4 in Cant. bene commemorat: „*Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus* (Cant. 1, 15). Tu autem vere es pulcher; neque solum pulcher, sed ipsa pulchritudinis essentiâ semper talis exsistens, omnino id es, quod quidem es: nec in tempore florens, nec in tempore rursus florem abiciens, sed cum vitae aeternitate simul extendens speciem atque decorem.“[4] S. Cyrillus igitur Alexandrinus Explan. in Ps. 44, 3 merito quaerit: „Quis sanctorum“, inquit, „comparabitur Christo? Nemo omnino. Quam ob rem illa etiam in Cantico canticorum introducta sponsa, Ecclesiae personam gerens, quamquam ei licebat sapientissimi Moysis et sanctorum prophetarum adire Scripturas, nihilominus Christi verba appetebat aiebatque: *Ostende mihi faciem tuam, audire me fac vocem tuam; quia vox tua dulcis, et facies tua decora* (Cant. 2, 14).“[5] Atque haec quidem hactenus.

In Ecclesia vero occidentali praeprimis S. Ambrosius et S. Augustinus pulchritudinem sponsi, qui Christus est, ut praecones eximii laudant. Atque ille sane Expos. in Ps. 118 serm. 4, n. 18 ait: „*Ecce es*, inquit,

---

[1] *Migne,* Patr. gr. 13, 147 et 148.

[2] *Migne,* Patr. gr. 36, 295: Εἰ ὅλην ἐκένωσας πρὸς Θεὸν τοῦ φίλτρου τὴν δύναμιν . . . ἄρα τοσοῦτον ἐτρώθης τῷ ἐκλεκτῷ βέλει, καὶ τοῦ νυμφίου τὸ κάλλος κατέμαθες, ὥστε καὶ δύνασθαι λέγειν ἐκ τοῦ νυμφικοῦ δράματός τε καὶ ᾄσματος, ὅτι „Γλυκασμὸς εἶ, καὶ ὅλος ἐπιθυμία“.

[3] Ibid. 37, 640:

> — ὦ παρθένοι, Χριστὸν μένοιτε γρηγοροῦσαι,
> Καὶ φαιδραῖς τὸν νυμφίον δέξασθε τοῖς λαμπάσιν,
> Ἵνα συνελθοῦσαι τὸ κάλλος τοῦ νυμφίου
> Ἴδητε, καὶ μιγῆτε τοῖς ἄνω μυστηρίοις.
>
> (Vers. 97—100.)

[4] Ibid. 44, 835. Cf. textum Graecum supra Lib. II. Parte I. c. 4. n. 2.

[5] Ibid. 69, 1081: Τίς γὰρ τῶν ἁγίων ἁμιλλήσεται τῷ Χριστῷ; Οὐδεὶς παντελῶς. Διά γάρ τοι τοῦτο καὶ ἡ ἐν τῷ Ἄσματι τῶν ᾀσμάτων εἰσφερομένη νύμφη, τὸ τῆς Ἐκκλησίας φοροῦσα πρόσωπον, καίτοι προκείμενον αὐτῇ ταῖς τοῦ πανσόφου Μωσέως ἐντυγχάνειν συγγραφεῖς, καὶ ταῖς τῶν ἁγίων προφητῶν, τὸν παρὰ Χριστοῦ δεδίψηκε λόγον· ὅτι καὶ δὴ καὶ ἔφασκεν· „Δεῖξόν μοι τὴν ὄψιν σου, καὶ ἀκούτισόν με τὴν φωνήν σου· ὅτι ἡ φωνή σου ἡδεῖα, καὶ ἡ ὄψις σου ὡραία.“

formosus consobrinus meus, et quidem pulcher (Cant. 1, 15). . . Laudat sponsi decorem Ecclesia, quem plus unusquisque tacito laudat affectu, et fidus mysteriorum interpres tacendo plus praedicat. Nam qui arcana divulgat, imminuit Christi decorem."[1] S. Augustinus vero Enarr. in Ps. 127, n. 8 Christum appellat illum sponsum, quo nemo sit pulchrior: „Sponsus ille, quo nihil est pulchrius, qui quasi foedus apparuit inter manus persequentium." Paulo autem post interrogat: „Qualibus oculis Christus pulcher apparuit? Quales oculos quaerebat ipse Christus, quando dicebat Philippo: ***Tanto tempore vobiscum sum, et non me vidistis?*** (Io. 14, 9.) Isti oculi mundandi sunt, ut possint videre illam lucem; et leviter tamen perstricti splendore, accenduntur amore, ut sanari velint, et fiant illuminati. Nam ut noveritis quia pulcher est Christus qui amatur, ait propheta: ***Speciosus forma prae filiis hominum*** (Ps. 44, 3). Omnes homines superat illius pulchritudo."[2] Unde etiam Enarr. in Ps. 44, n. 3 confidenter dicit: „Ecce", inquit, „ipse sponsus procedat nobis, amemus illum; aut si invenerimus in eo aliquid foedi, non amemus. Ecce ipse invenit multa foeda, et amavit nos; si aliquid foedi invenerimus in eo, non amemus." Quin etiam pulcherrimum animarum coniugem eum appellat, lib. 1 De ord. c. 8 dicens: „Alias animas, dum hoc corpus agunt, iam thalamo suo dignas coniux ille optimus ac pulcherrimus quaerit, quibus non vivere, sed beate vivere satis est."[3]

Quae hucusque attulimus, melius vix concludere possumus nisi S. Gregorii Nazianzeni verbis „In laudem virginitatis" (vers. 565—571), ubi virgo quaedam ita loquens inducitur: „Hunc [Christum sponsum] ego amans, saeculum reliqui, nec potui oculos alio convertere, meque dulce vinculum constringit pulchritudinis illius cupidam, quae meam mentem conspecta admiratione perculit; ac in me splendentem excitavit facem, meque totam effecit pulchram et fulgidam. Solus enim hic amor etiam pulchritudinis partem ab eo, qui amatur, deducit in amantem, ac beatus, qui hoc donum excepit."[4] Tali autem beatitudine fruebatur S. Agnes, quae illo dono accepto (Breviar. Rom. die 21. Ian. resp. ad lect. 6) pulchritudinem Christi satis laudare nesciat: „Ipsi sum desponsata," inquit, „cuius pulchritudinem sol et luna mirantur."

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 15, 1247.
[2] Ibid. 37, 1681.
[3] Ibid. 32, 988.
[4] *Migne*, Patr. gr. 37, 564:

> Τὸν μὲν ἐγὼ ποθέουσα, λίπον βίον, οὐδὲ δυνάσθην
> Ὄμμα βαλεῖν ἑτέρωσε· γλυκὺς δέ με δεσμὸς ἐρύκει
> Κάλλεος ἰσχανόωσαν, ὅ μευ φρένας ἐποίησε
> Δερκομένης, ἐπ' ἐμοὶ δὲ τινάξατο παμφανόωντα
> Πυρσόν, ὅλην καλήν τε καὶ αἰγλήεσσαν ἔθηκε.
> Μοῦνος γάρ τε πόθων καὶ κάλλεος αἶσαν ἀγείρει
> Ἐξ ἐρατοῦ ποθέοντι· ὁ δ' ὄλβιος, ὅστις ἔδεκτο.

Optimo ergo iure Ecclesia Christum „sponsum decorum“ appellat, cum in Hymno: „Iesu corona virginum“, cuius auctor S. Ambrosius habetur, ita canat:

> „Qui pergis inter lilia,
> Septus choreis virginum,
> Sponsus decorus gloria.“[1]

Articulus II.

De dictis propheticis, quibus pulchritudo Christi, Filii Dei, praenuntiata est.

Prophetarum oracula, quae Messiam eximia pulchritudine indutum appariturum esse praenuntiaverunt, praecipue inveniuntur in libro psalmorum et in libris sapientialibus.

§ 1.

De pulchritudine Christi quid vox in libro psalmorum prophetica praenuntiaverit.

Cum inter psalmos, qui Messiae, i. e. Iesu Christo, insignem pulchritudinem tribuunt, maxime emineant Ps. 20 et Ps. 44 et Ps. 49, explicandum nobis erit secundum ordinem, quid singuli eorum de pulchritudine Christi canant.

I. Atque in Ps. 20, 4. 6 quidem haec de Christi gloria atque decore legimus: ***„Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.... Magna est gloria eius in salutari tuo; gloriam et magnum decorem impones super eum.“***[2] Quae verba, quamvis ad David regem proprie pertineant, typice tamen ad Christum Filium Dei sunt referenda, quippe qui rex sit a Patre constitutus secundum Ps. 2, 6: ***„Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius.“*** Pater igitur caelestis super Filium suum, Christum regem, imposuit ***„gloriam et magnum decorem“*** et ***„in capite eius coronam de lapide pretioso“***, id est, Pater Filio suo coaeternam maiestatem praebuit et gloriam atque pulchritudinem aequalem. Quapropter S. Paulus apostolus illud Ps. 8, 6: ***„Gloria et honore*** (הָדָר = decore) ***coronasti eum“***, ad Christum Iesum refert, cum Hebr. 2, 9 scribit: ***„Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.“*** Nec dissimilis est interpretatio S. Hieronymi, qui Brev. in Psal. Ps. 20

---

[1] Cf. Breviar. Rom. Commune virginum. hymn. ad vesp. — Auctor versuum, quos citavimus, evidenter ad Cant. 1, 15: *„Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus“*, et Cant. 2, 16: *„Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia“*, alludit. Quam ob rem melius esse videtur pro „Qui pergis“ legere „Qui pascis“.

[2] LXX: . . . δόξαν καὶ μεγαλοπρέπειαν ἐπιθήσεις ἐπ᾽ αὐτόν. Hebr. Ps. 21, 6: הוֹד וְהָדָר תְּשַׁוֶּה עָלָיו, id est: „gloriam et decorem impones super eum.“

dicit: *„Gloriam et magnum decorem impones super eum;"* gloriam resurrectionis: decorem, quando in monte resplenduit facies eius sicut sol, et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix (Matth. 17, 2)." [1]

II. Ut psalmus 20, ita praesertim ille ad Christum spectat psalmus 44, qui inscribitur „Canticum pro dilecto", i. e. pro eo, de quo Deus Pater Matth. 17, 5 testatur: *„Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui."* Complacet enim Patri consubstantialis forma ac pulchritudo Filii, quem vox prophetica Ps. 44, 3 ita alloquitur: *„Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in aeternum."* Et subinde: *„Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua."* Utrumque autem textum speciatim considerabimus, inquirentes quam diligentissime, quid Patres Ecclesiae senserint.

1. Atque illud quidem: *„Speciosus forma prae filiis hominum"* [2], Patres ad pulchritudinem Christi referre solent supermundanam atque divinam. Ita enim, ut a Graecis incipiamus, S. Athanasius Expos. in Ps. 44 dicit: „Est autem speciosus iis, qui norunt adventum eius quique pulchritudinem eius supermundialem possunt intelligere." [3] Idem sentit S. Basilius Homil. in Ps. 44, n. 4: „Speciosum igitur forma Dominum appellat [propheta], cum aciem mentis intendisset in eius divinitatem. . . . Proinde palam est prophetam, ubi claritatem eius inspexisset, essetque splendore illinc proficiscente repletus, et prae pulchritudine illa animo perculsus, ad divinum spiritualis pulchritudinis amorem permotum esse: quae animae humanae affulgente omnia, quaecunque prius diligebantur, turpia esse videntur atque abominanda. Quapropter etiam Paulus, simul ut vidit speciosum illum forma, omnia duxit pro stercoribus, ut Christum lucrifaceret (Phil. 3, 8)." [4] Subtilior est S. Ioannis Chrysostomi Expos. in eund. Ps. n. 2: *„Speciosus forma prae filiis hominum.* Nonnulli quidem dicunt hoc dictum esse de lingua, quod sit calamus speciosus forma; mihi autem videtur eum [prophetam] deinceps de Christo dicere. Et ideo alius quoque dicit interpres [Aquila]: *Pulchritudine ornatus es a filiis hominum.* Magno enim ardore et summa in eum affectione percitus, ad eum convertit orationem, quemadmodum Iacob quoque dicebat: ***Ex germine, fili mi, ascendisti; recumbens dormisti ut leo*** (Gen. 49, 9).

[1] ***Migne***, Patr. lat. 26, 877.

[2] LXX: Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Hebr.: יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם, id est: „Pulcherrimus es e filiis hominum."

[3] ***Migne***, Patr. gr. 27. 209: Ἔστι δὲ καὶ ὡραῖος μὲν τοῖς ἐπεγνωκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τὸ ὑπερκόσμιον κάλλος κατανοεῖν δυναμένοις.

[4] Ibid. 29, 395: Ὡραῖον οὖν κάλλει προσαγορεύει τὸν Κύριον ὁ ἐνατενίσας αὐτοῦ τῇ θεότητι . . . Δῆλον οὖν, ὅτι ἐνιδὼν αὐτοῦ τῇ λαμπρότητι καὶ τῶν ἐκεῖθεν μαρμαρυγῶν ἀναπλησθεὶς ὁ Προφήτης, πληγεὶς τὴν ψυχὴν τούτῳ τῷ κάλλει, πρὸς τὸν ἔνθεον ἔρωτα τῆς νοητῆς ὡραιότητος ἐκινήθη· ἧς ἐπιφανείσης τῇ ἀνθρωπίνῃ ψυχῇ, πάντα αἰσχρὰ καὶ ἀπόβλητα τὰ τέως ἀγαπώμενα καταφαίνεται. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Παῦλος, ὅτε εἶδε τὸν ὡραῖον κάλλει, πάντα ἡγήσατο σκύβαλα, ἵνα Χριστὸν κερδήσῃ.

A Deo enim afflatus cum eo deinceps loquitur, et ad ipsum dirigit orationem. Hoc autem dicit non per comparationem; non enim dixit Speciosior, sed *Speciosus forma prae filiis hominum*. Haec pulchritudo est alia ab illa." [1] — Inter Patres Latinos S. Augustinus et S. Ambrosius commemorandi sunt. Hic enim Epist. (29) ad Irenaeum scribit: „Versiculum illum coepi mecum volvere, quo vesperi in vigiliis usi fueramus: Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων (Ps. 44, 3). Ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων αὐτόν (Rom. 10, 15 et Isai. 52, 7). Et vere nihil speciosius illo summo bono, cuius etiam praedicatio speciosa est nimis. . . Nos quantum possumus, intendamus illo animum, et in illo simus, illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, ut fiat illuminatione eius et fulgore speciosa anima nostra et mens dilucida." [2] Ille vero Enarr. in Ps. 43, n. 16 haec habet: „Dominus", inquit, „in carne erat et apparebat homo hominibus. . . Quid magnum apparebat, de quo dictum est: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (Isai. 53, 2)? Quis non habebat speciem neque decorem? De quo item dicitur: *Speciosus forma prae filiis hominum.* Ut homo non habebat speciem neque decorem, sed speciosus forma ex eo quod est prae filiis hominum." [3] Atqui „prae filiis hominum" certissime Christus est, secundum quod est Deus. Ergo saltem quoad divinitatem Christo pulchritudo tribuenda est; id quod iam supra docuit (Enarr. in Ps. 127, n. 8): „Nam ut noveritis quia pulcher est Christus qui amatur, ait propheta: *Speciosus forma prae filiis hominum.* Omnes homines superat illius pulchritudo." [4]

2. Etiam verba, quae subsequuntur, ad Christum referenda sunt, nimirum: *„Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua."* [5] Notandum imprimis est aliam interpunctionem a versione praeferri vulgata, utpote quae (vers. 5) vocabula *„specie tua et pulchritudine tua"* immediate connectit cum sequentibus *„intende, prospere procede et regna"*. Attamen illa verba *„specie tua et pulchritudine tua"* verius ad ea trahuntur, quae immediate praecedunt, sicuti Patres Graeci facere solent, e quibus praecipue

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 55, 185: . . . Τινὲς μὲν οὖν περὶ τῆς γλώττης εἰρῆσθαι τοῦτο λέγουσιν, ὅτι κάλαμος ὡραῖος κάλλει· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ λοιπὸν περὶ τοῦ Χριστοῦ λέγειν αὐτόν. Διὸ καὶ ἕτερός φησιν ἑρμηνευτής. „Κάλλει ἐκαλλωπίσθης ἀπὸ υἱῶν ἀνθρώπων". Εἰς γὰρ αὐτὸν τρέπει τὸν λόγον ὑπὸ πολλῆς θερμότητος, καὶ τῆς περὶ αὐτὸν διαθέσεως, ὡς καὶ Ἰακὼβ ἔλεγεν· „Ἐκ βλαστοῦ, υἱέ μου, ἀνέβης· ἀναπεσὼν ἐκοιμήθης ὡς λέων." Ἔνθους γὰρ γενόμενος, αὐτῷ λοιπὸν διαλέγεται, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀποτείνει τὸν λόγον. Τοῦτο δὲ οὐ κατὰ σύγκρισίν φησιν· οὐ γὰρ εἶπεν, Ὡραιότερος, ἀλλ „Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων." Ἄλλο τοῦτο, φησί, τὸ κάλλος παρ' ἐκεῖνο.

[2] *Migne*, Patr. lat. 16, 1054. [3] Ibid. 36, 489. [4] Ibid. 37, 1681.

[5] LXX: Περίζωσαι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, δυνατέ, τῇ ὡραιότητί σου καὶ τῷ κάλλει σου. Similiter textus Hebraicus Ps. 45, 4: חֲגוֹר־חַרְבְּךָ עַל־יָרֵךְ גִּבּוֹר הוֹדְךָ וַהֲדָרֶךָ, id est: „Accinge gladium tuum super femur, fortissime, magnificentiam tuam et decorem tuum."

S. Chrysostomus Expos. in Ps. 44, n. 5 ita scribit: „Ne autem dum audis *Accingere gladio tuo*, ensem intelligas sensilem, audi quae sequuntur. Cum enim dixisset *Accingere gladio tuo*, subiunxit *specie tua et pulchritudine tua*: hoc est gladius, species eius et pulchritudo eius et gloria et auctoritas et maiestas et magnificentia.“ [1] Quo posito dicimus Patres Ecclesiae Ps. 44, 4 s. non immerito referre ad Christi pulchritudinem divinam vel saltem spiritualem. S. Athanasius quidem Expos. in eund. Ps. 44 sub verbis „*specie tua et pulchritudine tua*“ intelligit Christi deitatem et praestantiam, dicens: „Species et pulchritudo militis illius est deitas eius et praestantia, qua omnes exsuperat.“ [2] Item S. Basilius Homil. in Ps. 44, n. 5 verba citata ad Christum pertinere, quatenus Deus sit, manifeste docet: „*Accingere*“, inquit, „*gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua* (τῇ ὡραιότητί σου), hoc est in plenitudine temporum [3], *et pulchritudine tua*, videlicet divinitate, quae contemplatione et ratione intelligi potest. Illud enim vere pulchrum est, quod humanam omnem intelligentiam et potentiam excedit, quodque mente sola queas contemplari. Noverunt autem eius pulchritudinem discipuli, quibus privatim parabolas solvebat. Viderunt etiam ipsius pulchritudinem Petrus et filii tonitrui in monte, fulgore suo splendorem solis superantem, atque habiti sunt digni, qui gloriosi eius adventus exordia oculis perciperent.“ [4] Quibus ultimis verbis adventum Christi secundum et gloriosum bene ingerit, cum illud Ps. 44, 4 s.: „*Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua*“, tunc demum perfecte impletum iri sentire videatur, quando Christus ad mundum iudicandum venturus est cum virtute et maiestate multa, ut Matthaeus c. 24, 30 scribit: „***Et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum* virtute multa et maiestate**“ (μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς). Filius itaque

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 55, 191: Ἵνα δὲ μὴ ἀκούων, „Περίζωσαι τὴν ῥομφαίαν σου“, μάχαιραν νομίσῃς αἰσθητήν, ἄκουε τῶν ἑξῆς. Εἰπὼν γάρ, „Περίθου τὴν μάχαιραν σου“, ἐπήγαγε, „Τῇ ὡραιότητί σου καὶ τῷ κάλλει σου“· τοῦτό ἐστιν ἡ μάχαιρα, ἡ ὡραιότης αὐτοῦ, καὶ τὸ κάλλος αὐτοῦ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ ἀξίωμα, καὶ ἡ μεγαλωσύνη, καὶ ἡ μεγαλοπρέπεια.

[2] Ibid. 27, 209: Ὡραιότης δὲ καὶ κάλλος τοῦ στρατευσαμένου ἡ θεότης αὐτοῦ καὶ ἡ κατὰ πάντων ὑπεροχή.

[3] S. Basilius Homil. in eund. Ps. 44 τὸ ὡραῖον, quid proprie significet, ita **exponit**: Τὸ ὡραῖον λέγεται τὸ συμπεπληρωμένον εἰς τὸν ἐπιτήδειον καιρὸν πρὸς τὴν οἰκείαν ἀκμήν: „Id speciosum dicitur, quod completum fuit idoneo tempore ad usque **propriam maturitatem**.“ (Cf. supra Lib. I, Parte I, c. 1, § 1, n. 2.)

[4] ***Migne***, Patr. gr. 29, 399: . . . „τῇ ὡραιότητί σου“, τουτέστιν, ἐν τῷ πληρώματι τῶν καιρῶν· „καὶ τῷ κάλλει σου“, τῇ θεωρητῇ καὶ νοητῇ θεότητι. Ἐκεῖνο γὰρ τὸ ὄντως καλόν, τὸ κατάληψιν πᾶσαν ἀνθρωπίνην καὶ δύναμιν ὑπερβαῖνον, καὶ διανοίᾳ μόνῃ θεωρητόν. Καὶ ἐγνώριζον αὐτοῦ τὸ κάλλος οἱ μαθηταί, οἷς ὑπέλυε τὰς παραβολὰς κατ' ἰδίαν. Εἶδον δὲ αὐτοῦ τὸ κάλλος Πέτρος καὶ οἱ υἱοὶ τῆς βροντῆς ἐν τῷ ὄρει ὑπερλάμπον τὴν τοῦ ἡλίου λαμπρότητα, καὶ τὰ προοίμια τῆς ἐνδόξου αὐτοῦ παρουσίας ὀφθαλμοῖς λαβεῖν κατηξιώθησαν.

hominis, quia „cum virtute multa“ venturus est, satisfaciet verbis: „*Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*“; quoniam autem venturus est „cum multa maiestate“, adimplebit verba altera: „*Accingere . . . specie tua et pulchritudine tua*“. In idem convenit S. Cyrillus Alexandrinus, cum Explan. in Ps. 44 sic docet: „O Domine, aiunt, praeter tuam supra omnes incomparabilem formositatem gladio etiam accingere, haud sane alieno, sed tuo. Nihil enim alienum aut ascitum in Christo esse affirmamus, sed eius iure credi propria quae Deum decent . . . potens est enim, id est potestatum Dominus; neque aliunde potentiam accepit, sed insitam naturaliter habet cum reliquis; Deo convenientissimis ornamentis. Est sane speciosus iis, qui eum diligunt eiusdemque adventum agnoverunt, quique mentis oculis intueri valent infinitam eius et supermundialem pulchritudinem.“[1] Haec autem ultima fere verbatim a S. Athanasio derivata sunt Expos. in Ps. 44 ita dicente: „Est autem et speciosus iis, qui norunt adventum eius quique pulchritudinem eius supermundialem possunt intelligere.“[2] Neque ullus dubitandi locus relinquitur, si ipsum originalem textum alterum cum altero conferimus. — Cum Graecis Patres Latini ita consentiunt, ut illud Ps. 44, 4 s.: „*Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua*“, non solum ad Christum referendum esse censeant, sed etiam arbitrentur pulchritudinem Christi in sanctitate atque iustitia aut saltem in divinitate eius collocandam esse. Et certe S. Hieronymus Brev. in Psal. Ps. 44 ait: „*Specie tua et pulchritudine tua:* sanctitate atque iustitia; vel ad divinitatem pertinet.“[3] Hoc idem sentit S. Augustinus, Enarr. in Ps. 44, n. 14 Christum sic alloquens: „*Specie tua et pulchritudine tua.* Iustitiam accipe, qua semper es speciosus et pulcher.“[4] Quare antea n. 3 iam admonuit: „Neque oculos vestros a splendore pulchritudinis illius avertat carnis infirmitas [sc. in Christi passione]. Summa et vera pulchritudo iustitia est; ibi illum non videbis pulchrum, ubi deprehendis iniustum; si ubique iustus, ubique decorus.“[5]

III. Tertium denique e psalmis argumentum, quod pulchritudinem atque decorem Christi ostendat, invenitur in Ps. 49, 1—2, ubi haec legimus: „*Deus, deorum Dominus, locutus est: et vocavit terram a*

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 69, 1034: Ὦ Δέσποτα, φασί, πρὸς τῷ κάλλει σου τῷ ὑπὲρ πάντας καὶ ἀπαραβλήτῳ, περίζωσαι καὶ ῥομφαίαν, καὶ οὔ τί που ἀλλοτρίαν, τὴν σὴν δὲ μᾶλλον. Οὐδὲν γὰρ τῶν ἔξωθεν ἢ εἰσκεκριμένον προσεῖναί φαμεν τῷ Χριστῷ, ἀλλ' ἴδια αὐτῷ τὰ θεοπρεπῆ νοοῖντ' ἂν εἰκότως . . . δυνατὸς γάρ ἐστιν, τουτέστι τῶν δυνάμεων Κύριος· οὐ παρ' ἑτέρου τὸ δύνασθαι λαβών, ἀλλ' ἴδιον καὶ ἐμπεφυκὸς οὐσιωδῶς μετὰ τῶν ἑτέρων θεοπρεπεστάτων ἀξιωμάτων. Ἔστι γε μὴν ὡραῖος μὲν τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, καὶ τοῖς ἐπεγνωκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τοῖς τῆς διανοίας ὄμμασιν καταθρεῖν δυναμένοις τὸ ἐξαίσιον αὐτοῦ καὶ ὑπερκόσμιον κάλλος.

[2] Ibid. 27, 209: Ἔστι δὲ καὶ ὡραῖος μὲν τοῖς ἐπεγνωκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τὸ ὑπερκόσμιον κάλλος κατανοεῖν δυναμένοις.

[3] *Migne*, Patr. lat. 26, 957. [4] Ibid. 36, 502. [5] Ibid. 36, [illegible]

solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris eius."[1] Quem locum ad Christum spectare colligitur facile ex iis, quae subsequuntur: „*Deus manifeste veniet.*" Neque enim Deus hominibus manifeste apparuit nisi in Christo Iesu, Dei Filio, de quo scriptum est Io. 1, 14: „*Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis*"; et iterum Luc. 1, 78: „*Visitavit nos, oriens ex alto.*" Iam vero illud: „*Ex Sion species decoris eius*", quid tandem significat? Certum quidem est *Sionem* designare Ierusalem sive terrestrem seu typice caelestem. Quomodo autem „*species decoris eius*", i. e. species decoris Dei, intelligenda sit, multo difficilius est dictu, praesertim cum explicatio nec inter Patres Ecclesiae satis congruat. Atque S. Augustinus quidem, ut iam supra (Lib. II, Parte I, c. 5) audivimus, sub voce *speciei* decus Evangelii intellexit, sub voce *decoris* autem Iesum Christum, quippe qui speciosus forma sit prae filiis hominum. Ait enim Enarr. in eund. Ps. 49: „*Ex Sion species decoris eius,* quod inde coepit decus Evangelii eius, quod inde annuntiari coepit speciosus forma prae filiis hominum. . . . *Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum,* ex Sion procedente specie sua."[2] S. Athanasius e contra Expos. in Ps. 49 idem „*Ex Sion species decoris eius*" ad Christi adventum refert secundum et gloriosum, sic interpretans: „Ex superna Sione secundum adventum suum constituet Dominus, illustrem inquam illum et gloriosum, quem etiam idcirco speciem decoris appellavit."[3] Attamen vocabula „*species decoris*" quid proprie significent, S. Athanasius explicare praetermisit. S. Cyrillus Alexandrinus porro utramque vocem et „*species*" et „*decoris*" ad ipsum Christum solum pertinere iudicat, cum Explan. in Ps. 49 ait: „*Ex Sion species decoris eius. . . .* Fuit et est Deus Verbum consubstantiale Patri, et omnimoda aequalitate praeditum. Ita tamen cum esset natura comparatum, demisit se ad exinanitionem servique formam suscepit (Phil. 2, 6—8). Videbatur ergo formositatis suae iam non prae se ferre decorem, quia similitudinem nostram asciverat. Quod tamen non ex humanae eius condicionis modulo divinam eiusdem excellentemque pulchritudinem aestimare quis debeat, sed quatenus potius Deus est et Patri potentia compar, demonstrat dicens: *Ex Sion species decoris eius.*"[4] Nihil denique serio obstare arbitramur, quominus sub voce „*species*" speciositatem Filii Dei, sub voce „*decoris*" autem pulchritudinem Patris intelligamus, ita ut propositio „*ex Sion species decoris eius*" hunc fundat sensum: Filius, qui species est decoris

[1] Ultima verba apud LXX ita sonant: ἐκ Σιὼν ἡ εὐπρέπεια τῆς ὡραιότητος αὐτοῦ: apud Masoretas vero Ps. 50, 2 : מִצִּיּוֹן מִכְלַל־יֹפִי אֱלֹהִים הוֹפִיעַ, id est: „Ex Sion perfectio pulchritudinis Dei apparebit."

[2] *Migne,* Patr. lat. 36, 567.

[3] *Migne,* Patr. gr. 27, 589: Ἐκ τῆς ἄνω Σιὼν ὁ Κύριος τὴν δευτέραν παρουσίαν ποιήσεται τὴν ἐπιφανῆ καὶ ἔνδοξον, ἣν καὶ εὐπρέπειαν ὡραιότητος κέκληκεν.

[4] Ibid. 69, 1064. Textum Graecum vide supra Lib. II, Parte I, c. 5.

Patris, ex Sione caelesti manifeste veniet. Ceterum Ps. 49, 2, quomodocunque explicatur, ad pulchritudinem Christi referri semper constat.

Quibus locis adhuc unum ex libris prophetarum textum addere liceat, scil. Isai. 63, 1: *„Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae.“* Quis autem est *„iste formosus in stola sua“*?[1] Sane nemo alius quam Iesus Messiàs, qui passione consummata gloriosus a mortuis resurrexit tamquam victor pulcherrimis cicatricibus resplendens et triumphator de morte potentissimus *„gradiens in multitudine fortitudinis suae.“* Quare idem Christus in sacra Scriptura non semel appellatur „rex gloriae“ (LXX: ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης; מֶלֶךְ הַכָּבוֹד). Ita e. gr. Ps. 23, 9—10: *„Attolite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales; et introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Dominus virtutum ipse est rex gloriae.“*[2] Quem regem gloriosissimum apostoli praesertim in monte transfigurationis beati audierunt atque viderunt, teste S. Ioanne 1, 14: *„Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.“*

§ 2.

De pulchritudine Christi quid libri sapientiales praenuntiaverint.

In libris, qui dicuntur, sapientialibus „sapientiae Altissimi primogenitae“ praeter alia attributa etiam incredibilis quaedam adscribitur pulchritudo. Iam vero sacris Scripturis Novi Testamenti edocti scimus illam Dei sapientiam et personalem esse et idem, quod Christus, Filius Dei. Proinde etiam Christo, Filio Dei, summa pulchritudo tribuenda est. Singulae propositiones breviter sunt probandae.

I. Et profecto sapientia increata, quae apud Deum versatur, mira quadam pulchritudine praedita esse identidem exhibetur tum in libro Sapientiae tum in Ecclesiastico. Atque in illo quidem libro scriptum legimus: *„Clara est, et quae nunquam marcescit, sapientia“* (6, 13). *„Candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius“* (7, 26). Quoniam igitur et „candor“ et „imago bonitatis“ Dei rite appellatur indeque tam dilucidissima quam amabilissima dicenda est, perfecte in eam quadrat definitio pulchri ex effectibus petita, nimirum: „Pulchrum est, quod visum placet.“[3] Unde nec mirum, si hagiographus Sap. 7, 10 de

[1] LXX: οὗτος ὡραῖος ἐν στολῇ αὐτοῦ. Hebr.: זֶה הָדוּר בִּלְבוּשׁוֹ, id est: „hic magnificus in veste sua.“

[2] Similiter S. Paulus et S. Iacobus apostoli Christum „Dominum gloriae“ vocaverunt, cum ille quidem 1 Cor. 2, 8 scribat: *„Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent“*; hic vero in sua epist. 2, 1: *„Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriae.“*

[3] Cf. supra Lib. I, Parte I, c. 2.

se testatur: „*Super salutem et speciem* (εὐμορφίαν) *dilexi illam.*“ Et tanto quidem amore in illam inflammabatur, ut eam quasi sponsam venustissimam habere desideraret, Sap. 8, 2 dicens: „*Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius* (τοῦ κάλλους αὐτῆς), quippe qua formositate sua vel ipsum longe superet caelum stellis ac sole distinctum, quo nihil pulchrius in universitate rerum spectari aut laudari potest. „*Est enim haec*“, inquit Sap. 7, 29, „*speciosior sole* (εὐπρεπεστέρα ἡλίου), *et super omnem dispositionem stellarum.*“ Adde quod etiam multitudinis debitae debita unitas, in qua pulchritudinem essentialiter consistere supra demonstravimus[1], illi sapientiae Dei plano convenit; nam „*cum sit una, omnia potest*“ (Sap. 7, 27). Itaque „*cum sit una*“, debita unitas ei competit; quoniam autem „*omnia potest*“, multitudinem quandam in se continet saltem ut causa efficiens et exemplaris. Ex quo artificem omnium rerum eam esse oportet, quae sciat, quid sit speciosum. „*Et tecum*“, inquit Sap. 9, 9, „*sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, et sciebat, quid esset placitum oculis tuis*“, i. e. quid esset pulchrum. „*Quis*“ ergo „*horum, quae sunt, magis quam illa est artifex?*“ (Sap. 8, 6.) Et pulchritudine quis praestantior est quam haec apud Deum sapientia increata? Hinc etiam Iesus Sirach nesciens, quibus verbis talem pulchritudinem satis explicare possit, ad comparationes confugit et similitudines, cum Eccli. 24, 17—19 illam sapientiam sic loquentem inducit:

„*Quasi cedrus exaltata sum in Libano,*
et quasi cypressus in monte Sion;
quasi palma exaltata sum in Cades,
et quasi plantatio rosae in Iericho;
quasi oliva speciosa in campis,
et quasi platanus exaltata sum.“[2]

Deinde, duobus versibus praetermissis, eadem sapientia ita prosequitur:

„*Ego quasi terebinthus extendi ramos meos,*
et rami mei honoris et gratiae.
Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris,
et flores mei fructus honoris et honestatis.
Ego mater pulchrae dilectionis,
et timoris et agnitionis et sanctae spei.“[3]

---

[1] Vide supra Lib. I, Parte I, c. 3, § 5.

[2] Verba „*iuxta aquam in plateis*“, quae in Vulgata subsequuntur, desunt in texto Graeco, qui ita sonat: (Καὶ) ὡς ἐλαία εὐπρεπὴς ἐν πεδίῳ καὶ ἀνυψώθην ὡς πλάτανος. Ex varietate lectionum apparet hunc versiculum ex parte corruptum esse. Si metathesi facta ita legeremus: *quasi platanus exaltata sum in plateis* [vocibus *iuxta aquam* omissis] *et quasi oliva speciosa in campis*, tunc symmetria versuum illorum usque ad finem perfecta esset.

[3] *O. F. Fritzsche* in „Lib. apocryph. Vet. Test.“ p. 446 [ad vers. 23] haec adnotat: „Post hunc vs. in H. 248 Co. Vet. Lat. hocce legitur additamentum:

Iam vero hae comparationes similitudinesque quid sibi volunt, nisi quod species ac pulchritudo sapientiae Dei proprie competit? Unde sine ambagibus assentiendum est Siracidae Eccli. 6, 31 confitenti: „*Decor enim vitae est in illa.*“[1]

II. Haec tandem sapientia, quae in libris sapientialibus et tamquam persona introducitur et pulchritudine quadam admirabili praedita esse exhibetur, plane identica est cum Christo, Filio Dei. Neque tam difficile est hanc propositionem probare, dummodo ea, quae de sapientia Dei in libris sapientialibus dicta sunt, diligentius cum iis conferantur, quae de Filio Dei S. Ioannes et S. Paulus apostoli scripserunt. Atque ille quidem in prologo Evangelii a se scripti c. 1, 1 de Verbo Dei dicit: „*Et Verbum erat apud Deum,*“ ubi Filius Dei concipitur quasi assidens Patri in aequali throno eiusdem naturae divinae. Quae sententia tam venerabilis tamque communis in Ecclesia est, ut in fidei symbolo quod dicitur apostolico de Christo, Filio Dei, profiteamur: „sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis“. Nec vero aliter de sapientia Dei hagiographi librorum sapientialium loquuntur, sive eam „assistricem sedium“ Dei appellant, sive „cum Deo“ vel „coram Deo“ eam esse dicunt. Ita enim orat auctor libri Sap. 9, 1. 4: „***Deus patrum meorum . . . da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam***“; et iterum Sap. 9, 10: „***Mitte illam de caelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae***“; nam „***tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres***“ (Sap. 9, 9). Quae verba iam Salomon prolusit, cum Prov. 8, 30 illam sapientiam sic loquentem inducit: „***Cum eo*** (Deo) ***eram, cuncta componens***[2], ***et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.***“ Uterque igitur auctor mentem nostram ad prologum Evangelii secundum Ioannem facile revocat, ubi legimus c. 1, 1. 3: „***Et Verbum erat apud Deum. . . . Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.***“

Similem concentum, ne dicam coincidentiam animadvertere poteris inter librum Sapientiae et epistulam ad Hebraeos. Illic enim scil. Sap. 7, 26—27 haec tria de sapientia Dei scripta sunt: 1° „***Candor*** (ἀπαύγασμα) ***est enim lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius.*** 2° ***Et cum sit una, omnia potest.*** 3° ***Et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert; amicos Dei et prophetas constituit.***“ Hunc ipsum sententiarum ordinem S. Paulus imitatus esse mihi videtur, cum Hebr. 1, 3 ita de Christo, Filio Dei, scribit: 1° „***Qui cum sit splendor*** (ἀπαύγασμα) ***gloriae et figura substantiae eius,*** 2° ***portansque omnia verbo virtutis suae,*** 3° ***purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis***

ἐγὼ μήτηρ τῆς ἀγαπήσεως τῆς καλῆς (ἀγαθῆς H.) καὶ φόβου καὶ γνώσεως (agnitionis Vet. Lat.) καὶ τῆς ὁσίας ἐλπίδος.“

[1] Graece: Κόσμος γὰρ χρύσεός ἐστιν ἐπ' αὐτῆς, id est: „Decus enim aureum est super eam.“

[2] Hebr. וָאֶהְיֶה אֶצְלוֹ אָמוֹן, id est: „Et eram apud eum opifex.“

in excelsis.“ His igitur verbis posterioribus cum illis prioribus diligentius comparatis, statim apparet Filium Dei unigenitum, qui 1° Patri consubstantialis est et 2° mundum fecit et 3° mundum redemit, a S. Paulo cum illa sapientia Dei genita identificari atque hanc sapientiam cum illo Filio. Insuper idem apostolus, ut ne ulla quidem dubitatio relinquatur, Christum expresse vocat „Dei sapientiam“. „*Praedicamus* . . . *Christum, Dei virtutem et Dei* ***sapientiam***“ (1 Cor. 1, 24). Denique sicut sapientia Dei Sap. 7, 26 „***imago*** *bonitatis illius*“ appellatur, ita S. Paulus 2 Cor. 4, 4 de Christo scribit: „*Qui est* ***imago*** *Dei.*“[1] Christus ergo, Filius Dei, ut tandem concludamus, identicus est cum illa sapientia, quam Vetus Testamentum multis laudibus celebrat. Atqui huic sapientiae pulchritudo quaedam eminens attribuitur. Ergo etiam Christo, Filio Dei, summa pulchritudo tribuenda est. Unde ad eum spectant verba: „***Est* . . . *speciosior sole***“ (Sap. 7, 29); „*et amator factus sum formae illius*“ (Sap. 8, 2). „*Et in amicitia illius delectatio bona*“ (Sap. 8, 18); „*non enim habet amaritudinem conversatio illius nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium*“ (Sap. 8, 16).

Restat, ut summam totius huius capitis faciamus. Initio hunc proposuimus syllogismum: Attributum aliquod essentiale illi appropriatur Trinitatis personae, ad quam saltem plerique pertinent de hoc attributo loci Scripturae sacrae. Atqui pulchritudinem divinam considerantes, hucusque demonstravimus longe plerosque de pulchritudine locos Veteris Testamenti ad Christum, Filium Dei, referendos esse. Articulo enim primo huius capitis typos Veteris Testamenti ac figuras explicavimus, quibus pulchritudo Christi, Filii Dei, adumbrata fuit. Altero vero articulo exposuimus prophetarum oracula, quibus eiusdem Christi pulchritudo est praenuntiata. Ergo quod ad Vetus Testamentum attinet, pulchritudo divina Christo, Filio Dei, appropriandа est. Quid Novum Testamentum habeat, sequenti capite inquiremus.

Caput III.

Argumenta Novi Testamenti, quibus pulchritudinem Christo, Filio Dei, appropriari probatur.

S. Cyrillus Alexandrinus, ut relationem, quae inter Novum et Vetus Testamentum intercedit, declararet, Zachariam prophetam citavit c. 11, 7 dicentem: „***Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem***[2], ***et alteram vocavi Funiculum: et pavi gregem***“; quae deinde verba

[1] Ab hac opinione mea dissentit Dr. *F. Kaulen*, qui in sua Einleitung in die Heilige Schrift Alten und Neuen Testaments (ed. 4, Freiburg i. Br. 1899) p. 158 scribit: „Ob im Neuen Testament auf das Buch der Weisheit Bezug genommen wird, ist zweifelhaft.“ Et iterum in Wetzer und Welte's Kirchenlexikon (ed. 2, vol. 12, Freiburg i. Br. 1901, in articulo Buch der Weisheit) col. 1283 dicit: „Im Neuen Testamente wird das Buch der Weisheit nicht berücksichtigt.“

[2] „*Unam vocavi Decorem*“, iuxta LXX κάλλος, Hebr. נעם = gratiam.

Commentar. in Zach. ita interpretatus est: „Assumit autem virgas pastor bonus, qui ponit animam suam pro ovibus (Io. 10, 15), id est Christus, ut in ipsis pascat oves suas. . . . Nomina autem virgis sunt, uni quidem Decor, quae est Testamentum Novum, pulchrum et admiratione dignum, quod ipse Filius locutus est *speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44, 3); alteri vero Funiculus[1], id est pars, ut intelligamus legem solitam erudire separatum Dei funiculum."[2] Iam vero in Novo Testamento „pulchro et admiratione digno" Christus, Filius Dei, variis nuncupatur nominibus, e quibus tria praesertim ad causam nostram probandam maximi sunt momenti; nimirum Christus appellatur „verbum Dei", deinde „splendor gloriae Dei" vel eius sapientia (cf. § praecedentem), denique „imago Dei". Ad tria haec nomina Christi pertinet, quod S. Epiphanius Advers. haeres. lib. 3 tom. 1 (haeres. 73) scripsit: „Habemus," inquit, „ex ore duorum vel trium testium Filii secundum naturam similitudinem cum Patre comprobatam. Unus quippe sapientis sapientiam, Filium, praedicat[3]; alter Dei verbum, unigenitum Deum[4]; tertius Dei Filium imaginem affirmat[5]: adeo ut *Dei verbum*, et *sapientia*, et *imago* unum prorsus idemque significent."[6] Ex tribus igitur his cognominibus Patres Ecclesiae comprobant pulchritudinem divinam Christo, Filio Dei, iure appropriandam esse. Eorum autem argumenta, quo facilius intelligantur, dividimus

1° in exegetica,
2° in speculativa.

Articulus I.

Argumenta exegetica.

Quoniam theologiae exegeticae est, verum et plenum sacrae Scripturae sensum investigare atque explicare, Patres Ecclesiae, qui profecto sacrae Scripturae interpretes optimi habentur, nihil antiquius habuerunt, quam ut vel ipsa nomina Christi penitius inspicerent et secundum pleniorem sensum investigarent. Neque enim fortuitu factum esse putabant, ut Christo praeter alia praecipue haec tria imponerentur nomina: verbum Dei, splendor gloriae Dei, imago Dei. Quibus

---

[1] Hebr. חֲבְלִים; LXX σχοίνισμα, id est „pars" scil. funibus inclusa.

[2] *Migne*, Patr. gr. 72, 187: Λέγεται δὲ τὰς ῥάβδους ὁ ποιμὴν ὁ καλός, ὁ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θεὶς ὑπὲρ τῶν προβάτων, τουτέστι Χριστός, ἵνα ἐν αὐταῖς καταποιμάνῃ τὰ ἴδια πρόβατα. . . . Ὀνόματα δὲ καὶ ταῖς ῥάβδοις, τῇ μὲν μιᾷ Κάλλος, ἥτις ἐστὶ Διαθήκη Νέα, καλὴ καὶ ἀξιοθαύμαστος, ἣν αὐτὸς λελάληκεν ὁ Υἱός „ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων"· ἡ γε μὴν ἑτέρα Σχοίνισμα, τουτέστι μερίς, ἵνα νοῶμεν τὸν νόμον, τὸ ἀφορισθὲν τῷ Θεῷ σχοίνισμα παιδαγωγεῖν εἰωθότα.

[3] Scil. Salomon, vel potius auctores librorum sapientialium.

[4] S. Ioannes evangelista. [5] S. Paulus apostolus.

[6] *Migne*, Patr. gr. 42, 418: ὡς ἔχειν τὴν ἐπὶ στόματος δύο καὶ τριῶν μαρτύρων εἰς ἀπόδειξιν τῆς κατ' οὐσίαν πρὸς Πατέρα τοῦ Υἱοῦ ὁμοιότητος. Ὁ μὲν γὰρ τοῦ σοφοῦ τὴν σοφίαν Υἱόν· ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ τὸν Λόγον μονογενῆ Θεόν· ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ τὸν Υἱὸν εἰκόνα φησίν. Ὡς τὸν Θεοῦ Λόγον, καὶ τὴν σοφίαν, καὶ τὴν εἰκόνα ὅμοιον ἐκ πάντων.

ex nominibus qua ratione ipsam pulchritudinem Christo, Filio Dei, tribuendam esse tandem collegerint, nunc in tribus audiamus paragraphis subsequentibus.

§ 1.

Patres Ecclesiae Christo pulchritudinem tribuunt, quia „Verbum Dei" appellatur.

Nullus theologus ne dicam homo christianus est, qui nesciat Christum, Filium Dei, in sacris Scripturis Novi Testamenti saepius „Λόγον" vel „Verbum" nuncupari. Quod clarissimum Christi nomen S. Ioannes nobis tradidit praesertim in prologo Evangelii a se scripti, ubi c. 1, 1 divinitus inspiratus ita incipit: „*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*" Ipse autem apostolus hoc nomen in visionibus, quas in Apocalypsi perscripsit, cognovisse videtur, cum Apoc. 19, 13 de Christo iudice venturo haec dicit: „*Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen eius: Verbum Dei.*" Iam vero hoc Verbum quale est? speciosumne an deforme? Certissime speciosum, cum Verbum sit Dei, Verbum ipsius pulchritudinis absolutae atque per se subsistentis. Unde iterum S. Ioannes c. 1, 14 optime scribit: „*Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*"

Quod sacra Scriptura paululum obscure atque implicite indicat, id satis clare atque explicite docent Patres Ecclesiae. Ita e Graecis quidem S. Athanasius Epist. (4) ad Serap. Christum brevissime vocat „καλὸν Θεοῦ ῥῆμα", hoc est, „pulchrum Dei verbum."[1] S. Gregorius autem Thaumaturgos idem Verbum tam ineffabili pulchritudine esse testatur, ut omnes ad se alliciat. Ait enim Orat. paneg. in Origenem: „Velut ergo scintilla quaedam mediam animam nostram invadens, accendebatur et inflammabatur tum erga ipsum ineffabili pulchritudine omnes alliciens Verbum sacrum amabilissimum, tum erga virum hunc, eius amicum et interpretem, amor."[2] Item S. Basilius Homil. in Ps. 44, n. 6 Verbum Dei incomprehensibili esse pulchritudine asserit: „Verbi pulchritudo," inquit, „sapientiae species, ac Dei in ipsius imagine forma inexplicabilis est atque ineffabilis. Beati igitur, qui contemplandae verae illius pulchritudinis sunt cupidi."[3] Quo in textu animum advertas velim ad clarissima illa tria cognomina Christi, scil. „Verbi pulchritudinem, sapientiae speciem (ὡραιότητα), Dei in ipsius imagine

[1] *Migne*, Patr. gr. 26, 660.

[2] Ibid. 10, 1071: Οἷος οὖν τις σπινθὴρ ἐνσκήψας μέσῃ τῇ ψυχῇ ἡμῶν, ἀνήπτετό τε καὶ ἐξεκαίετο, ὅ τε πρὸς τὸν ἁπάντων ὑπὸ κάλλους ἀῤῥήτου ἐπακτικώτατον αὐτὸν Λόγον τὸν ἱερὸν τὸν ἐρασμιώτατον, καὶ ὁ πρὸς τὸν ἄνδρα τόνδε, τὸν αὐτοῦ φίλον καὶ προήγορον ἔρως.

[3] Ibid. 29, 402: Ἀνεκδιήγητον δὲ καὶ ἄῤῥητον τὸ τοῦ Λόγου κάλλος, καὶ ἡ τῆς σοφίας ὡραιότης, καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ εἰκόνι αὐτοῦ μορφή. Μακάριοι οὖν, οἱ τοῦ ἀληθινοῦ κάλλους φιλοθεάμονες.

formam“. Huc denique spectant, quae Clemens Alexandrinus lib. 1 Paedag. c. 11 scribit docens Christum ideo dilectum Dei Filium esse, quia „tribus rebus pulcherrimis ornatus“ sit, nimirum: „scientia, benevolentia, dicendi libertate“ (παῤῥησίᾳ, i. e. verbo libero). Dicit enim: „*Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite* (Matth. 17, 5). Fide dignus est divinus Paedagogus (scil. Verbum), tribus rebus pulcherrimis ornatus: scientia, benevolentia, dicendi libertate. Scientia quidem, quoniam est paterna sapientia; omnis enim sapientia est a Domino, et cum eo est in aevum. Dicendi autem libertate, quoniam Deus est et opifex: *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (Io. 1, 3). Benevolentia autem, quoniam solus pro nobis seipsum hostiam tradidit: *Bonus* enim *pastor animam suam dat pro ovibus suis* (Io. 10, 11).“ [1] Et hactenus Ecclesiae Patres Graeci.

Idem affirmant Patres Latini, inter quos S. Hieronymus Commentar. in epist. ad Ephes. lib. 1, c. 2 nihil maioris pretii esse iudicavit, quam videre „pulchritudinem Verbi“. „Quae enim,“ inquit, „potest esse maior hereditas, quam contemplari et videre sensu pulchritudinem sapientiae et Verbi et veritatis et luminis, et ipsius ineffabilem et magnificam Dei considerare naturam?“ [2] S. Augustinus vero Enarr. in Ps. 44, n. 3 illud de pulchritudine Verbi habet praeclarissimum: „Pulcher Deus, Verbum apud Deum: pulcher in utero virginis, ubi non amisit divinitatem et sumpsit humanitatem: pulcher natus infans Verbum; quia et cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, caeli locuti sunt, angeli laudes dixerunt, magos stella direxit, adoratus est in praesepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in caelo, pulcher in terra; pulcher in utero, pulcher in manibus parentum; pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem; pulcher deponens animam, pulcher recipiens; pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in caelo.“ [3]

§ 2.

Patres Ecclesiae Christo pulchritudinem tribuunt, quia „splendor gloriae Dei“ appellatur.

Sicuti S. Ioannes evangelista Christum, Filium Dei, optime „Λόγον“ sive „Verbum“ nuncupavit, ita S. Paulus apostolus eidem Christo imposuit cognomina et „imago Dei“ et „splendor gloriae Dei“. Ac de

[1] *Migne*, Patr. gr. 8, 368: „Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητός· αὐτοῦ ἀκούετε.“ Ἀξιόπιστος ὁ θεῖος Παιδαγωγός, τρισὶ τοῖς καλλίστοις κεκοσμημένος, ἐπιστήμῃ, εὐνοίᾳ, παῤῥησίᾳ. Ἐπιστήμῃ μέν, ὅτι σοφία ἐστὶ πατρική· πᾶσα σοφία παρὰ Κυρίου, καὶ μετ᾽ αὐτοῦ ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα. Παῤῥησίᾳ δέ, ὅτι Θεὸς καὶ δημιουργός· „Πάντα γὰρ δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν.“ Εὐνοίᾳ δέ, ὅτι μόνος ὑπὲρ ἡμῶν ἱερεῖον ἑαυτὸν ἐπιδέδωκεν· „Ὁ γὰρ ἀγαθὸς ποιμὴν τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων.“

[2] *Migne*, Patr. lat. 26, 457. [3] Ibid. 36, 480.

hoc quidem statim disseremus, quid vero de illo sentiendum sit, paragrapho explicabimus subsequente.

Quod igitur ad nomen „splendor gloriae Dei“ attinet, S. Paulus Hebr. 1, 1—3 ita scribit: „*Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio . . . qui cum sit splendor gloriae* (ἀπαύγασμα τῆς δόξης) *et figura substantiae eius . . . sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.*“ Ex quo textu imprimis sequitur, ut revera Christo, Filio Dei, nomen „splendor gloriae eius“ iure meritoque competat. Deinde satis perspicuum est hoc nomen derivatum esse a Sap. 7, 26, ubi sapientia Dei ita describitur: „*Candor est enim lucis aeternae* (ἀπαύγασμα γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου) *et speculum sine macula Dei maiestatis.*“ Nam uno textu cum altero collato, manifeste apparet S. Paulum eodem praecipue atque auctor libri Sapientiae uti vocabulo ἀπαύγασμα, quod quidem versio vulgata in libro Sapientiae „*candor*“, in epistula autem ad Hebraeos „*splendor*“ reddidit. — Sed „splendor gloriae Dei“ quid tandem aliquando significat? Ecclesiae Patres, etiamsi ex hoc nomine praeprimis colligebant Filium Patri consubstantialem esse sive „Deum de Deo, lumen de lumine“[1], quemadmodum ii, qui in synodum I Nicaenam congregati erant, sollemniter professi sunt: tamen haud ignorabant pulchritudinem quoque ac decorem eiusdem Filii illo nomine designari, sicuti e. gr. S. Cyrillus Alexandrinus, auctor hac in re quasi classicus, De ss. Trinit. dialog. 5 haec de pulchritudine Christi, Filii Dei, egregie docet: „Beatus Paulus dixit de Unigenito ipsum esse et splendorem gloriae et figuram substantiae Dei ac Patris. Siste ergo hic, et mentem ultra id omne quod factum est ferri permitte, et ipsam divinam pulchritudinem contempletur, et ineffabilem eius generationem consideret, et exsistendi modum tamquam in speculo conspiciens, laude et gloria prosequatur.“[2] Clarius autem in illa, quam Ephesi habuit, celeberrima Homilia I: „Iudaei quidem“, inquit, „Patris speciem non spectarunt, nos vero illam spectavimus in Christo. Ipse est enim illa exactissima purissimaque genitoris sui pulchritudo, figura et splendor.“[3] S. Cyrillus igitur pulchritudinem ideo Filio

[1] Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός. Cf. Enchiridion symbolorum et definitionum ed. *H. Denzinger*. Ed. 7 cur. *J. Stahl* (Wirzeburgi 1895) p. 9.

[2] *Migne*, Patr. gr. 75, 974: Ὁ μακάριος ἔφη Παῦλος περὶ τοῦ Μονογενοῦς, ὅτι καὶ ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός. Ἄνες δὴ οὖν ἔν γε τουτοισί, καὶ παντὸς ἐπέκεινα γενητοῦ μεθίει τὸν νοῦν, καὶ τὸ θεῖον αὐτὸ περιαθρείτω κάλλος, καὶ τὴν ἄῤῥητον αὐτοῦ κατασκεπτέσθω γέννησιν, καὶ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον ὡς ἐν ἐσόπτρῳ βλέπων, κατακροτείτω ταῖς εὐφημίαις.

[3] Ibid. 77, 988: Ἰουδαῖοι μὲν οὐ τεθέανται τὸ εἶδος τοῦ Πατρός· ἡμεῖς δὲ αὐτὸ ἐθεασάμεθα ἐν Χριστῷ. Ἔστι γὰρ αὐτὸς τὸ ἀκραιφνέστατον κάλλος τοῦ γεγεννηκότος, ὁ χαρακτὴρ καὶ τὸ ἀπαύγασμα. — Ἀκραιφνής est syncope ex ἀκέραιος et φανής; ἀκέραιος quidem Latine est „integer“, φανής autem „in lucem editus“. Itaque Filius τὸ ἀκραιφνέστατον κάλλος dicitur, id est „integerrima pulchritudo Patris in lucem edita“.

Dei tribuit, quia hic ab apostolo vocetur „splendor et figura Patris“. Etiam S. Ambrosius hanc sententiam saltem stringit, cum Expos. in Ps. 118, serm. 6, n. 3 ait: „Merito complacet in eo (Filio) Pater, quia Patris gloria est. Hunc qui a Patre separat, maiorem Patri iniuriam facit, quem vult esse sine gloria. Hunc quisquis aequalem Patri non putat, inferiorem et Patrem iudicat, cum alio verbo Patrem plus laudare non possit, cuius summa laus et gloria Christus est.“[1]

Quodsi Christus, Filius Dei, in sacris Scripturis Novi Testamenti praesertim in Evangelio quarto etiam „*lux*“ et „*veritas*“ appellatur, haec nomina re prorsus idem significant atque illa „*splendor*“ et „*sapientia*“, quibus S. Paulus in epistulis suis uti solet. S. Ioannes enim c. 8, 12 Iesum Christum inducit ita de seipso testantem: „*Ego sum lux mundi*“; et iterum c. 14, 6: „*Ego sum veritas.*“ Iam vero quis est, qui nesciat haec Christi nomina, si legit, unum idemque sonare; praesertim cum *lux* et *splendor* vocabula sint metaphorica, quae pro *veritate* et *sapientia* saepissime adhibentur? Unde nec mirum est, si Patres Ecclesiae pulchritudinem Christo vindicaverunt etiam propterea, quod „*lux*“ nuncupatur atque „*veritas*“. Et profecto Clemens quidem Alexandrinus lib. 2 Strom. c. 5 haec de Domino nostro scribit: „Salvator noster,“ inquit, „omnem humanam naturam superat, adeo quidem pulcher, ut a nobis solus ametur, qui veram desideramus pulchritudinem; *erat* enim *lux vera* (Io. 1, 9).“[2] S. Augustinus vero lib. 2 Confess. c. 6, ut eius verba repetamus, animum ad eandem Christi pulchritudinem intendens, Deum sic alloquitur: „Neque blandius est aliquid tua caritate, nec amatur quidquam salubrius quam illa prae cunctis formosa et luminosa veritas tua.“[3] Haec autem „prae cunctis formosa et luminosa veritas“ Dei non est nisi ille, qui a propheta laudatur „*speciosus forma prae filiis hominum*“ (Ps. 44, 3). Quam Patrum sententiam ipsa Ecclesia suam fecit, cum decorem Christi aeternum cogitans in festo ss. apostolorum Petri et Pauli ita canat:

„Decora lux aeternitatis, auream
Diem beatis irrigavit ignibus“ etc.[4]

§ 3.

Patres Ecclesiae Christo pulchritudinem tribuunt, quia „imago Dei“ appellatur.

Alterum nomen, quod S. Paulus Christo, Filio Dei, divinitus inspiratus dedit, est „imago Dei“. Scribit enim 2 Cor. 4, 4 de Iesu Christo: „*Qui est imago Dei* (εἰκὼν τοῦ Θεοῦ)“; et iterum Coloss. 1, 15:

[1] *Migne*, Patr. lat. 15, 1268.

[2] *Migne*, Patr. gr. 8, 954: Ὁ Σωτὴρ δὲ ἡμῶν ὑπερβάλλει πᾶσαν ἀνθρωπίνην φύσιν· καλὸς μὲν ὡς ἀγαπᾶσθαι μόνος πρὸς ἡμῶν, τὸ καλὸν τὸ ἀληθινὸν ἐπιποθούντων· ἦν γὰρ τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν“.

[3] *Migne*, Patr. lat. 32, 680.

[4] Breviar. Roman. pars aestiv. d. 29 Iunii ad vesp. hymn.

„*Qui est imago Dei invisibilis* (εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου)". Hic autem „Deus invisibilis" nemo alius est nisi Pater, qui nunquam visibiliter se manifestavit, sed semper „*lucem inhabitat inaccessibilem*" (1 Tim. 6, 16), ita ut „*imago Dei invisibilis*" idem significet atque imago Patris. Quodsi Christus, Filius Dei, imago Patris vocatur, hoc nomen cum sacrae Scripturae sensui optime respondet tum eiusdem Filii pulchritudinem demonstrat.

I. Et re quidem vera nomen „*imago Dei*" sensui Scripturae sacrae optime respondet, quandoquidem iam in Vetere Testamento sapientia Dei, quam ipsum Dei Filium esse supra probavimus, „imago bonitatis Dei" appellatur, cum Sap. 7, 26 scriptum sit: „*Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius* (εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ)." Quare S. Epiphanius Adv. haeres. lib. 3, tom. 1 (haeres. 73) de terminologia apostoli: „Manifestum est," inquit, „*imaginis* nomen citra passionem usurpari, et pro iisce verbis, *ego sapientia* (Prov. 8, 12), positum fuisse." [1] Sed etiam Moyses, qui Hexaëmeron descripsit, de „imagine Dei" loquitur, cum Gen. 1, 26 Deum, antequam hominem crearet, ita loquentem inducit: „*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*" [2] Quibus ex verbis Patres Ecclesiae rectissime collegerunt hominem factum esse ad imaginem Dei naturalem et aequalem, i. e. ad Filium Dei unigenitum. Ita enim S. Basilius Homil. 9 in Hexaëm n. 6 interrogat: „Cui dicit (Deus): *Ad imaginem nostram?* Cui, quaeso, alteri quam splendori gloriae et substantiae eius characteri, qui est imago Dei invisibilis?" [3] S. Augustinus vero non solum *imaginem*, sed etiam *similitudinem* ad Filium Dei refert, De genes. lib. imperf. c. 16 sic disputans: „Et dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Omnis imago similis est ei, cuius imago est; nec tamen omne, quod simile est alicui, etiam imago est eius: sicut in speculo et pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt; tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur. Cur ergo, cum dictum esset *ad imaginem*, additum est *et similitudinem*, quasi possit esse imago dissimilis? . . . Expositio ergo fortasse est,

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 42, 416: Φανερόν, καὶ ἡ εἰκὼν οὐκ ἐν πάθει, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ „Ἐγὼ ἡ σοφία", παρείληπται.

[2] LXX: Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν. Hebr.: נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ, id est: „Faciamus hominem in imagine nostra secundum similitudinem nostram." Dr. *V. Loch* et Dr. ***W. Reischl*** (Heilige Schriften des Alten und Neuen Testaments, 3. Aufl. [Regensburg 1885] 1, 3), ita in sermonem Germanicum verterunt: „Lasset uns schaffen einen Menschen nach unserem Bilde zu unserem Gleichnisse."

[3] ***Migne***, Patr. gr. 29, 208: Τίνι λέγει· Κατ' εἰκόνα ἡμετέραν; τίνι ἄλλῳ γε ἢ τῷ ἀπαυγάσματι τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρι τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἀοράτου; In Latina versione apud Migne collocationem verborum reddidi accuratiorem.

quod additum est *ad similitudinem*, cum iam dictum esset *ad imaginem*, ut ostenderetur eam, quae imago dicta est, non ita similem esse Deo, quasi alicuius similitudinis participantem, sed hanc ipsam esse similitudinem, cuius participarent omnia quae dicuntur esse similia. Sicut ipsa est et castitas, cuius participatione castae sunt animae; et sapientia, cuius participatione sapientes sunt animae; et pulchritudo, cuius participatione pulchra sunt quaecunque pulchra sunt. Si enim tantum similitudinem diceret, non significaret ab ipso esse genitam; si autem tantummodo imaginem diceret, significaret ab ipso quidem genitam, sed non significaret ita similem, ut non tantum similis, sed ipsa similitudo esset. Ut autem nihil castius ipsa castitate et nihil sapientius ipsa sapientia et nihil pulchrius ipsa pulchritudine, ita nihil similius ipsa similitudine dici aut cogitari aut esse omnino potest. Unde intelligitur ita Patri esse similem similitudinem suam, ut eius naturam plenissime perfectissimeque impleat.“ [1] Qua re bene intellecta iam apparet verba S. Pauli intime connexa esse cum verbis Gen. 1, 26 necnon cum verbis Sap. 7, 26. Quodsi idem apostolus Christum alibi „formam Dei“ appellat: „*Qui, cum in forma Dei esset*“ (Phil. 2, 6); sive etiam „figuram Dei“: „*Qui, cum sit . . . figura substantiae eius*“ (Hebr. 1, 3): haec nomina per se idem significant, quod „*imago Dei*“. Id ipsum S. Hilarius De Trinit. lib. 2, n. 8 testatur: „Est enim (Christus),“ inquit, „progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero ... virtutis virtus, sapientiae sapientia, gloria gloriae, imago invisibilis Dei, forma Patris ingeniti“ [2]; vel ut lib. 3, n. 23 ait: „Omnia enim Filius accepit a Patre, et est Dei forma et imago substantiae eius.“ [3] In „forma Dei“ autem si Christum contemplamur, statim formositatem eius nobis in mentem venire oportet, praesertim cum Ps. 44, 3 „*speciosus forma* (ὡραῖος κάλλει)“ exhibeatur.

II. Sed ad huius argumentationis initium revertentes quaeramus, quomodo pulchritudo Christi ex eo, quod „*imago Dei*“ vocatur, probari possit. Hoc autem fieri potest dupliciter, tum argumento rationis tum doctrina Patrum Ecclesiae. Ac primum quidem hoc statuimus argumentum rationis: Omnis imago similis est ei, cuius est imago. Iam vero Christus est „*imago Dei*“; Deus autem, ut late supra demonstravimus, summae est pulchritudinis. Ergo etiam „*imago Dei*“, id est Christus, summae pulchritudinis esse indicandus est.

Deinde, ut doctrinam Patrum Ecclesiae explicemus, Origenes lib. 6 Contr. Cels. n. 69 dicit Filium Dei pulchram imaginem Patris esse: „Nostra sententia,“ inquit, „non est solum rerum omnium Deum ac Patrem esse magnum: suae enim magnitudinis participem fecit Unigenitum et Primogenitum omnis creaturae; ut, qui imago est invisibilis Dei, is etiam magnitudine Patris imaginem referret. Fieri enim non

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 242. [2] Ibid. 10, 57. [3] Ibid. 10, 92.

poterat, ut pulchra imago esset et Deo invisibili responderet, quae magnitudinis imaginem non praeberet."[1] Itaque Filius „pulchra imago Patris" est, quia perfectionem Patris adeo in se exprimit et repraesentat, ut nihil omnino ab illa differat; id quod S. Gregorius Nyssenus De hom. opif. c. 16 sic declarat: „Imago, si principis exempli similitudinem refert, vere imago dicitur; sin ab eo, quod exprimendum fuit, imitatio recedit, non iam eius esse imago putandum hoc erit, sed diversum quiddam."[2] Hinc pluribus interiectis: „Quod si porro imago expressam pulchritudinis prototypae figuram ita repraesentet, ut nihil ab ea prorsus differat, non iam illam imaginem fore, sed ipsam eandemque rem, quae nulla sui parte discerni a se ipsa possit."[3] Talis autem imago Patris praecise est in Filio, cuius est cum Patre „una divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas."[4] Unde merito in Ecclesia Latina S. Ambrosius Expos. Evang. sec. Luc. lib. 10, n. 49 de Christo, quatenus „*imago Dei*" appellatur, haec habet: „Solus Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternae claritudinis unitatem."[5] Sed inter omnes Ecclesiae Patres praeeminet quasi auctor classicus S. Cyrillus Alexandrinus, cum doceat Filium Dei non analogam, sed verissimam esse Patris imaginem, quippe quae „eximiam Dei ac Patris pulchritudinem" ostendat, coruscans „in proprio decore genitoris naturam". „Quapropter non externis dignitatibus," inquit Expos. in Io. Evang. lib. 9, „Filius nobis ad Patris aequalitatem formatur, neque velut in tabula quapiam regis speciem ac formam mentitur sola colorum varietate depictus, sed character et imago revera genitoris est, in propriis ac naturalibus bonis Patris naturam manifestans."[6] Etenim Glaph. in Exod. lib. 2 dicit: „*Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (Matth. 11, 27). Ostendit itaque nobis eximiam Dei ac Patris pulchritudinem Unigenitus, seipsum veluti splendidam repraesentans ima-

[1] ***Migne***, Patr. gr. 11, 1403: Οὐ μόνος δὲ μέγας καθ' ἡμᾶς ἐστιν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς καὶ Πατήρ· μετέδωκε γὰρ ἑαυτοῦ καὶ τῆς μεγαλειότητος τῷ Μονογενεῖ καὶ Πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως· ἵν', εἰκὼν αὐτὸς τυγχάνων τοῦ ἀοράτου Θεοῦ καὶ ἐν τῷ μεγέθει σώζῃ τὴν εἰκόνα τοῦ Πατρός. Οὐ γὰρ οἷόν τ' ἦν εἶναι σύμμετρον, ἵν' οὕτως ὀνομάσω, καὶ καλὴν εἰκόνα τοῦ ἀοράτου Θεοῦ, μὴ καὶ τοῦ μεγέθους παριστᾶσαν τὴν εἰκόνα.

[2] Ibid. 44, 179: Ἡ γὰρ εἰκών, εἰ μὲν ἔχει τὴν πρὸς τὸ πρωτότυπον ὁμοιότητα, κυρίως τοῦτο κατονομάζεται. Εἰ δὲ παρενεχθείη τοῦ προκειμένου ἡ μίμησις, ἄλλο τι, καὶ οὐκ εἰκὼν ἐκείνου τὸ τοιοῦτόν ἐστι.

[3] Ibid. 44, 183: Ἐν πᾶσι τοίνυν τῆς εἰκόνος τοῦ πρωτοτύπου κάλλους τὸν χαρακτῆρα φερούσης, εἰ μὴ κατά τι τὴν διαφορὰν ἔχῃ, οὐκέτι ἂν εἴη πάντως ὁμοίωμα, ἀλλὰ ταὐτὸν ἐκεῖνο διὰ πάντων ἀναδειχθήσεται, τὸ ἐν παντὶ ἀπαράλλακτον.

[4] Cf. „symbolum Athanasianum".

[5] ***Migne***, Patr. lat. 15, 1816.

[6] ***Migne***, Patr. gr. 74, 195: Οὐκοῦν οὐ τοῖς ἔξωθεν ἀξιώμασιν ὁ Υἱὸς ἡμῖν εἰς τὴν τοῦ Πατρὸς ἰσότητα σχηματίζεται, καὶ οὐ καθάπερ τις ἐν πίνακος γραφῇ, μόναις ἡμῖν ταῖς τῶν χρωμάτων βαφαῖς καταποικίλλεται, τὴν τοῦ βασιλέως πλαττόμενός τε καὶ ψευδόμενος μορφήν, ἀλλ' ἔστι χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν ἀληθῶς τοῦ τεκόντος αὐτόν, ἐν ἰδίοις καὶ φυσικοῖς ἀγαθοῖς τὴν τοῦ Πατρὸς φύσιν ἐμφανῆ καθιστάς.

ginem.“ [1] Porro quia Christus non solum „*imago Dei*“, verum etiam, quod in idem recidit, „*signaculum*“ et „*figura* (χαρακτήρ) *substantiae eius*“ nominatur, idem Cyrillus Comment. in Aggaeum proph. similiter argumentatur, dicens: „*Et ponam te quasi signaculum* (Agg. 2, 24)[2]. Filius enim Dei et Patris signaculum est, totam eius et perfectam similitudinem continens et in proprio decore genitoris naturam coruscans.“ [3] Quod denique alterum nomen, „*figura substantiae eius*“ (Hebr. 1, 3), attinet, De ss. Trinit. dialog. 5 iterum ait: „Paulus Deo afflatus Filium nobis nominavit unigenitum, ac praeterea imaginem et similitudinem Patris, et figurae comparat propter omnimodam, ut reor, pulchritudinem et accuratissimam similitudinem.“ [4]

Nos itaque tribus paragraphis praecedentibus demonstravimus pulchritudinem Christo, Filio Dei, proprie tribuendam esse, quoniam in Novo Testamento appellatur „Verbum Dei“, „splendor gloriae Dei“, „imago Dei“. Quae argumenta omnia breviter in unum complecti videtur S. Cyrillus Alexandrinus, Expos. in Io. Evang. lib. 1, c. 1 ita scribens: „*In principio erat Verbum*. . . . Et si tempus nullum erat, quando absque Verbo et sapientia et figura et splendore erat Pater, simul etiam fateri necesse est aeternum esse Filium, qui haec est aeterno Patri. Quomodo enim omnino est figura aut quomodo imago exacta, nisi ad illam expressus videatur pulchritudinem, cuius etiam est imago?“ [5] Ergo ex sacris Scripturis tam Novi quam Veteris Testamenti satis probari potuit pulchritudinem divinam Christo, Filio Dei, appropriandam esse.

Articulus II.

Argumenta speculativa.

Postquam argumenta de pulchritudine Christi magis exegetica exposuimus, proponenda iam sunt argumenta speculativa; nam speculatio theologica ibi incipere solet, ubi positiva quae dicitur theologia rem in

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 69, 466: . . . Παρέδειξε τοίνυν ἡμῖν τὸ ἐξαίρετον κάλλος τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ὁ Μονογενής, ἑαυτὸν ὥσπερ λαμπρὰν ἀναθεὶς εἰκόνα.

[2] LXX: Καὶ θήσομαί σε ὡς σφραγῖδα. Hebr.: וְשַׂמְתִּיךָ כַּחוֹתָם, quae verba primarie de Zorobabel, filio Salathiel, dicta sunt, ratione autem prototypi etiam de Christo.

[3] *Migne*, Patr. gr. 71, 1062: . . . Σφραγὶς γὰρ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ὁ Υἱός, ὅλην αὐτοῦ καὶ ἀκραιφνῆ τὴν ὁμοίωσιν ἔχων καὶ ἐν ἰδίῳ κάλλει τὴν τοῦ γεννήσαντος ἀστράπτων φύσιν.

[4] Ibid. 75, 942: Υἱὸν δὲ ἡμῖν ὁ θεοκλυτήσας Παῦλος ὠνόμασε τὸν Μονογενῆ, καὶ μὴν εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν τοῦ Πατρός, καὶ ἐν χαρακτῆρος δέχεται τάξει, διὰ τὸ εἰσάπαν, οἶμαί που, περικαλλὲς καὶ ὡς ἔνι μάλιστα λεπτὸν καὶ ἠκριβωμένον εἰς ἐμφέρειαν.

[5] Ibid. 73, 28: Καὶ εἰ χρόνος ἦν οὐδείς, ὅτε Λόγου χωρὶς καὶ σοφίας καὶ χαρακτῆρος καὶ ἀπαυγάσματος ἦν ὁ Πατήρ· ἀνάγκη συνομολογεῖν ἀΐδιον ὑπάρχειν τὸν Υἱόν, ὅς ταῦτά ἐστι τῷ ἀϊδίῳ Πατρί. Πῶς γὰρ ὅλως ἐστὶ χαρακτήρ, πῶς δὲ εἰκὼν ἀκριβής, εἰ μὴ πρὸς ἐκεῖνο μεμορφωμένος ὁρᾶται τὸ κάλλος, οὗ καὶ ἔστιν εἰκών;

medio relinquit. Quod studium eo spectat, ut res, quae ex fontibus revelationis positiva methodo haustae sunt, interiore ratione perspicere et sanae philosophiae principiis penetrare conemur, in quantum infirmitas intellectus humani patitur. Dubium autem non est, quin res, de qua hic agitur, speculativa methodo considerari possit, praesertim cum quaestio imprimis eo redeat, utrum cum Christi pulchritudine stet necne illa S. Augustini definitio philosophica: „Pulchritudinis forma unitas est." Deinde vero illa quoque referenda sunt praeclare dicta, quibus Patres Ecclesiae pulchritudinem Christo, Filio Dei, expressis verbis appropriaverunt, etsi talia in sacra Scriptura non reperiuntur.

§ 1.

An cum pulchritudine Filii Dei congruat illa S. Augustini definitio: „Pulchritudinis forma unitas est."

Causam velut intrinsecam, cur pulchritudo Christo, Filio Dei, appropriandа sit, Patres Ecclesiae hactenus non attulerunt. Neque hoc admodum mirum est, cum Patres intimam pulchritudinis naturam perscrutati non sint excepto S. Augustino, qui Epist. ad Caelestin. naturam pulchritudinis recte ita definivit: „Omnis pulchritudinis forma unitas est."[1] Qua ex definitione hanc deduximus alteram: Pulchritudo est multitudinis debitae debita unitas, quae visa placet. Iam vero quaestio est, an haec definitio etiam cum illa congruat pulchritudine, quae Christo, Filio Dei, proprie attribuitur. Et re vera, quod quidem ad multitudinem debitam pertinet, omnia in Filio Dei sunt ut in causa exemplari et efficiente, cum de eo scriptum sit Io. 1, 3: „*Omnia per ipsum facta sunt*"; et iterum Hebr. 1, 3: „*Portansque omnia verbo virtutis suae*"; denique Eph. 1, 22: „*Et omnia subiecit* (Pater) *sub pedibus eius.*" Quod vero ad debitam unitatem attinet, Christus, praeterquam quod unicum Verbum Dei Patris est eiusque Filius „unigenitus" (Io. 1, 18), de se ipse Io. 10, 30 testatur: „*Ego et Pater unum sumus*", id est, Patris et Filii una eademque est natura divina, qua nihil magis unum cogitari potest. Utrumque autem confirmat S. Thomas Aquinas (S. th. 1. qu. 34, a. 3 c) dicens: „Quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unicum verbum eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum." Ergo definitio pulchritudinis in Christum, Filium Dei, optime quadrat.

Sed praeclariora sunt, quae S. Augustinus et iam S. Ambrosius de hac re docuerunt. Atque ille quidem pulchritudinem Filio Dei ideo appropriari censet, quia Filius et unitatem naturae Patris „plenissime perfectissimeque impleat", et „forma omnium sit summe implens unum". Ait enim De ver. relig. c. 36: „Si corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud unum, quod convincuntur imitari, a quo Principio

[1] Cf. Lib. I, Parte I, c. 3, § 5.

unum est quidquid est, ad cuius similitudinem quidquid nititur, naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus, quidquid ab unitate discedit atque in eius dissimilitudinem tendit: datur intelligi esse aliquid, quod illius unius solius, a quo Principio unum est quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit, ut hoc omnino impleat ac sit idipsum; et haec est Veritas et Verbum in Principio, et Verbum Deus apud Deum."[1] Unde pluribus praetermissis c. 43 ita prosequitur: „Summe unus est Pater Veritatis, Pater suae Sapientiae, quae nulla ex parte dissimilis similitudo eius dicta est et imago, quia de ipso est. Itaque etiam Filius recte dicitur ex ipso, cetera per ipsum. Praecessit enim forma omnium summe implens unum de quo est, ut cetera quae sunt, in quantum sunt uni similia, per eam formam fierent."[2] Quam sententiam supra (§ 3 articuli praecedentis) iam attigit, De genes. lib. imperf. c. 16 illud explanans: „*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*"; ubi, postquam et *imaginem* et *similitudinem* ad unum Dei Filium pertinere explicavit, sub finem ait: „Nihil similius ipsa similitudine dici aut cogitari aut esse omnino potest. Unde intelligitur ita Patri esse similem similitudinem suam (scil. Filium), ut eius naturam plenissime perfectissimeque impleat." Brevis igitur S. Augustini doctrina haec est: „Omnis pulchritudinis forma est unitas." Atqui Filius Dei est „forma omnium summe implens unum." Ergo Filius Dei summa est pulchritudo; ideoque pulchritudo eidem appropriatur. — Ceterum S. Augustinus sententiam suam a S. Ambrosio accepisse aut derivasse videtur, quippe qui, ut eius verba repetamus, Expos. Evang. sec. Luc. lib. 10, n. 49 de Christo dicat: „Solus Christus", inquit, „est plena imago Dei propter expressam in se paternae claritudinis unitatem."[3] Immo quod maiore fortasse admiratione dignum est, lib. 6 Hexaëm. c. 7 egregie ait: „Imago Dei est solus ille, qui dixit: *Ego et Pater unum sumus;* ita habens similitudinem Patris, ut divinitatis et plenitudinis habeat unitatem."[4] S. Ambrosius igitur Christum confitetur divinae plenitudinis habere unitatem, quae verba accuratissime respondent pulchritudinis definitioni a nobis statutae, nempe: Pulchritudo est multitudinis (vel plenitudinis) debitae debita unitas, quae visa placet. Itaque S. Ambrosii auctoritate et nostra definitio pulchri et tota haec de pulchritudine Christi argumentatio satis confirmatur. Quibus explicatis non est, quod miremur, si Patres pulchritudinem Filio Dei appropriant etiam verbis expressis.

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 34, 151.
[2] Ibid. 34, 159.
[3] Cf. supra § 3, n. 2 articuli praecedentis.
[4] *Migne*, Patr. lat. 14, 257.

§ 2.

Patres Ecclesiae quibus verbis expressis pulchritudinem Filio Dei approprient.

Omnium primus, qui pulchritudinem Christo, Filio Dei, expresse appropriavit, S. Hilarius fuit, episcopus Pictaviensis; etenim, cum propria singularum in divina Trinitate personarum significare brevissima formula vellet, notissimum illud protulit: „Infinitas in aeterno, species in imagine, usus in munere.“ Haec autem dicit De Trinit. lib. 2, n. 1, quem totum locum exscribimus: „Unus“, inquit, „est Deus Pater, ex quo omnia; et unus Unigenitus, Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia; et unus Spiritus, donum in omnibus. Omnia ergo sunt suis virtutibus ac meritis ordinata: una potestas, ex qua omnia; una progenies, per quam omnia; perfectae spei munus unum. Nec deesse quidquam consummationi tantae reperietur, intra quam sit, in Patre et Filio et Spiritui sancto, infinitas in aeterno, species in imagine, usus in munere.“[1] S. Hilarius igitur, quemadmodum „aeterno“, i. e. Patri, infinitatem et „muneri“, i. e. Spiritui sancto, usum sive fruitionem attribuit; ita speciem sive pulchritudinem appropriavit „imagini“, i. e. Filio Dei. Confer 2 Cor. 4, 4: „*Qui est imago Dei.*“ S. Augustinus vero sententiam S. Hilarii clarissimam ita suam fecit, ut phrasim hanc „Infinitas in aeterno“ inopportune commutaret in alteram „Aeternitas in Patre“; qua in re tota Schola medii aevi caeco quodam impetu S. Augustinum secutus est. Is ergo S. Hilarium ipsum citans, haec habet lib. 6 De Trinit. c. 10: „***Aeternitas,*** inquit (scil. Hilarius), ***in Patre, species in imagine, usus in munere***[2]. Et quia non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum et assertione fidei vir exstitit; Hilarius enim hoc in libris suis posuit; horum verborum, id est, Patris et imaginis et muneris, aeternitatis et speciei et usus, abditam scrutatus intelligentiam quantum valeo, non eum secutum arbitror in aeternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem, de quo sit. Filius autem de Patre est, ut sit atque ut illi coaeternus sit. Imago enim, si perfecte implet illud, cuius imago est, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae. In qua imagine speciem nominavit, credo, propter pulchritudinem, ubi iam est tanta congruentia et prima aequalitas et prima similitudo, nulla in re dissidens et nullo modo inaequalis et nulla ex parte dissimilis, sed identidem respondens ei, cuius imago est.“ Alias quoque causas, cur pulchritudo Filio Dei proprio attribuenda sit, afferens S. Augustinus ita prosequitur: „Ubi (scil. in Filio) est prima et summa vita, cui non est aliud vivere et aliud esse, sed

[1] *Migne*, Patr. lat. 10, 50.

[2] Ita potius dicendum esse videtur: Aeternitas in Patre, species in Filio, usus in Spiritu sancto; aut ita pulchrius cum S. Hilario: „Infinitas in aeterno, species in imagine, usus in munere“; non vero ut S. Augustinus dicit: „Aeternitas in Patre, species in imagine, usus in munere.“

idem est esse et vivere: et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere et aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc vivere, hoc esse est, unum omnia: tamquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum[1] viventium incommutabilium, et omnes unum in ea[2], sicut ipsa unum de uno, cum quo unum."[3] Paucis tandem post: „In illa enim Trinitate summa origo est rerum omnium, et perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio."[4] Ergo secundum S. Augustinum Pater est summa origo, Filius perfectissima pulchritudo, Spiritus sanctus beatissima delectatio.

Etiam scholae medii aevi illud S. Hilarii multis commentariis interpretatae sunt, eo tamen successu, ut difficillimam de pulchritudine divina quaestionem vix multum promoverent. Ac S. Thomas quidem, princeps Scholasticorum, (S. th. 1, qu. 39, a. 8 ad 1) haec scribit: „Secundum ... considerationem, qua consideratur absolute Deus secundum esse suum, sic sumitur appropriatio Hilarii, secundum quam ***aeternitas*** appropriatur Patri[5], ***species*** Filio, ***usus*** Spiritui sancto. ***Aeternitas*** enim, in quantum significat esse non principatum, similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium non de principio. ***Species*** autem sive pulchritudo habet similitudinem cum proprio Filii; nam ad pulchritudinem tria requiruntur: Primo quidem integritas sive perfectio: quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; et debita proportio sive consonantia, et iterum claritas; unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur. — Quantum igitur ad primum, similitudinem habet cum proprio Filii, in quantum est Filius habens in se vere et perfecte naturam Patris. Unde ad hoc innuendum Augustinus in sua expositione, lib. 6 de Trinit. cap. 10, paulo a princ., dicit: ***Ubi***, scilicet in Filio, ***summa et perfecta vita est***, etc. — Quantum vero ad secundum, convenit cum proprio Filii, in quantum est imago expressa Patris. Unde videmus quod aliqua imago dicitur esse pulchra, si perfecte repraesentat rem, quamvis turpem. Et hoc tetigit Augustinus, loco nunc proxime cit., cum dicit: ***Ubi est tanta convenientia et prima aequalitas***, etc. — Quantum vero ad tertium, convenit cum proprio Filii, in quantum est Verbum, quod quidem lux est et splendor intellectus, ut Damascenus dicit lib. 3 de Fid. orthod. cap. 3, parum ante med. Et hoc tangit Augustinus, loco nunc proxime dicto, cum dicit: ***Tamquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quaedam omnipotentis Dei***, etc."

---

[1] „Rationum", i. e. idearum.

[2] Huic igitur „arti divinae" convenit definitio: Pulchritudo est multitudinis debitae debita unitas.

[3] *Migne*, Patr. lat. 42, 931.

[4] Ibid. 42, 932.

[5] S. Hilarius non dixit: „Aeternitas in Patre", sed: „Infinitas in aeterno" etc.

S. Thomas, licet in hac expositione commentarium S. Augustini supra citatum ex parte proferat, tamen veram eius sententiam de pulchritudine minime assequitur. Ille enim omnis pulchritudinis naturam simpliciter revocat ad notionem unitatis, ita definiens: „Omnis pulchritudinis forma unitas est“, dum Doctor angelicus e contra tria pulchritudinis statuit requisita, de quibus quid tenendum sit, iam supra (Lib. 1, Parte I, c. 3, § 3) exposuimus. Praeterea difficile intelligitur, cur ex tribus nominibus Christi: **Filius, imago, Verbum**, etiam tria elementa pulchritudinis efflorescant. Quomodocunque autem peculiaris expositio S. Thomae super illud S. Hilarii accipiatur, certum omnino est doctores Scholae[1] eam unanimiter secutos esse sententiam, secundum quam pulchritudo Christo, Filio Dei, simpliciter approprianda est. Totam ergo hanc de appropriatione pulchritudinis quaestionem optime concludere licet cum S. Augustino Epist. (11) ad Nebrid. ita scribente: „Species proprie Filio tribuitur.“[2]

CAPUT IV.

An pulchritudo Christo tribuenda sit, quatenus est homo.

Iesum Christum non tantum „Filium Dei“, sed etiam „Filium hominis“ nominari, in sacris Scripturis Novi Testamenti saepissime legimus, veluti post transfigurationem eius, cum (Matth. 17, 9) discipulos suos ita sit allocutus: „*Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis* (ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) *a mortuis resurgat.*“[3] Quapropter et Ecclesia in symbolo „Athanasiano“ confitetur: „Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus et homo est . . . perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens“. Iam vero pulchritudinem Christo appropriari, in quantum Deus est, diligentius hucusque demonstravimus. Restat ergo, ut nunc quaeramus, utrum etiam Christo, quatenus est homo, pulchritudo ac formositas attribuenda sit. Haec autem quaestio iterum duplex est, quandoquidem in symbolo Christus dicitur „perfectus homo

1° ex anima rationali et

2° humana carne subsistens“.

Quaeritur itaque primum, utrum Christi anima rationalis eximia fuerit **pulchritudine**; deinde, num etiam caro humana sive corpus Christi **venustate** quadam emicuerit.

---

[1] S. Bonaventura Breviloqu. Parte 1, c. 6 de appropriatione S. Hilarii haec habet: „Et quia summe unum est summe primum, quia caret omni inceptione; et quia summe verum est summe aequale et pulchrum; et quia summe bonum est summe utile et proficuum; hinc oritur . . . appropriatio Hilarii, quae est: *Aeternitas in Patre* (!), quia non habet principium, sed est omnino primum; *species in imagine*, id est in Verbo, quia summe pulchrum; *usus in munere*, id est in Spiritu sancto, quia summe proficuum et communicativum.“ [S. Bonaventurae Breviloquium opera et studio P. Antonii Mariae a Vicetia. Ed. 2. Friburgi Brisgoviae 1881.]

[2] *Migne*, Patr. lat. 33, 76.

[3] Vide etiam Matth. 8, 20; 9, 6; 10, 23 etc.

An Christi anima humana eximia fuerit pulchritudine.

Quaestio tripliciter comprobari potest. Sive enim anima Christi humana consideratur in virtutibus, quibus fere innumeris pollebat; sive in gratiis charismatibusque, quibus uberrime abundabat; sive denique in unione hypostatica, in quam mirandum in modum assumpta est: semper facile cognoscitur eam egregia pulchritudine praeditam fuisse. Et percurramus singula.

I. Ac prima quidem ratio, cur anima Christi pulchritudine carere minime potuerit, in eo sita est, quod et omnibus virtutibus exornata fuit et a qualibet foeditate peccati alienissima. Quis sane hominum a peccato vel levissimo magis abhorrebat ideoque mundior et sanctior unquam erat, quam *„homo Christus Iesus“* (1 Tim. 2, 5), qui est *„sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior caelis factus“* (Hebr. 7, 26)? Neque enim fecisse Christum ullum peccatum neque novisse S. Petrus et S. Paulus expresse testantur, ille quidem cum in prima sua epist. 2, 22 scribat: *„Christus . . . qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius“*; hic vero 2 Cor. 5, 21: *„qui non noverat peccatum,“* sed semper fuit χωρὶς ἁμαρτίας, i. e. *„absque peccato“* (Hebr. 4, 15). Hanc ob causam ipse Dominus Io. 8, 46 adversarios suos his provocare non dubitavit verbis: *„Quis ex vobis arguet me de peccato?“* Iam vero ubi peccati perturbatio cuiusvis ac foeditas abest, ibi sponte sua spiritualis apparet pulchritudo puritatis atque sanctitatis. Quae bene intellexit S. Ephraem Syrus, cum Carm. Nisib. carm. 27, str. 8, ut iam citavimus, Christum Dominum sic alloquitur: „Revera quidem tu et mater tua soli estis, qui omni ex parte omnino pulchri estis; non enim in te, Domine, labes est“ etc. Similiter Hymn. I de crucif. str. 5 munditiam illius una cum pulchritudine coniungens canit: „Decor eius ac pulchritudo non placuerunt filiae Sion; eius autem puritas maxime illi molesta fuit. . . . Subdole dehonestavit sponsum suum, ut obsequium praestaret adulteris.“ [1] — Neque tamen libera solum a quovis peccato utut levissimo anima Christi erat, sed etiam omnibus exornata virtutibus, velut sapientia, iustitia, temperantia, fortitudine, patientia, humilitate, castitate, mansuetudine, caritate ac veracitate erga omnes homines. Cum autem ex singulis virtutibus magnum decorem spiritualem interno quasi impetu efflorescat, ut supra (Lib. I. Parte II. c. 2, § 2) fuse demonstravimus, anima Christi humana, quippe cui omnes virtutes gradu summo conveniant, summa ex eis pullulante praedita est pulchritudine. Quae venustas eo praestantior sit oportet, quo aptior illarum virtutum inter se harmonia ac proportio apparet, teste S. Basilio, qui Homil. in Ps. 29 merito ait: „Pulchra sane est

[1] *Lamy,* S. Ephraem Syri hymni et sermones I, 638.

omnis anima, quae in symmetria propriarum virtutum conspicitur."[1] Quaenam autem anima virtutum symmetriam maiorem exhibet quam anima Christi, ex qua tamquam speculo purissimo exemplar omnium virtutum resplendeat supremum ac pulcherrimum? Plenissimo ergo sensu de ea verificatur illud S. Ambrosii lib. 2 De off. c. 13: „Admirabilis et praeclara forma virtutum est."[2]

II. Sed anima Christi, quemadmodum omnes alias virtutibus et maximis et pulcherrimis longe superavit, ita etiam uberrima pollebat abundantia gratiarum atque charismatum. E gratia autem divina quale novum et supernaturale genus pulchritudinis spiritualis oriatur, supra (Lib. II, Parte II, c. 1, art. 2, § 2 A b) cum Patribus Ecclesiae diligenter probavimus. Hinc iam obscuram saltem coniecturam capere licet, quanti splendoris atque decoris anima Christi fuerit, in qua quidem gratia integra et universa erat vel potius plenitudo gratiarum, plenitudo charismatum, plenitudo Spiritus sancti, prout Isaias propheta c. 11, 2—3 de Christo vaticinatus est: „*Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.*" Manifesto autem haec facta sunt, cum Iesus a Ioanne baptizaretur: nam scriptum est Matth. 3, 16: „*Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei caeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se*", vel ut S. Marcus 1, 10 habet: „*et manentem in ipso.*" Quare S. Lucas 4, 1 testatur: „*Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane.*" Nec vero S. Ioannes plenitudinem gratiae reticet, quae Christo infuerit, 1, 14 dicens: „*Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae.*" Atque hanc ipsam doctrinam Evangelistarum ad amussim secuti sunt Ecclesiae Patres, e quibus praesertim S. Ioannes Chrysostomus Expos. in Ps. 44, n. 2 de gratia in Christo abundante ita disseruit: „*Diffusa est gratia in labiis tuis. . . .* Quae est autem haec gratia, per quam docuit, per quam fecit miracula? Gratiam hic dicit eam, quae venit ad carnem (i. e. ad Christum, quatenus homo est): *Super quem*, inquit, *videris Spiritum descendentem quasi columbam et manentem super eum, hic est qui baptizat* (Io. 1, 33). Omnis enim gratia effusa est in illud templum; non enim in mensura dat illi spiritum. Nos quidem de plenitudine eius accepimus, illud autem templum integram et universam accepit gratiam. Hoc Isaias quoque significans dicebat: *Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiae et pietatis; spiritus timoris Dei implebit eum.* Sed illic quidem est integra et universa gratia, in hominibus autem parum quid et gutta de illa gra-

[1] Cf. supra Lib. I, Parte I, c. 3, § 2, n. 3.
[2] *Migne*, Patr. lat. 16, 119.

tia."[1] Dubitari igitur nequit, quin Christi anima plenitudinem omnis gratiae habuerit. Iam vero, ut argumentum perficiamus, theologi unanimi ac constanti consensu docent gratiam divinam tanta splendere pulchritudine tantumque conferre decorem, ut nulla alia res in terris quantumvis pulchra cum illa comparari possit. Ergo anima Christi humana, quippe quae gratiarum sit plena, tam incomparabilis pulchritudinis sedes esse debet, ut omnes angelos, omnes homines omnesque creaturas, in quantum pulchrae sunt, non minus superet, quam sol splendore ac iubare suo stellas obscurat universas.

III. Denique anima Christi decora est illa pulchritudine, quae ipso sole dilucidior profluit ex „unione hypostatica". Atque haec quidem pulchritudo, quamvis inter omnes, ut ita dicam, pulchritudines creatas summum gradum teneat, tamen oculos mentis humanae tanto fugit, quanto profundum atque absconditum est totum incarnationis mysterium. Ut autem quomodocunque attingatur, expedit illud repetere quasi axioma, quod supra (Lib. II, Parte II, c. 1, a. 2 in princ.) ita pronuntiavi: Res quaedam, quo propius ad Deum, ipsum pulchri fontem, accedit, eo pulchrior fiat necesse est. Quis autem magis Deo unquam appropinquavit quam anima Christi humana, quae cum secunda Trinitatis divinae persona intime et inseparabiliter unita est? Ergo etiam hanc incredibili quadam pulchritudine esse nemo est, qui serio neget. Quin immo anima Christi eo pulchritudinis atque gloriae pervenit, ut post Deum pulcherrimum secundum locum obtineat, quemadmodum S. Bernardus innuere videtur, cum lib. 5 De consid. c. 9 praeclare doceat: „Idem me sentire fateor," inquit, „et de illa unitate, cui secundum ab ista (scil. Trinitatis) inter cetera Una honorem dedi. Dico in Christo Verbum, animam et carnem sine confusione essentiarum unam esse personam, et item absque praeiudicio personalis unitatis in sua numerositate manere. Nec negaverim hanc ad illud quoque genus unitatis pertinere, qua anima et caro unus est homo. Decuit quippe familiarius similiusque cum hominis convenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit et cum summa, quae in Deo est et Deus est, unitate congruere, ut quomodo ibi tres personae una essentia, ita hic convenientissima quadam contrarietate tres essentiae sint una persona. Videsne pulchre inter utramque unitatem hanc collocari; in eo utique, qui constitutus est mediator Dei

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 55, 185: „Ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσί σου". . . . Τίς δέ ἐστιν αὕτη ἡ χάρις, δι' ἧς ἐδίδασκε, δι' ἧς ἐθαυματοποίει; Τὴν χάριν ἐνταῦθα λέγει τὴν ἐλθοῦσαν ἐπὶ τὴν σάρκα· „Ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα, φησί, καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν καὶ μένον ἐπ' αὐτόν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων." Πᾶσα γὰρ ἡ χάρις ἐξεχύθη εἰς τὸν ναὸν ἐκεῖνον· οὐ γὰρ ἐν μέτρῳ δίδωσιν ἐκείνῳ τὸ πνεῦμα. Ἡμεῖς μὲν γὰρ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἐλάβομεν· ὁ δὲ ναὸς ἐκεῖνος ὁλόκληρον τὴν χάριν ἔλαβε. Τοῦτο καὶ ὁ Ἡσαΐας δηλῶν ἔλεγεν· „Ἀναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν πνεῦμα σοφίας καὶ συνέσεως, πνεῦμα βουλῆς καὶ ἰσχύος, πνεῦμα γνώσεως καὶ εὐσεβείας· πνεῦμα φόβου Θεοῦ ἐμπλήσει αὐτόν." Ἀλλ' ἐκεῖ μὲν ὁλόκληρος ἡ χάρις· ἐπὶ δὲ τῶν ἀνθρώπων μικρόν τι, καὶ ῥανὶς ἀπὸ τῆς χάριτος ἐκείνης.

hominisque homo Christus Iesus? Pulcherrima, inquam, convenientia, ut salutare sacramentum congrua quadam similitudine ambobus respondeat, et salvanti videlicet et salvato. Ita haec unitas duarum consistens media unitatum, alteri succumbere, alteri praeeminere cognoscitur: quantum superiore inferior, tantum inferiore superior."[1] Atque haec quidem S. Bernardus. Iam vero S. Augustinus supra definivit: „Omnis pulchritudinis forma unitas est." Ergo hypostatica Verbi cum anima et carne humana unio, quoniam post unitatem Trinitatis divinae locum secundum teneat, secundas quoque tenet partes pulchritudinis.

Quae cum ita sint, ad animam Christi humanam illa, quae iam citavimus, verba S. Ambrosii lib. 6 Hexaëm. c. 7 referri possunt sensu eminentiore, nimirum: „Illa anima a Deo pingitur, quae habet in se virtutum gratiam renitentem splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua elucet divinae operationis effigies. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriae et paternae imago substantiae."[2] Quibus ex verbis triplicem de pulchritudine animae Christi conclusionem derivare licet: Primum anima Christi decora est pulchritudine virtutum, quia „habet in se virtutum gratiam[3] renitentem splendoremque pietatis". Deinde anima Christi decora est pulchritudine gratiae divinae, quoniam in ea „elucet divinae operationis effigies". Anima denique Christi decora est illa pulchritudine summa, quae ex unione hypostatica promanat, cum dicatur anima, „in qua est splendor gloriae et paternae imago substantiae," id est, quacum hypostatice unitus est Dei Filius, qui secundum S. Paulum Hebr. 1, 3 est *„splendor gloriae et figura substantiae eius"*, scil. Patris.

§ 2.

An corpus Christi formositate quadam eminuerit.

Cum Filius Dei sive „Verbum apud Deum" tempore adimpleto caro factum sit et habitaverit in nobis (Io. 1, 14), ex primis Ecclesiae saeculis haud raro quaesitum est, utrum Christus etiam quoad corpus humanum et speciem exteriorem quadam formositate prae ceteris eminuerit necne. Haec autem quaestio ideo est difficillima, quod historia quidem nihil certi hac de re tradidit, Patres vero Ecclesiae, testes traditionis, in duas discedunt partes diversas.

I. Atque una pars eorum, praecipue S. Ioannes Chrysostomus, S. Hieronymus et S. Epiphanius, qui sacrae Scripturae insignes sunt interpretes, manifeste contendunt Christum etiam corporis forma pulchriorem omnibus hominibus fuisse, excepto tamen tempore passionis. Quam sententiam suam ut probent, maxime recurrunt ad Ps. 44, 3,

[1] *Migne*, Patr. lat. 182, 800. [2] Ibid. 14, 258.
[3] „Virtutum gratiam", i. e. venustatem, Germanice Anmut.

ubi Christus praenuntiatus est: „*Speciosus forma prae filiis hominum*," quae verba de pulchritudine eius dicta esse asserunt corporali. Ita sane docet S. Ioannes Chrysostomus Expos. in eund. Ps. 44: „*Speciosus forma*," inquit, „*prae filiis hominum*. . . . Hoc autem dicit (scil. propheta) non per comparationem; non enim dixit Speciosior, sed Speciosus forma prae filiis hominum. Haec pulchritudo est alia ab illa. Considera autem, quomodo primum loquitur de humanae naturae susceptione. Quod autem de ea loquatur, ostendunt quae sequuntur. Cum enim dixisset, *Speciosus forma prae filiis hominum*, subiunxit: *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Deus autem non habet labia, sed de humanae naturae susceptione agitur." Hinc per paucis intermissis: „Quomodo ergo dicit alius propheta: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata, deficiens prae filiis hominum* (Isai. 53, 2—3)? Non dicit de deformitate (περὶ ἀμορφίας), absit; sed de eius contemptione." Rationes autem pro sententia sua afferens ita prosequitur: „Cum enim semel humanam naturam suscepisset, quaecunque erant vilia et contemnenda pervasit, ut qui nec sibi matrem reginam asciverit, nec tempore incunabulorum in lecto aureo positus sit, sed in praesepi; nec in magnifica domo fuerit educatus, sed in fabri lignarii humili domuncula. Et rursus cum discipulos assumeret, non rhetores et philosophos et reges accepit, sed piscatores et publicanos. Et tenuem hanc vitam persequebatur, nec domum habens, nec vestibus pretiosis indutus, nec delicata et lauta mensa fruens, sed ab aliis nutritus, probris affectus, contemptus, eiectus et fugatus. Haec autem faciebat ex superabundante quadam copia humanum fastum conculcans. Quoniam ergo nil magnificum nec gloriosum prae se ferebat, nec ullos comites habebat aut satellites, immo vero nonnunquam etiam solus circuibat, sicut quilibet e populo, propterea ille quidem dicit: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem;* hic autem: *Speciosus forma prae filiis hominum*, significans gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula. Deinde describens eius pulchritudinem dicit: *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Videsne eum haec dicere de humana ab eo suscepta natura?"[1] Denique ut dubitatio vel

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 55, 183: „Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων." . . . Τοῦτο δὲ οὐ κατὰ σύγκρισιν φησιν· οὐ γὰρ εἶπεν Ὡραιότερος, ἀλλ' Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Ἄλλο τοῦτο, φησί, τὸ κάλλος παρ' ἐκεῖνο. Καὶ σκόπει πῶς τὸν περὶ τῆς οἰκονομίας πρῶτον κινεῖ λόγον. Ὅτι δὲ περὶ τῆς οἰκονομίας ἐστὶ τοῦτο, δῆλον ἐκ τῶν ἑξῆς. Εἰπὼν γάρ, „Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων", ἐπήγαγεν· „Ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσί σου." Χείλη δὲ ὁ Θεὸς οὐκ ἔχει, ἀλλὰ τῆς οἰκονομίας ἐστὶν ὁ λόγος. . . . Πῶς οὖν ἕτερος προφήτης λέγει· „Εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων"; Οὐ περὶ ἀμορφίας λέγων, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ περὶ τοῦ εὐκαταφρονήτου. Καταδεξάμενος γὰρ ἅπαξ γενέσθαι ἄνθρωπος, διὰ τῶν εὐτελῶν ἁπάντων διῆλθεν, οὔτε μητέρα βασιλίδα ἐπιγραψάμενος, οὔτε ἐν καιρῷ τῶν σπαργάνων ἐπὶ κλίνης τεθεὶς χρυσῆς, ἀλλ' ἐν φάτνῃ, οὔτε ἐν οἰκίᾳ τραφεὶς πολυτελεῖ, ἀλλ' ἐν εὐτελεῖ τέκτονος δωματίῳ. Καὶ λαβὼν μαθητὰς πάλιν, οὐ ῥήτορας καὶ φιλοσόφους καὶ βασιλέας ἔλαβεν, ἀλλ' ἁλιέας καὶ

ultima tollatur, „ad eos qui scandalizati sunt", de pulchritudine Christi corporali haec ait: Unigenitum suum Pater pro nobis in mortem tradidit. „Pater talis Filii, dilecti, unigeniti, pulchri non intuenti solum, sed et contemplanti. Nam et in ipso erat aetatis flore, in virtutis vigore, in quo duplex pulchritudo tum mentis tum corporis elucebat."[1] Idem fere sentit S. Hieronymus, cum Epist. (65) ad Principiam Virg. sive Explan. Ps. 44 ita scribat: „*Speciosus forma prae filiis hominum;* in Hebraico: Decore pulchrior es filiis hominum. . . . Quaeritur autem, quomodo pulchrior sit cunctis filiis hominum, de quo legimus in Isaia: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed erat species eius inhonorata et deficiens a filiis hominum.* . . . Nec statim • Scriptura dissonare videatur, quia ibi ignobilitas corporis propter flagella et sputa et alapas et clavos et iniurias patibuli commemoratur, hic pulchritudo virtutum in sacro et venerando corpore. Non quo divinitas Christi hominibus comparata formosior sit: haec enim non habet comparationem: sed absque passionibus crucis universis pulchrior est, virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset et in vultu quiddam oculisque sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent apostoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent."[2] S. Epiphanius autem, ut tertium antiquitatis testem citemus, Haeres. 49 sive 69 de pulchritudine „carnis humanae" Christi haec habet: „Dicit (sc. propheta) in psalmo 92: *Dominus regnavit, decorem indutus est;* ut divini Verbi in terras ingressum e caelo quodam ornatum decore significaret, hoc est carnem de Virgine susceptam. Quae quidem cum infidelium oculis vilis atque abiecta videretur, divinum tamen Verbum pro decore et ornamento illam habuit, ut ea re vim suam ac potestatem ostenderet. . . . Etenim simul atque dixit: *Dominus regnavit, decorem indutus est,* subinde illud adicit: *Induit Dominus fortitudinem et praecinxit se.* Ubi primum indumentum ex Maria sumptum, posterius, ubi a mortuis excitatus est, accepisse demonstrat. . . . Ita Christus primum decorem induisse

τελώνας. Καὶ τὸν βίον τὸν λιπὸν τοῦτον μετῄει, οὔτε οἰκίαν ἔχων, οὔτε ἱμάτια περιβεβλημένος πολυτελῆ, οὔτε τραπέζης ἀπολαύων τοιαύτης, ἀλλὰ παρ' ἑτέρων τρεφόμενος, ὑβριζόμενος, καταφρονούμενος, ἐλαυνόμενος, διωκόμενος. Ταῦτα δὲ ἐποίει, ἐκ πολλῆς τῆς περιουσίας τὸν τῦφον πατῶν τὸν ἀνθρώπινον. Ἐπεὶ οὖν οὔτε φαντασίαν τινὰ καὶ κόμπον περιεβέβλητο, οὔτε ἀκολούθους εἶχε καὶ δορυφόρους, ἀλλ' ἔστιν ὅτε καὶ μόνος περιῄει, ὡς εἷς τῶν πολλῶν, διὰ τοῦτο ἐκεῖνος μέν φησιν· „Εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὔτε κάλλος"· οὗτος δέ φησιν· „Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων"· τὴν χάριν δηλῶν, τὴν σοφίαν, τὴν διδασκαλίαν, τὰ θαύματα. Εἶτα ὑπογράφων τὴν ὡραιότητα, φησίν· „Ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσί σου." Ὁρᾷς ὅτι περὶ τῆς οἰκονομίας ὁ λόγος;

[1] *Migne,* Patr. gr. 52, 502: . . . Πατὴρ τοιούτου παιδός, γνησίου, μονογενοῦς, καλοῦ μὲν ἰδεῖν, καλοῦ δὲ νοῆσαι. Καὶ γὰρ ἐν αὐτῷ τῷ ἄνθει τῆς ἡλικίας ἦν, καὶ αὐτῇ τῆς ἀρετῆς τῇ ἀκμῇ, διπλῇ τότε ἀπολάμπων τῇ εὐμορφίᾳ, καὶ τῇ τῆς ψυχῆς, καὶ τῇ τοῦ σώματος.

[2] *Migne,* Patr. lat. 22, 627.

propter incarnationem dicitur; postea vero virtutem, cum videlicet a mortuis surrexit."[1] Atque haec quidem S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Ioannes Chrysostomus. Etsi nonnulla ambigua esse et magis ad pulchritudinem animae quam corporis Christi pertinere videntur, tamen certum atque clarum satis est illud S. Chrysostomi: „Christus in ipso erat aetatis flore, in virtutis vigore, in quo duplex pulchritudo et mentis et corporis elucebat"; neque minus clarum hoc sonat S. Hieronymi: „Absque passionibus crucis universis pulchrior est."[2]

II. Altera tamen Patrum Ecclesiae pars omnino negat Christum corporali pulchritudine eminuisse. Ad quod probandum citari ab eis solet Isai. 53, 2—3 (sec. LXX): „*Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata et deficiens prae filiis hominum*"[3]; quae verba non de solo tempore passionis, sed generatim de nativa corporis Christi indole dicta esse arbitrantur. Neque spernenda, immo magni aestimanda est haec sententia, praesertim cum Patribus comprobata sit antiquioribus, velut Clementi Alexandrino et Origeni et Tertulliano, quos etiam S. Basilius, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Augustinus secuti esse videntur.

1. Atque Clemens Alexandrinus quidem Christum corpore et aspectu deformem fuisse expresse docet, cum lib. 3 Paedag. c. 1 ita scribat:

---

[1] ***Migne***, Patr. gr. 42, 310: Λέγει ἐν τῷ φβ' ψαλμῷ· „Κύριος ἐβασίλευσεν, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο"· ἵνα δείξῃ τὴν εἴσοδον τοῦ Θεοῦ Λόγου ἀπὸ τῶν ἐπουρανίων εἰς τὸν κόσμον ἐνδυομένην εὐπρέπειαν, τουτέστι τὴν σάρκα, τὴν ἀπὸ Παρθένου γεγεννημένην. Ἐπειδὴ γὰρ ἐδόκει εὐτελής τις τοῖς ὁρῶσιν ἀπίστοις, αὐτῷ τε εὐπρέπεια λογιζομένη, ἵνα δείξῃ τὸ αὐτοῦ ἰσχυρόν . . . εὐθὺς γὰρ μετὰ τὸ εἰπεῖν· „Ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο", προστίθησι πάλιν καὶ δευτεροῖ λέγων· „Ἐνεδύσατο Κύριος δύναμιν καὶ περιεζώσατο"· ἵνα δείξῃ τὸ πρῶτον ἔνδυμα ἀπὸ Μαρίας, τὴν δὲ ἐπιδευτερουμένην πάλιν ἔνδυσιν ἀπὸ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν . . . οὕτω τὸ πρῶτον εὐπρέπειαν διὰ τὴν ἔνσαρκον ἐνταῦθα ἐνδημίαν, τὸ δὲ δεύτερον, φησί, δύναμιν ἐνεδύσατο, ἀναστὰς ἐκ τῶν νεκρῶν.

[2] Inter Scholasticos hanc de corporali pulchritudine Christi sententiam S. Bernardus sequi videtur, cum Homil. 2 super Missus dicit: „*Benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 42). Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. . . . Audisti de odore, audisti de sapore: audi et de specie. Si enim fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum, sed etiam teste Scriptura delectabilis aspectu (Gen. 3, 6): quanto magis huius vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, *in quem* teste alia Scriptura *desiderant* etiam *angeli prospicere* (1 Petr. 1, 12). Cuius pulchritudinem in spiritu videbat et in corpore videre cupiebat, qui dicebat: *Ex Sion species decoris eius* (Ps. 49, 2). Et ne mediocrem tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio psalmo legis: *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in aeternum* (Ps. 44, 3)." (*Migne*, Patr. lat. 183, 74.)

[3] Graece: Καὶ εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον καὶ ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Cum secundae partis vocabula paulo aliter sonent apud alios Patres, ut ex collatione facile intelligitur, equidem Origenem et S. Hieronymum sequar, quemadmodum in hac §° citati sunt. A textu Graeco iterum textus Masoretarum et versio vulgata differt in multis.

Ipsum autem Dominum fuisse aspectu deformem testatur Spiritus per Isaiam: ***Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata, deficiens prae hominibus.*** Et quis praestantior Domino? Sed non carnis pulchritudinem, quae visione apprehenditur, veram et animae et corporis ostendit pulchritudinem: animae quidem, beneficentiam; carnis autem, immortalitatem."[1] Verum ne Graeci, qui φιλόκαλοι i. e. pulchritudinis amantes erant, graviter offenderentur, ad Platonem recurrit, haec ibid. lib. 2, c. 5 dicens: „Pulchrum autem esse sapientem non alia ratione dicit hospes Atheniensis[2], quam si quis affirmet quosdam esse iustos, etsi sint deformes corpore; nec sane male id diceret, ea ratione pulchros esse asserens, quatenus iustis moribus praediti sunt. Et ***species eius deficiens prae omnibus filiis hominum*** erat, sicut prophetia praedixit."[3] Etiam Origenes lib. 6 Contra Cels. n. 75 fateri non dubitavit „Iesu corpus fuisse deforme", postquam Celsus contra divinitatem Iesu Christi haec opposuit: „Quoniam", inquit, „divinus spiritus erat in corpore, omnino oportuit illum antecellere ceteris aut magnitudine aut pulchritudine aut viribus aut voce aut maiestate aut eloquentia. Fieri enim non potest, ut in quo est aliquid divinum, quod alii non habent, is nihil ab alio differat. Hic (scil. Christus) autem nihil ab alio discrepabat; immo, ut aiunt, statura exigua, vultu deformi et abiecto erat." Cui obiectioni Origenes optime sic respondet: „Constat quidem e Scripturis Iesu corpus fuisse deforme, sed non etiam abiecto vultu, ut Celsus exposuit, nec exigua statura illud fuisse clare indicatur. Haec autem sunt Isaiae verba, quibus praedicit illum venturum huc esse non decora specie nec excellenti pulchritudine: . . . ***Non est species ei neque gloria; et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata et deficiens prae filiis hominum.*** Haec sane Celsus audivit, quia sibi ad calumniandum Iesum utilia esse videbantur; nequaquam autem attendit ad ista psalmi 44: ***Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua, et intende et prospere procede et regna.***"[4] — Sicuti Origenes et Clemens Alexandrinus in Ecclesia

[1] ***Migne,*** Patr. gr. 8, 558: Τὸν δὲ Κύριον αὐτὸν τὴν ὄψιν αἰσχρὸν γεγονέναι διὰ Ἡσαΐου τὸ Πνεῦμα μαρτυρεῖ· „Καὶ εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς ἀνθρώπους." Καὶ τίς ἀμείνων Κυρίου; Ἀλλ' οὐ τὸ κάλλος τῆς σαρκὸς τὸ φαντασιαστικόν, τὸ δὲ ἀληθινὸν καὶ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος ἐνεδείξατο κάλλος· τῆς μὲν τὸ εὐεργετικόν, τὸ δὲ ἀθάνατον τῆς σαρκός.

[2] Is scilicet, quem Plato in libris „De legibus" introduxit cum Socrate loquentem.

[3] ***Migne,*** Patr. gr. 8, 955: Καλὸν δ' αὖ εἶναι τὸν σοφὸν ὁ Ἀθηναῖος ξένος ὧδέ λέγει, ὡς εἴ τις διισχυρίζοιτο εἶναι τοὺς δικαίους, ἂν καὶ τυγχάνωσιν ὄντες αἰσχροὶ τὰ σώματα· κατά γε τὸ δικαιότατον ἦθος, ταύτῃ ἂν καλοὺς εἶναι σχεδὸν οὐδεὶς ἂν λέγων οὕτω, πλημμελῶς δόξειεν λέγειν· καὶ „Τὸ εἶδος αὐτοῦ ἐκλεῖπον παρὰ πάντας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων ἦν", ἡ προφητεία προηγόρευσε.

[4] Ibid. 11, 1410. Celsus: Ἐπειδὴ θεῖον πνεῦμα ἦν ἐν σώματι, πάντως τι παραλλάττειν αὐτὸ τῶν λοιπῶν ἐχρῆν κατὰ μέγεθος ἢ κάλλος ἢ ἀλκὴν ἢ φωνὴν ἢ κατάπληξιν

orientali, ita in occidentali Tertullianus Christum „ne aspectu quidem honestum fuisse" testatus est, cum Adv. Iud. c. 14 ita scribat: „Duos dicimus Christi habitus a prophetis demonstratos, totidem adventus eius praenotasse: unum in humilitate utique primum, cum *tamquam ovis ad victimam duci* habebat, et *tamquam agnus ante tondentem sine voce, sic non aperuit os suum* (Isai. 53, 7), ne aspectu quidem honestus: *Adnuntiamus* enim, inquit, *de illo, neque gloria. Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata, deficiens citra filios hominum, homo in plaga, sciens ferre infirmitatem* (ibid. 53, 2—4). . . . Quae ignobilitatis argumenta primo adventui competunt, sicut sublimitas secundo. . . . Tunc scilicet speciem honorabilem et decorem habiturus est indeficientem supra filios hominum; *tempestivus* enim *decore citra filios hominum. Effusa est gratia,* inquit, *in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in saecula. Accingere ensem tuum circa femur tuum, potens tempestivitate et pulchritudine tua* (Ps. 44, 3—5)."[1] Tertullianus igitur illa prophetica verba priora non de solo tempore passionis intelligenda esse censuit, sed generatim de naturali corporis Christi complexione. Quae sententia ita ei placebat, ut De carne Christi c. 9 adversus eos, qui Domino „carne humana" eius negata corpus nescio quod spirituale aut caeleste tribuerunt, haec pro sua indole paradoxa dicere haud dubitaret: „Adeo nec humanae honestatis corpus fuit, nedum caelestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque prophetis de ignobili aspectu eius, ipsae passiones ipsaeque contumeliae loquuntur: passiones quidem humanam carnem, contumeliae vero inhonestam probavere. An ausus esset aliquis ungue summo

---

ἡ πειθώ· ἀμήχανον γὰρ ὅτῳ θεῖόν τι πλέον τῶν ἄλλων προσῆν, μηδὲν ἄλλου διαφέρειν. Τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλου διέφερεν· ἀλλ' ὥς φασι μικρὸν καὶ δυσειδὲς καὶ ἀγενὲς ἦν. Origenes: Ὁμολογουμένως τοίνυν γέγραπται τὰ περὶ τοῦ δυσειδὲς γεγονέναι τὸ Ἰησοῦ σῶμα, οὐ μὴν ὡς ἐκτέθειται καὶ ἀγενές· οὐδὲ σαφῶς δηλοῦται, ὅτι μικρὸν ἦν. Ἔχει δὲ ἡ λέξις οὕτω παρὰ τῷ Ἠσαΐᾳ ἀναγεγραμμένη, προφητεύοντι αὐτὸν ἐπιδημήσοντα τοῖς πολλοῖς οὐκ ἐν ὡραίῳ εἴδει, οὐδέ τινι ὑπερέχοντι κάλλει . . . „Οὐκ ἔστιν εἶδος αὐτῷ οὐδὲ δόξα· καὶ εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον καὶ ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων." Ἀρ' οὖν τούτων μὲν ὁ Κέλσος ἤκουεν, ἐπεὶ ᾤετο αὐτῷ χρήσιμα εἶναι εἰς τὸ κατηγορεῖσθαι τὸν Ἰησοῦν· οὐκέτι δὲ προσέσχε τοῖς λεγομένοις ἐν τεσσαρακοστῷ τετάρτῳ ψαλμῷ, τίνα τρόπον λέγεται· „Περίζωσαι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, δυνατέ, τῇ ὡραιότητί σου καὶ τῷ κάλλει σου, καὶ ἔντεινον καὶ κατευοδοῦ καὶ βασίλευε." Hoc in versu particula καί = et ante ἔντεινον certe demonstrat illud *„specie tua et pulchritudine tua"* non ad hoc *„et intende et prospere procede et regna"* pertinere, sed cum verbo *„Accingere"* coniungendum esse. (Cf. supra c. 2, art. 2, § 1, n. 2 huius Libri.) Etiam in Hebraico textu Ps. 45, 4 ita finitur: „potentissime, gloria tua et decore tuo": dum sequens v. 5 his incipitur verbis וַהֲדָרְךָ צְלַח, id est: „Et decor tuus prospere procedat". LXX interpretes pro substantivo הָדָר legisse videntur verbum הָדַר, quod *efferre (se)* significat; unde illud „καὶ ἔντεινον = *et intende*".

[1] *Migne,* Patr. lat. 2, 638.

perstringere corpus novum[1], sputaminibus contaminare faciem nisi merentem?"[2] Unde lib. 3 adv. Marcion. c. 17 audacter ait: „Quodcunque illud corpusculum sit, quoniam habitum et quoniam conspectum fuit, si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus; talis enim habitu et aspectu annuntiabatur. . . . Nam etsi ***tempestivus decore*** apud David ***supra filios hominum***[3], sed in allegorico illo statu gratiae spiritalis, cum accingitur ensem sermonis, qui vere species et decor et gloria ipsius est; ceterum habitu incorporali apud eundem prophetam, vermis etiam et non homo, ignominia hominis et nullificamen populi."[4] Itaque Tertullianus et Origenes et Clemens Alexandrinus, antiquioris aetatis testes, Christum corpore plus minus deformi quam specioso fuisse dicunt.

2. Hos autem secuti esse videntur etiam S. Basilius M., S. Cyrillus Alexandrinus et S. Augustinus, quorum prior quidem Homil. in Ps. 44 haec dicit: „***Speciosus forma prae filiis hominum.*** . . . Speciosum igitur forma Dominum appellat, cum aciem mentis intendisset in eius divinitatem; non enim carnis pulchritudinem laudat. ***Vidimus*** enim ***eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata, deficiens prae filiis hominum.***"[5] Idem fere opinatur S. Cyrillus Alexandrinus Glaph. in Exod. lib. 1: „Ita eum (scil. Christum) . . . compellat beatus David: ***Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua.*** Nemo vero dubitaverit, quin pulchritudo intelligatur de ea, quae est in gloria et natura deitatis omnia superantis, quandoquidem carnis gloriationes nemo adscripserit Christo neque in gloriam eius censuerit. Absit hoc. Totum enim mysterium incarnationis eius est exinanitio et humiliatio, sicut scripsit de eo propheta Isaias: ***Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem, sed species eius inhonorata, deficiens prae omnibus filiis hominum.*** Nequaquam vero dicimus, quod propheticus sermo nobis deitatis gloriationes exponat, sed potius persuadet nobis, ut intelligamus ea, quae carnis sunt, collata cum gloria deitatis prorsus nullius esse momenti aut pretii. Filius enim in specie apparuit admodum deformi. Deus enim cum sit suapte natura, factus est homo. Infinitis autem et incomparabilibus differentiis minor est homo quam Deus."[6]

---

[1] „Corpus novum", quale erit eorum, qui ad novam vitam resuscitati sunt secundum illud apostoli 1 Cor. 15, 42 s.: „*Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria*" etc.

[2] ***Migne***, Patr. lat. 2. 772.

[3] Ita Tertullianus vertit Ps. 44, 3: Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων.

[4] ***Migne***, Patr. lat. 2, 844.

[5] ***Migne***, Patr. gr. 29, 395: Ὡραῖος οὖν κάλλει προσαγορεύει τὸν Κύριον ὁ ἐνατενίσας αὐτοῦ τῇ θεότητι· οὐ γὰρ τὸ τῆς σαρκὸς ὑμνεῖ κάλλος. „Εἴδομεν γὰρ αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων."

[6] Ibid. 69, 395: Ἐπιφώνει δὲ αὐτῷ . . . ὁ θεσπέσιος Δαβίδ· „Περίζωσαι τὴν ῥομ-

Quod „Filius in specie apparuerit admodum deformi", idem S. Doctor Comment. in Isai. lib. 5, tom. 1 expresse testatur se „auditione hanc traditionem habere"; nam illud notissimum dictum: „*Non est species ei neque gloria; et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem*" exponens haec ait: „Non enim in specie fuit et gloria divina. *Exinanivit* enim *semetipsum, in similitudinem hominum factus; et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum* (Philipp. 2, 7 s.). Haec autem dicimus non sola auditione hanc traditionem habentes, sed etiam ipsis oculis contemplati eum, qui praedicatur. *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem:* decorem, inquam, divinum. *Sed species eius inhonorata.* Parva enim et abiecta et inhonorata omnino sunt humana, quemadmodum quoad divinam et supremam excellentiam et illustrem decorem naturae omnia superantis dictus est *speciosus forma prae filiis hominum.* Addit adhuc maius: *Deficiens prae omnibus hominibus,* nimirum *species eius.* Perinde est ac si dicerent: Videre licet quosdam inter homines dignitatum quasi splendore fulgentes, divitiarum quasi satellitio ac comitatu elatos et amplos, vel alio modo in terrena dignitate constitutos; sed non inter hos erat Emmanuel, at in humili et abiecto ordine, ita ut aliis hominibus inferior videretur. Et vera quidem est oratio. Non enim ex sancta Virgine matre divite ortus est, sed in omni humilitatis genere versatus est, ut quod humile est eveheret, et quod inhonoratum est redderet optandum. Alioqui Deus, Dominus et rex universorum cum sit, quo splendore humano indigebat?"[1] Denique

φαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, δυνατέ, τῇ ὡραιότητί σου καὶ τῷ κάλλει σου." Νοητέον δὲ ὅτι τὸ κάλλος τὸ ὡς ἐν δόξῃ τε, φημί, καὶ φύσει τῆς ὑπὲρ πάντα θεότητος οὐκ ἂν ἐνδοιάσειέ τις· οὐ γὰρ δή που τὰ σαρκὸς αὐχήματα περιθείη τις αὐτῷ Χριστῷ, καὶ εἰς δόξαν αὐτοῦ καταλογιεῖται, πολλοῦ γε δεῖ. Κένωσις γὰρ αὐτῷ καὶ ταπείνωσις τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας ὅλον ἐστὶ τὸ μυστήριον. Γράφει δέ που καὶ ὁ προφήτης Ἠσαΐας περὶ αὐτοῦ· „Καὶ εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, ἐκλεῖπον παρὰ πάντας τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων." Καὶ οὐ δή πού φαμεν, ὅτι τῶν τῆς θεότητος αὐχημάτων ὁ τοῦ προφήτου καταγορεύει λόγος, ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον ἀναπείθει νοεῖν, ὅτι τῇ τῆς θεότητος δόξῃ συγκρινόμενα τὰ σαρκός, οὐδενὸς ἄξια φανεῖται λόγου. Ἐν εἴδει γὰρ πέφηνεν ὁ Υἱὸς τῷ λίαν ἀκαλλεστάτῳ. Θεὸς γὰρ ὢν κατὰ φύσιν, γέγονε καθ' ἡμᾶς. Ἀμέτρητον δὲ τὸ μεσολαβοῦν, καὶ ἀσυγκρίτοις διαφοραῖς μειονεκτεῖται Θεοῦ τὸ ἀνθρώπινον.

[1] Ibid. 70, 1171: Οὐ γὰρ ἦν ἐν εἴδει, φησί, καὶ δόξῃ θεοπρεπεῖ. „Κεκένωκε γὰρ ἑαυτόν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος· καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἐταπείνωσεν ἑαυτόν." Καὶ ταῦτά φαμεν οὐκ ἐξ ἀκοῆς μόνης ἔχοντες τὴν παράδοσιν, ἀλλὰ καὶ αὐταῖς ὄψεσι τεθεαμένοι τὸν κηρυττόμενον. „Εἴδομεν αὐτόν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος οὐδὲ κάλλος", κάλλος δὲ τὸ θεοπρεπές, „ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον". Σμικρὰ γὰρ καὶ εὐτελῆ καὶ ἄτιμα παντελῶς τὰ ἀνθρώπινα, ὡς πρός γε τὴν θείαν καὶ ὑπερτάτην ὑπεροχὴν καὶ τῆς ὑπὲρ πάντα φύσεως τὸ ὑπέρλαμπρον κάλλος, εἴρηται γοῦν· „Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων". Καὶ τὸ ἔτι μεῖζόν φησιν· „Ἐκλεῖπον παρὰ πάντας ἀνθρώπους", δῆλον δὲ ὅτι „τὸ εἶδος αὐτοῦ", ὅμοιον ὡς εἰ καὶ ἔφασαν· Ἔστι μὲν γάρ τινας ἰδεῖν ἐν ἀνθρώποις ἀξιωμάτων φαιδρότητι διαπρέποντας· ταῖς ἐκ πλούτου δορυφορίαις ἠρμένους ὑψοῦ καὶ εὐρυνομένους ἦγουν, καὶ καθ' ἕτερόν τινα τρόπον ἐν ἐπιγείοις ὄντας ὑπεροχαῖς. Ἀλλ' οὐδὲ ἐν τούτοις ἦν ὁ Ἐμανουήλ, ἀλλ' ἐν σμικρᾷ καὶ κατερριμμένῃ

S. Augustinus a Patribus praecedentibus non multum dissentit, cum Enarr. in Ps. 43, n. 16 doceat Christum ut hominem neque specie neque decore eminuisse, sed speciosum forma fuisse propterea, quod sit prae filiis hominum, id est, quatenus sit *„in forma Dei"* (Philipp. 2, 6). „Dominus", inquit, „in carne erat, et apparebat homo hominibus. Qualis apparebat? Iam dixi, homo hominibus. Quid magnum apparebat? Caro carni. Quid magnum apparebat, de quo dictum est: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem?* Quis non habebat speciem neque decorem? De quo item dicitur: ***Speciosus forma prae filiis hominum.*** Ut homo non habebat speciem neque decorem, sed speciosus forma ex eo, quod est prae filiis hominum. Ideo formam illam deformem carnis ostendens oculis intuentium, quid ait? ***Qui diligit me, mandata mea custodit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et ostendam illi meipsum*** (Io. 14, 21). Quem videbant, ostensurum se illis promittebat; sed quid est hoc? Quasi diceret: Videtis formam servi, occulta est forma Dei: per hanc vobis blandior, illam vobis servo; hac vos parvulos nutrio, illa grandes pasco." [1] Quare „et timeri et amari debet . . . ille sponsus non carne prae filiis hominum, sed virtute formosus" [2], ut Enarr. in Ps. 118, serm. 31 ait. Item Enarr. in Ps. 127, n. 8: „Sponsus ille, quo nihil est pulchrius, qui quasi foedus apparuit inter manus persequentium, de quo . . . dicebat Isaias: ***Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem.*** Ergo sponsus noster foedus est? Absit. Quomodo enim illum virgines amarent, quae in terra maritos non quaesierunt? Ergo persequentibus foedus apparuit; et nisi eum foedum putarent, non insilirent, non flagellis caederent, non spinis coronarent, non sputis inhonestarent: sed quia foedus illis apparebat, fecerunt illi ista; non enim habebant oculos unde Christus pulcher videretur." [3] Hoc idem iam apostolus innuit, 1 Cor. 2, 8 scribens: ***„Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent."*** — Verumtamen ignobilitas Domini nos servos reddit nobiles, et Christi deformitas est pulchritudo nostra; quemadmodum idem Augustinus Serm. 27, c. 5—6 eleganter commemorat: ***„Per fidem enim ambulamus et non per speciem*** (2 Cor. 5, 7). . . . Quid est per speciem? ***Speciosus forma prae filiis hominum;*** quia ***in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. . . .*** Modo autem fide qualis videtur? ***Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem; sed vultus eius abiectus, et deformis positio eius, homo in plaga positus, et sciens ferre infirmitates*** (Isai. 53, 2 et 3).

τάξει, ὥστε δοκεῖν ἡττᾶσθαι τῶν ἄλλων ἀνθρώπων. Καὶ ἀληθὴς ὁ λόγος. Οὐ γὰρ πλουσίας ἐξέφυ μητρὸς τῆς ἁγίας Παρθένου, ἀλλὰ διὰ πάντων ἦλθε τῶν μικρῶν, ἵνα ὑψώσῃ τὸ ταπεινόν, καὶ ζηλωτὸν ἀποφήνῃ τὸ ἄτιμον. Καὶ καθ' ἕτερον δὲ λόγον, Θεὸς ὢν Κύριος καὶ βασιλεὺς τῶν ὅλων, ποίας ἂν ἐδεήθη τῆς ἐν ἀνθρώποις λαμπρότητος;

[1] *Migne*, Patr. lat. 36, 499. [2] Ibid. 37, 1692. [3] Ibid. 37, 1681.

Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam quam perdidisti non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis, sed deformitas illius pulchritudo nostra."[1] „Ergo, anima," inquit Enarr. in Ps. 103, n. 6, „decora esse non potes, nisi confessa fueris foeditatem ei, qui semper pulcher et propter te ad tempus non pulcher; et sic ad tempus non pulcher in forma servi, ut nunquam defecerit a pulchritudine, quae est in forma Dei."[2]

Haec est ergo celeberrima illa duplex de corporali pulchritudine Christi sententia Patrum Ecclesiae, quorum alii Christum etiam corpore prae ceteris formosum fuisse affirmant, alii omnino negant. Atque ea quidem sententia, quam S. Ioannes Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Epiphanius defendunt, meliore fortasse nititur fundamento exegetico; altera vero, quam Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, et postea S. Basilius, S. Cyrillus Alexandrinus atque S. Augustinus secuti sunt, traditionem quandam pro fundamento habere videtur, siquidem antiquioris est aetatis. Quae cum ita sint, definitum certumque de corporali specie Christi ferre non audemus iudicium, sed quattuor tantummodo has theses proponimus:

1° Ex sacra Scriptura, speciatim e Ps. 44, 3: „*Speciosus forma prae filiis hominum*" et ex Isai. 53, 2: „*Non est species ei neque decor*", colligi cum certitudine vix potest, utrum Christus pulchritudine etiam corporali eminuerit necne.

2° Etsi inter omnes constat Christum sine ullo corporali fuisse defectu, tamen magnum discrimen est, utrum aliquis absque defectu corporali sit, an etiam corporali praestet pulchritudine, quae in „symmetria membrorum et partium cum coloris quadam suavitate" consistit. (Cf. supra Lib. I, Parte I, c. 3, § 2, n. 2.)

3° Si quis cum Clemente Alexandrino et Origene et Tertulliano sentiret Christum corpore potius deformi quam formoso fuisse, neque oeconomiam redemptionis dehonestaret neque ipsum Christum parvipenderet, quandoquidem Verbum Dei pulcherrimum „*caro factum est*" (Io. 1, 14), ut generi humano pulchritudinem redderet spiritualem et caelestem, minime vero corporalem ac terrenam. Unde nec mirum

---

[1] *Migne*, Patr. lat. 38, 181.

[2] Ibid. 37, 1339. — Vide etiam eiusdem Augustini 1 Epist. Ioan. tract. 9: „Christus pro nobis mortuus est, iustus pro iniustis, pulcher pro foedis. Quomodo invenimus pulchrum Iesum? *Speciosus forma prae filiis hominum* etc. . . . Unde invenimus, quia et deformis? Isaiam interroga: *Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* etc. . . . Non habebat speciem neque decorem, ut tibi daret speciem et decorem." (*Migne*, Patr. lat. 35, 2051.) Item Serm. 95, n. 4: „O propheta, qui dixisti: *Speciosus forma* . . . ubi vidisti? etc. (Ibid. 38, 582.) Denique Enarr. in Ps. 49, n. 5: „Cum ipse Dominus venisset, quia passurus venit, occultus venit; et cum esset fortis in se, infirmus in carne apparuit . . . Erat gloriae species in divinitate, sed haec latebat in carne." (Ibid. 36, 567.)

esset, si Filius Dei unigenitus, cui divina pulchritudo appropriatur, in oeconomia redemptionis pulchritudinem corpoream omnino neglexisset. S. Paulus quidem Philipp. 2, 5—7 monet: „*Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.*" Quin etiam tantum abest, ut „*formam servi accipiens*" satis humilitatis habuerit, ut omnem quasi modum „exinanitionis" excedens sacramentaliter se praesens sistat sub ipsa panis specie, postquam ait: „*Ego sum panis vitae*" (Io. 6, 48). „*Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*" (Io. 6, 59). Sed quidnam vilius, quid humilius est quam species panis? „*Coenantibus autem eis accepit Iesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite; hoc est corpus meum*" (Matth. 26, 26). Itaque Christus, si vel speciem panis non horruit, etiam corpus humanum magis deforme quam formosum suscipere sic potuit, ut neque offenderet fidem nostram neque decorem divinum obscuraret. „*Placuit* enim *Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes . . . quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*" (1 Cor. 1, 21 et 25): et quod deforme est Dei, formosius est hominibus. Sufficiat ergo verba Tertulliani repetere belle dicentis: „Quodcunque illud corpusculum sit, quoniam habitum et quoniam conspectum fuit, si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus."

4° Nemo tamen in dubio versari potest, quin idem Christus, ubi primum a mortuis resurrexit, corpus suum antea despectum et inhonoratum illico induerit admirabili specie atque gloria, pulchritudine atque decore. Ex quo tempore „*Dominus regnavit, decorem indutus est*" (Ps. 92, 1); ita ut sine ulla restrictione nunc alloquendus sit: „*Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in aeternum. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, specie tua et pulchritudine tua*" (Ps. 44, 3—5). In hac tandem gloria refulgens atque potentia Dominus rediit in caelum, quemadmodum Ecclesia in festo ascensionis canit: „Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera; species eius in nubibus caeli, et nomen eius in aeternum permanet." [1]

CAPUT V. FINALE.

An Christus, Filius Dei, alios suae pulchritudinis participes faciat.

Vim alios decoros reddendi ac potestatem Christo, Filio Dei, adscribendam esse facile iam colligitur ex argumento rationis, quod Plato in „Phaedone" ita pronuntiavit: „Persuasum est mihi", inquit, „si

[1] Breviar. Roman. In ascensione Domini, respons. ad lect. 2.

quid aliud pulchrum sit praeter ipsum pulchrum, hoc nullam aliam ob causam pulchrum esse, nisi quod illius pulchri particeps sit.“[1] Ipsa autem pulchritudo, cuius participatione pulchra sunt cetera, non appropriatur nisi Christo, quatenus Dei Filius est. Ergo hic idem non solum κατ᾽ ἐξοχήν pulcher sit necesse est, sed etiam pulchrificans. Facit autem pulchritudinis suae participes

1° animas iustorum,
2° Ecclesiam catholicam,
3° universum mundum.

§ 1.

Christus participes pulchritudinis suae facit animas iustorum.

Iam supra (Lib. II, Parte II, c. 1, a. 2, § 2) copiose disputavimus Deum homini magnam et naturae et gratiae pulchritudinem impertitum esse, quia scriptum est Gen. 1, 27: „*Et crearit Deus hominem ad imaginem suam*“, videlicet pulcherrimam. Verumtamen homo in foeditatem ac perturbationem lapsus est peccati, quo commisso harmoniam ac pulchritudinem suam e gratia maxime efflorescentem misere perdidit; neque eam recuperare potuisset, nisi ille generis humani miseritus esset, qui a S. Paulo (2 Cor. 4, 4 et Coloss. 1, 15) appellatur „*imago Dei*“, id est Christus, Filius Dei. Itaque cum Patribus Ecclesiae hanc triplicem sententiam statuimus: Primum homines, qui peccato foedi sunt, iustitia Christi redduntur pulchri atque decori. Deinde sicut pulchritudo Christo appropriatur, in quantum Filius Dei est: ita etiam homines pulchritudinis illius participes fiunt per „filiationem divinam“. Denique mediator, per quem Christus, Filius Dei, gratiam et pulchritudinem filiationis divinae hominibus largitur, non est nisi Spiritus sanctus.

I. Homines, qui peccato foedi sunt, iustitia ac pulchritudine Christi pulchros atque decoros reddi docet imprimis S. Gregorius Nyssenus, cum Homil. 2 in Cant. sponsam seu animam iustam inducat sic loquentem: „*Nigra sum, sed formosa* (Cant. 1, 4). . . . Cum nigra essem peccato et per opera affinis et coniuncta tenebris, me pulchram fecit (scil. Christus sponsus) per dilectionem, sua pulchritudine commutata cum mea turpitudine. In se enim translatis sordibus meorum peccatorum, mihi suam puritatem impertiit, efficiens me participem suae pulchritudinis. . . . Postea adhortatur adolescentulas (i. e. animas nondum iustas), ut et ipsae fiant pulchrae, prius suam ostendens pulchritudinem. . . . Per hoc enim non sinit, ut quae a se docentur animae, ad vitam aspicientes praeteritam, desperent ne pulchrae fiant.“[2] Pulchrae autem eo ipso reddi possunt, quod a Christo retin-

[1] *Astius*, Plato I, 577. Textum Graecum vide supra Lib. II, Parte II in princ.

[2] *Migne*, Patr. gr. 44, 700: „Μέλαινά εἰμι καὶ καλή.“ . . . Μέλαιναν οὖσαν ἐξ ἁμαρτίας καὶ προσῳκειωμένην τῷ ζόφῳ διὰ τῶν ἔργων, καλὴν διὰ τῆς ἀγάπης ἐποίησεν,

gantur ad imaginem Dei, ut idem Gregorius De perf. christ. form. commemorat: „Ut te", inquit, „faceret rursus imaginem Dei, et ipse pro sua erga hominem benevolentia factus est *imago Dei invisibilis* (Coloss. 1, 15); ita ut propria forma, quam assumpsit, in te formaretur, et te rursus per seipsum ad exemplaris pulchritudinis figuram effingeret, ut esses id, quod quidem initio fueras."[1] Qua cum sententia convenit S. Cyrillus Alexandrinus, qui Explan. in Ps. 41 versum 6 s.: *„Salutare vultus mei et Deus meus"*, ita interpretatur: „Vultum autem hoc loco pro pulchritudine videtur dicere: nam credentes Christo divina decet pulchritudo, quae in eis formatur per sanctificationem atque iustitiam. Contra vero sequetur incredulos omnino deformitas, quia decente ipsos divina atque integra pulchritudine carent. Propterea et illis, qui post fidem susceptam honoraverunt adhuc legalem iustitiam, divus Paulus scribit dicens: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Gal. 4, 19). Ergo cum Christus in nobis formetur, tunc vultus animae, id est pulchritudinis eius, salutem operatur."[2] „Ipse" enim Filius Dei, ait Thesaur. assert. 32, „humana in se recipit, humanam naturam ad pulchritudinem divinam in seipso restaurans."[3] — Ut Graeci, ita sentiunt hac in re Patres Latini, praecipue S. Cyprianus et S. Augustinus. Atque ille quidem De laps. n. 30 tam eleganter quam breviter adhortatur: „Auro te licet et margaritis gemmisque condecores, sine Christi decore deformis

---

τὸ ἴδιον κάλλος πρὸς τὸ ἐμὸν αἶσχος ἀνταλλαξάμενος. Μεταθεὶς γὰρ πρὸς ἑαυτὸν τὸν τῶν ἐμῶν ἁμαρτιῶν ῥύπον, μετέδωκέ μοι τῆς ἑαυτοῦ καθαρότητος, κοινωνόν με τοῦ ἑαυτοῦ κάλλους ἀπεργασάμενος. . . . Μετὰ ταῦτα προτρέπεται τὰς νεάνιδας καὶ αὐτὰς γενέσθαι καλάς, τὸ καθ' ἑαυτὴν κάλλος προδεικνύουσα. . . . Διὰ τοῦτο γὰρ οὐκ ἐᾷ τὰς μαθητευομένας αὐτῇ ψυχὰς πρὸς τὸ παρωχηκὸς τοῦ βίου βλεπούσας ἀπελπίζειν τοῦ γενέσθαι καλάς.

[1] *Migne*, Patr. gr. 46, 270: Ἵνα σε ποιήσῃ πάλιν εἰκόνα Θεοῦ, καὶ αὐτὸς ὑπὸ φιλανθρωπίας ἐγένετο „εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου"· ὥστε τῇ ἰδίᾳ μορφῇ, ἣν ἀνέλαβεν, ἐν σοὶ μορφωθῆναι, καὶ σε πάλιν δι' ἑαυτοῦ πρὸς τὸν χαρακτῆρα τοῦ ἀρχετύπου συσχηματισθῆναι κάλλους, εἰς τὸ γενέσθαι, ὅπερ ἦς ἐξ ἀρχῆς. Latina versio apud Migne nimis libera est, ita sonans: „Ut te prorsus faceret imaginem Dei . . . factus est imago Dei invisibilis, hoc est, ad humanae naturae mensuram sese demisit, ut nos ad divinitatis mensuram extollamur (!). Ea enim fuerit negotiatio Filii Dei (!), ut propria forma, quam sumpsit, effectus homo (!), se rursus ad exemplaris pulchritudinis figuram effingeret, ut esset id quod initio fuerat."

[2] Ibid. 69, 1008: Τὸ δέ γε πρόσωπον ἔοικεν ἐν τούτοις ἀντὶ τοῦ κάλλους εἰπεῖν· τοῖς μὲν γὰρ πιστεύουσιν εἰς Χριστὸν τὸ θεῖον ἐμπρέπει κάλλος· μορφοῦται γὰρ ἐν αὐτοῖς δι' ἁγιασμοῦ τε καὶ δικαιοσύνης. Τοῖς γε μὴν ἀπίστοις ἕψεται δὲ πάντως τὸ εἰδεχθές· οὐ γὰρ ἔχουσιν ἐμπρέπον ἑαυτοῖς τὸ θεῖόν τε καὶ ἀκήρατον κάλλος. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖς τὴν ἐν νόμῳ δικαιοσύνην τετιμηκόσιν μετὰ τὴν πίστιν ὁ θεσπέσιος Παῦλος ἐπιστέλλει λέγων· „Τεκνία, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν." Οὐκοῦν ὅτε Χριστὸς ἐν ὑμῖν μορφοῦται, τότε τοῦ τῆς ψυχῆς προσώπου, τουτέστι τοῦ κάλλους αὐτῆς, τὴν σωτηρίαν ἐργάζεται. Latinam versionem paulo emendavi.

[3] Ibid. 75, 470: Αὐτὸς δὲ πάλιν εἰς ἑαυτὸν ἀναδέχεται τὰ ἀνθρώπινα, πρὸς τὸ θεῖον κάλλος ἐν ἑαυτῷ τὴν φύσιν ἀναζωγραφῶν.

es."[1] S. Augustinus vero Christum expresse vocat „reformatorem" pulchritudinis humanae, cum Enarr. in Ps. 103, n. 4 ita loquatur: „*Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; propterea adolescentulae dilexerunt te.* Est ergo quidam formosus, est quidam pulcher prae filiis hominum... Huic tu placere vis, o anima humana! . . . Non potes, quamdiu deformis es. Quid facies, ut pulchra sis? Prius tibi displiceat deformitas tua, et tunc ab illo ipso, cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem. Ipse enim erit reformator tuus, qui fuit formator tuus. Ergo prius attende, quae sis. . . . Primo accusa foeditatem tuam: foeditas enim animae de peccatis, de iniquitatibus. Accusando foeditatem tuam incipe confiteri, a confessione incipis decorari: quo decorante nisi specioso forma prae filiis hominum?"[2] Christus itaque, ut cum eodem Augustino Enarr. in Ps. 44, n. 3 concludamus, ille est, qui in animis „evertit foeditatem, formavit pulchritudinem."[3] Unde etiam Ecclesia tempore paschali ex hymno „Rex sempiterne caelitum" rectissime haec cantat:

„Nascente qui mundo faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo iugasti spiritum.
Cum livor et fraus daemonis
Foedasset humanum genus,
Tu carne amictus perditam
Formam reformas artifex."[4]

II. Quodsi deinde quaeritur, unde haec pulchritudo proprie oriatur, respondendum est eam efflorescere ex υἱοθεσία, i. e. „filiatione adoptiva"[5], qua efficitur, „*ut filii Dei nominemur et simus*" (1 Io. 3, 1). Quemadmodum enim pulchritudo ipsa Christo appropriatur, in quantum est „*Filius Dei*" (Io. 1, 34): ita etiam homines, quatenus „*filii Dei*" redduntur, divinae pulchritudinis participes fiunt. Is autem, qui hominibus potestatem filios Dei fieri liberaliter tribuit, Christus est, ille Λόγος, de quo S. Ioannes 1, 12 scribit: „*Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*" Ergo etiam potestatem decoros fieri Christus eis largitus est. Cui argumentationi plane assentitur S. Cyrillus Alexandrinus, cum (Expos. in Ioan. Evang. lib. 1, c. 9) eundem versum Io. 1, 12 ita interpretetur: „Enimvero dat Filius, ut sint potestate id, quod sibi uni proprie et secundum naturam inest, in commune quodammodo proponens, in signum benignitatis suae in homines et erga mundum caritatis. Non enim aliter possemus corruptionem fugere, qui terreni gestamus imaginem, nisi pulchritudo imaginis caelestis illius impressa nobis esset ex eo, quod

[1] *Migne*, Patr. lat. 4, 504. [2] Ibid. 37, 1338. [3] Ibid. 36, 495.
[4] Breviar. Roman. pars verna, die Dom. de temp. pasch. ad matut. hymnus.
[5] Cf. Rom. 8, 15; 9, 4; Gal. 4, 5 etc.

vocati sumus ad filiorum Dei adoptionem (Gal. 4, 5). Participes enim eius facti per Spiritum, obsignati sumus in similitudinem cum ipso, et ad exemplarem formam illius imaginis conscendimus, ad quam nos quoque factos esse ait divina Scriptura (Gen. 1, 26). Sic enim tandem vetere naturae pulchritudine recuperata, et ad divinam illam reformati naturam ea mala superabimus, quae nobis ex praevaricatione contigerunt. Igitur ad supernaturalem dignitatem ascendimus propter Christum, verumtamen non sicut ille sine ullo discrimine futuri sumus et nos filii Dei, sed ad eius similitudinem, per gratiam nimirum, qua illum imitando repraesentamus." [1] Favet autem huic expositioni S. Paulus, Rom. 8, 29 ita scribens: „*Quos* (Deus) *praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*" Quae verba idem Cyrillus De ss. Trinit. dialog. 3 hac ratione explicavit: „Reformat enim nos per Spiritum in propriam imaginem Christus, et suae naturae pulchritudinem piorum animabus intelligibili et arcano modo insignit. Formati itaque sumus, opinor, ad Deum quidem, non iam illum verum, sed in nobis elucet forma, quae est creaturae." [2] Pluribus denique interiectis dialog. 4 ita quasi concludit: „Generatione spirituali geniti sumus ad Filium, configurati et conformati per Spiritum ad divinam eius et supermundanam pulchritudinem, et naturae divinae consortes edimur, Filii participationem nacti ut Dei." [3]

III. Mediator tamen, per quem Deus Pater eiusque Filius illam quae ex filiatione adoptiva efflorescit gratiam ac pulchritudinem nobis impertit et quodammodo distribuit, nemo alius est quam Spiritus sanctus. Nam sicut Filius Dei ex Maria virgine natus est „*Filius hominis*" secundum illud: „*Spiritus sanctus superveniet in te*" (Luc. 1, 25): ita nos contra homines eodem Spiritu cooperante ad tantam

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 73, **154**: Δίδωσί γε μὴν ὁ Υἱὸς τὸ μόνῳ καὶ ἰδίως αὐτῷ καὶ κατὰ φύσιν ὑπάρχον ἐξουσιαστικῶς, εἰς κοινότητα προθείς, ὥσπερ εἰκόνα φιλανθρωπίας τῆς ἐνούσης αὐτῷ καὶ τῆς εἰς τὸν κόσμον ἀγάπης τὸ πρᾶγμα ποιούμενος. Οὐ γὰρ ἦν ἑτέρως διαφυγεῖν τὴν φθοράν, τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ τοὺς φορέσαντας, εἰ μὴ τῆς εἰκόνος τῆς ἐπουρανίου, διὰ τοῦ κεκλῆσθαι πρὸς υἱοθεσίαν, τὸ κάλλος ἡμῖν ἐνεσημάνθη. Μέτοχοι γὰρ γεγονότες αὐτοῦ διὰ τοῦ Πνεύματος, κατεσφραγίσθημεν εἰς ὁμοιότητα τὴν πρὸς αὐτόν, καὶ εἰς τὸ ἀρχέτυπον τῆς εἰκόνος ... νόμον σχῆμα, καθ' ἥνπερ ἡμᾶς καὶ πεποιῆσθαί φησιν ἡ θεία Γραφή. Μόλις γὰρ οὕτω τὸ ἀρχαῖον τῆς φύσεως ἀνακομισάμενοι κάλλος, καὶ πρὸς τὴν θείαν ἐκείνην ἀναμορφωθέντες φύσιν, κρείττους ἐσόμεθα τῶν ἐκ παραβάσεως ἡμῖν συμβεβηκότων κακῶν. Οὐκοῦν ἀναβαίνομεν εἰς τὸ ὑπὲρ φύσιν ἀξίωμα διὰ Χριστόν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐκεῖνον ἀπαραλλάκτως ἐσόμεθα καὶ ἡμεῖς υἱοὶ Θεοῦ, ἀλλ' ὡς πρὸς ἐκεῖνον διὰ τῆς κατὰ μίμησιν χάριτος.

[2] Ibid. 75, **807**: Ἀναμορφοῖ γὰρ ἡμᾶς διὰ τοῦ Πνεύματος εἰς ἰδίαν εἰκόνα Χριστός, τὸ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ταῖς τῶν εὐσεβούντων ψυχαῖς νοητῶς τε καὶ ἀποῤῥήτως τὸ κάλλος ἐνσημαίνεται. Μεμορφώμεθα δὴ οὖν, οἶμαί που, πρὸς Θεὸν μέν, οὐκέτι τὸν ἀληθινόν, εἶδος δὲ ἡμῖν ἐμπρέπει τὸ κτίσματος.

[3] Ibid. 75, **908**: Γέννησιν γεγεννήμεθα τὴν πνευματικήν, πρὸς Υἱὸν διαμορφούμενοι, καὶ ἀναπλαττόμενοι διὰ τοῦ Πνεύματος πρὸς τὸ θεῖον αὐτοῦ καὶ ὑπερκόσμιον κάλλος, θείας τε φύσεως ἀναδεικνύμεθα κοινωνοὶ τὴν Υἱοῦ λαχόντες μέθεξιν ὡς Θεοῦ.

evehimur gratiam ac pulchritudinem divinam, ut *„filii Dei“* simus, non quidem natura, sed adoptione; *„ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei“* (Rom. 8, 16). Quam doctrinam inter Patres Ecclesiae praecipue S. Cyrillus Alexandrinus testatur, De ss. Trinit. dialog. 7 dicens: „Nonne ad imaginem Dei fabricatum esse dicimus in terra hominem? Quis dubitat? Quod autem divinam nobis imprimit imaginem et signaculi instar supermundanam pulchritudinem inserit, nonne Spiritus est?“ Rationem autem huius rei afferens, paulo post ita prosequitur: „Cum (animal humanum) in lucem ederetur, secundum Deum formatum est, inspirato in eum *spiraculo vitae* (Gen. 2, 7). Sed cum sanctificationem conversione ad vitium amisisset, ad pristinam et antiquissimam rursus pulchritudinem revocatum est, Christo quod inveteratum erat in formam divinam et spiritualem restaurante, nec alio modo quam illo pristino. Insufflavit enim sanctis apostolis, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.*“ [1] Itaque Spiritus sanctus, inquit Argum. de s. Spir. cc., „ipse Deus exsistens et ex Deo procedens, velut in cera quadam suscipientium cordibus sigilli instar invisibiliter imprimitur, per communicationem et similitudinem cum seipso ad illam exemplarem pulchritudinem naturam refingens et hominem ad imaginem Dei reformans.“ [2]

At quonam sacramento novae legis Spiritus sanctus ad *„imaginem Dei“* seu filium Dei nos reformat? Sane baptismo, utpote qui est sacramentum, in quo tamquam filii Dei renascimur secundum Salvatoris verba Ioan. 3, 5: *„Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.“* Per baptismum igitur nos Spiritus sanctus filiationis ac decoris Christi participes facere recte creditur. Nec vero aliam rationem habuisse videtur S. Ephraem Syrus, cum Hymn. 9 in Epiph. str. 7 de baptismo canat: „Quam pulcher“, inquit, „est baptismus oculis cordis! . . . Aquae natura sua velut speculum sunt illi, qui in eis respicit. Excita animam tuam, o electe, assimilare hisce aquis, quae imaginem tuam in se expresserunt. Ab eis accipe formam. Intuere baptismum et indue pulchritudinem in eo absconditam.“ [3] Item Hymn. 11 in Epiph.

[1] *Migne*, Patr. gr. 75, 1087: Ἢ οὐχὶ κατ᾽ εἰκόνα Θεοῦ τετεχνουργῆσθαί φαμεν ἐπὶ γῆς τὸν ἄνθρωπον; Πῶς γὰρ οὔ; Τὸ δὲ δὴ τὴν θείαν ἡμῖν ἐγχαράττον εἰκόνα καὶ σημάντρου δίκην ἐμποιοῦν τὸ ὑπερκόσμιον κάλλος, οὐχὶ τὸ Πνεῦμά ἐστιν; . . . Ἐπειδὴ δὲ εἰς τὸ εἶναι παρῆκτο, διεμορφοῦτο πρὸς Θεόν, ἐμφυσηθείσης αὐτῷ πνοῆς ζωῆς. Ἀπεμποληκὼς δὲ τὸν ἁγιασμὸν διὰ τῆς εἰς φαυλότητα παρατροπῆς, εἰς τὸ ἐν ἀρχαῖς καὶ πρεσβύτατον αὖθις ἀνεκομίζετο κάλλος, καινουργοῦντος τὸ παλαιωθὲν εἰς εἶδος τὸ θεῖόν τε καὶ νοητὸν τοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐ καθ᾽ ἕτερόν τινα τρόπον πλὴν ὅτι τὸν ἐν ἀρχαῖς· ἐνεφύσησε γὰρ τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις λέγων· „Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον.“

[2] Ibid. 75, 1148: Αὐτὸ Θεός τε ὑπάρχον καὶ ἐκ Θεοῦ προσελθόν, ὥσπερ ἔν τινι κηρῷ ταῖς τῶν δεχομένων αὐτὸ καρδίαις σφραγῖδος δίκην ἀοράτως ἐνθλίβεται, διὰ τῆς πρὸς ἑαυτὸ κοινωνίας τε καὶ ὁμοιώσεως, εἰς τὸ ἀρχέτυπον κάλλος τὴν φύσιν ἀναζωγραφοῦν, καὶ δεικνύον αὖθις τὸν ἄνθρωπον κατ᾽ εἰκόνα Θεοῦ.

[3] *Lamy*, S. Ephraem Syri hymni et sermones 1 (Mechliniae 1882), 94.

str. 4: „Magnum symbolum vidit propheta (Ezech. 47, 5—6), torrentem scilicet, qui valde intumuit. In profundo torrentis fixit oculos et vidit loco suae imaginis pulchritudinem tuam“[1], id est Filii Dei. Quod apertius pronuntiat Hymn. 12 in eund. fest. Epiph. str. 2: „Lapsus est vir in paradiso, at misericordia restituit eum in baptismo; perdidit suam pulchritudinem per invidiam diaboli et recuperavit eam per gratiam Christi.“[2]

Pretium autem infinitum, ut ne hoc quidem praetermittamus, quod talem gratiam et filiationem et pulchritudinem divinam nobis conciliavit, sine dubio est sanguis Christi. *„Empti enim estis“*, ait S. Paulus 1 Cor. 6, 20, *„pretio magno“*: id est *„pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi“*, ut 1 Petr. 1, 19 legimus. Pretiosissimo autem huic sanguini vim inesse et sanctificandi et pulchrificandi prae omnibus fatetur S. Ioannes Chrysostomus Homil. 47 [al. 46] in Ioan.: „Hic sanguis“, inquit, „in nobis regiam floridamque exhibet imaginem, pulchritudinem parit incredibilem, animae nobilitatem marcescere non sinit, dum frequenter irrigat et nutrit. . . . Hic sanguis salus animarum nostrarum est; hoc abluitur anima, hoc ornatur, hoc incenditur; hic igne splendidiorem parit mentem nostram, hic auro nitidiorem animam reddit; hic sanguis effusus est, et caelum fecit pervium.“[3] Ac revera huius sanguinis vim salutarem experti sunt omnes in caelo beati, teste S. Ioanne Apoc. 7, 13—14: ***„Et respondit unus de senioribus et dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni“***; id est, animas suas in unda baptismatis et lacrimis poenitentiae ita laverunt, ut „imago Dei“ atque „filiatio“ peccato perdita in eis pulchre revivisceret ac magis magisque refulgeret; et *„ideo sunt ante thronum Dei“* (Apoc. 7, 15). — „Itaque pro viribus“, inquit S. Gregorius Nyssenus De perf. christ. form., „enitendum nobis est . . . ut imaginis imago simus, et per actuosam, quoad fieri potest, imitationem exprimamus primum pulchritudinis exemplar, ut faciebat Paulus, qui imitator Christi fuit eo quod secundum virtutem vivebat (1 Cor. 4, 16).“[4]

[1] *Lamy*, S. Ephraem Syri hymni et sermones I, 106.
[2] Ibid. I, 108.
[3] ***Migne***, Patr. gr. 59, 261: Τοῦτο τὸ αἷμα τὴν εἰκόνα ἡμῖν ἀνθηρὰν ἐργάζεται βασιλικήν, τοῦτο κάλλος ἀμήχανον τίκτει, τοῦτο ἀπομαρανθῆναι τῆς ψυχῆς τὴν εὐγένειαν οὐκ ἀφίησιν, ἄρδον αὐτὴν συνεχῶς καὶ τρέφον. . . . Τοῦτο ἡ σωτηρία τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, τούτῳ λούεται ἡ ψυχή, τούτῳ καλλωπίζεται, τούτῳ πυροῦται, τοῦτο πυρὸς λαμπρότερον ἐργάζεται τὸν νοῦν τὸν ἡμέτερον, τοῦτο χρυσίου φαιδροτέραν τὴν ψυχὴν ποιεῖ, τοῦτο ἐξεχύθη τὸ αἷμα, καὶ τὸν οὐρανὸν ἐποίησε βατόν.
[4] Ibid. 46, 271: Ἀλλὰ ὡς ἔστι δυνατὸν . . . ὥστε γενέσθαι ἡμᾶς τῆς εἰκόνος εἰκόνα, δι' ἐνεργοῦς ὡς οἷόν τε μιμήσεως ἐκμαξαμένους τὸ πρωτότυπον κάλλος, ὡς ἐποίει ὁ Παῦλος, μιμητὴς τοῦ Χριστοῦ διὰ τοῦ κατ' ἀρετὴν βίου γινόμενος.

§ 2.

Christus participem pulchritudinis suae facit Ecclesiam catholicam.

Ecclesia, quae usque ad finem mundi duratura est, sensu latiore etiam a principio fuit teste S. Epiphanio, qui Expos. fid. n. 6 optime ait: „Sancta et catholica Ecclesia, quae vere christiana religio dicitur, ab initio et cum Adamo et ante Adamum et ante omnia saecula cum Christo fuit.“ [1] Si autem cum Filio Dei, cui pulchritudo appropriatur, semper est coniuncta, fieri nequit, ut non ab eodem semper exornetur divina gratia et pulchritudine spirituali. Quae sententia corroborari potest tum ex sacra Scriptura tum ex doctrina Patrum.

I. Atque argumentum ex sacra quidem Scriptura petitum maxime nititur loquendi usu S. Pauli, qui Christum saepius appellat „Ecclesiae caput“, Coloss. 1, 18 ita scribens: „*Et ipse est caput corporis, Ecclesiae*“; item Ephes. 1, 22s.: „*Et ipsum dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.*“ [2] Verum quia inter omnes constat nihil esse, quod corpori maiorem gratiam ac decorem praebeat quam caput, oportet etiam Christum magno ornamento atque decori esse Ecclesiae, cuius caput sit admodum gloriosum. Hoc argumentum confirmatur, si caput non modo in sua ipsius venustate consideratur, sed etiam in relatione, quam habet ad reliqua corporis membra: etenim caput in corpore primatum quasi tenet, unde ratione dirigente omnia membra ad unitatem quandam atque concordiam salubriter rediguntur. Cum autem supra (Lib. I, Parte I, c. 3, § 5) pulchritudo definita sit multitudinis debitae debita unitas, quae visa placet, procul dubio ex illa harmonia, in quam caput et membra corporis conveniunt, pulchritudinem quandam efflorescere necesse est. Iam vero ut caput ad corpus eiusque membra, ita Christum se habere ad Ecclesiam singulosque fideles praecipue S. Paulus docet 1 Cor. 12, 12 s.: „*Sicut enim corpus*“, inquit „*unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus; etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive gentiles, sive servi sive liberi.*“ Caput autem praenobile, quod in hoc corpore mystico varietatem membrorum ad symmetriae unitatem revocat, ipse Christus est, siquidem ab apostolo Coloss. 2, 19 describitur tamquam „*caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.*“ Ergo sub hoc respectu Christus Ecclesiae suae magnam tribuisse pulchritudinem certe credendus est. Unde merito

[1] ***Migne***, Patr. gr. 42, 788: Ἡ ἁγία καθολικὴ Ἐκκλησία καὶ Χριστιανισμὸς ὄντως ὠνομασμένος ἀπαρχῆς καὶ σὺν τῷ Ἀδὰμ καὶ πρὸ τοῦ Ἀδὰμ καὶ πρὸ πάντων τῶν αἰώνιων σὺν Χριστῷ. Latinam versionem ad verbum reddidi.

[2] Textus Graecus paululum aliter sonat, scilicet: Καὶ αὐτὸν ἔδωκεν κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, id est: „Et eum dedit caput super omnia (τῇ) Ecclesiae.“

idem apostolus Ephes. 5, 25—27 illum sibi exhibuisse docet „Ecclesiam gloriosam“. „*Christus*“, inquit, „*dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*“

II. Patres vero, quando Ecclesiam a Christo pulcherrime exornari inculcant, aut ad Ps. 44 recurrere solent, ubi Ecclesia a dextris Domini adstitisse praenuntiatur quasi „*regina in vestitu deaurato circumdata varietate*“; aut ad Canticum canticorum respiciunt, in quo Ecclesia allegorice effingitur tamquam sponsa „*tota pulchra*“. Atque hoc canticum quidem Cyrillus citavit Alexandrinus, cum Glaph. in Exod. lib. 3 doceat: „Ecclesiam ex gentibus compellavit (Christus) dicens: *Surge, veni, propinqua mea, pulchra mea, columba mea; quia ecce hiems praeteriit, imber abiit, recessit sibi; flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit* (Cant. 2, 10—12). Refloruimus enim in Christo ad vitae novitatem, et tempus adventus est quasi ver spirituale nobis ostensum, cum floridam et fructuosam efficit hominis naturam.“[1] S. Ambrosius vero lib. 1 De virginib. c. 7, n. 37 nos reicit ad Ps. 44, 10 et 12: „*Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. . . . Et concupiscet rex decorem tuum.*“ Quos versus interpretans, de illa pulchritudine, quam Ecclesia a Christo Domino ac rege suo habet, eleganter haec dicit: „Pulchritudinem vero quis potest maiorem existimare decore eius, quae amatur a rege, probatur a iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo? Semper sponsa, semper innupta, ut nec amor finem habeat nec damnum pudor. Haec profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest.“[2] Eundem textum fusius exponit S. Augustinus, Enarr. in Ps. 44, n. 24 dicens: „*Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate.* Vestitus reginae huius quis est? Et pretiosus est, et varius est; sacramenta doctrinae in linguis omnibus variis. Alia lingua Afra, alia Syra, alia Graeca, alia Hebraea, alia illa et illa; faciunt istae linguae varietatem vestis reginae huius. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguae ad unam fidem. In veste varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum, et vestem intelleximus propter unitatem.“[3] Atqui ultima haec verba illam in

---

[1] *Migne*, Patr. gr. 69, 494: Τὴν ἐξ ἐθνῶν Ἐκκλησίαν ἐκάλει λέγων· „Ἀνάστα, ἐλθέ, ἡ πλησίον μου, καλή μου, περιστερά μου· ὅτι ἰδοὺ ὁ χειμὼν παρῆλθεν, ὁ ὑετὸς ἀπῆλθεν, ἐπορεύθη ἑαυτῷ· τὰ ἄνθη ὤφθη ἐν τῇ γῇ ἡμῶν, καιρὸς γὰρ τῆς τομῆς ἔφθακεν.“ Ἀνθάλλομεν γὰρ ἐν Χριστῷ πρὸς καινότητα ζωῆς, καὶ ὁ τῆς ἐπιδημίας καιρός, ἔαρ ὥσπερ ἡμῖν ἀνεδείχθη τὸ νοητόν, εὐανθῆ τε καὶ ἔγκαρπον τὴν ἀνθρώπου φύσιν ἀποτελοῦν. Confer etiam S. Ambrosium Enarr. in Ps. 118, Serm. 6, n. 25: „*Ecce hiems praeteriit*“ etc. (*Migne*, Patr. lat. 15, 1276.)

[2] *Migne*, Patr. lat. 16, 199. [3] Ibid. 36, 508.

mentem revocant pulchritudinis definitionem, quam supra ita pronuntiavimus: Pulchritudo est varietas in unitate concordans, quae visa placet. Ergo dubium non est, quin Ecclesia, cuius varietas gentium atque linguarum in unitatem fidei et caritatis convenit, magna excellat pulchritudine. Auctor vero talis pulchritudinis nemo alius esse potest nisi Iesus Christus, qui Ecclesiam non tantum *„super petram“* (Matth. 16, 18) constituit, sed etiam dotibus exornavit necessariis, utilibus, iucundis. Sicuti enim diabolus discordias inimicitiae ac foeditates peccati populis non resistentibus subdole intulit atque impressit, ita Christus, in cuius ore *„nec inventus est dolus“* (1 Petr. 1, 22), familias, tribus, nationes infeste olim dissipatas ad fidei unitatem et vinculum caritatis revocavit, *„ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam.“* Quam ob rem S. Augustinus Enarr. in Ps. 44, n. 25 ecclesiam gentium sic alloquitur: *„Et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (v. 11). Erat populus quidam et domus patris quaedam, in qua nata es, populus Babyloniae, habens regem diabolum. Undecunque venerunt gentes, a patre diabolo venerunt; sed patri diabolo renuntiaverunt. ***Obliviscere populum tuum et domum patris tui.*** Foedam te ille genuit, cum peccatricem fecit; pulchram te iste regenerat, qui iustificat impiam.“ Itaque Christus ecclesiam gentium ex deformi formosam effecit reformatamque diligit caritate divina. Hanc enim caritatem cogitans S. Augustinus ibid. n. 26 prosequitur: *„Quoniam concupivit rex speciem tuam*[1]. Quam speciem, nisi quam ipse fecit? *Concupivit speciem.* Cuius speciem? Peccatricis, iniquae, impiae, qualis erat apud patrem diabolum et apud populum suum? Non, sed de qua dicitur: ***Quae est ista, quae ascendit dealbata?*** (Cant. 8, 5.)[2] Antea ergo non erat alba, postea dealbata. Quia si fuerint peccata vestra sicut phoenicium, tamquam nivem dealbabo (Isai. 1, 18). ***Concupivit rex speciem tuam.*** Quis rex? ***Quia ipse est Dominus Deus tuus. . .*** Rex tuus, et ipse est sponsus tuus. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata. Quidquid habes unde illi placeas, ab illo habes.“[3] Ecclesia ergo decora est pulchritudine Christi, vel potius, ut S. Cyrillus Alexandrinus De ador. in spir. et verit. lib. 9 infert, „ornamentum ac decor in ea multiplex Christus est.“[4]

---

[1] Ps. 44, 12 secundum LXX: ὅτι ἐπεθύμησεν ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου. Vulgata habet: *„Et concupiscet rex decorem tuum.“* Hebr. Ps. 45, 12: וְיִתְאָו הַמֶּלֶךְ יָפְיֵךְ

[2] Iuxta LXX: Τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα λελευκανθισμένη; Versio vulgata perinde ac textus Masoretarum: *„Quis est ista, quae ascendit de deserto?“*

[3] *Migne*, Patr. lat. 36, 510.

[4] *Migne*, Patr. gr. 68, 635: Κόσμημα δὲ καὶ ὡραϊσμὸς ἐν αὐτῇ πολυειδὴς ὁ Χριστός.

§ 3.

Christus participem pulchritudinis suae facit mundum universum.

Christus, *„qui est imago Dei“* (2 Cor. 4, 4) primigenia ac speciosissima, tantam vim pulchrificandi habet, ut non solum Ecclesiam sive militantem in terris sive in caelis triumphantem multiformi exornet decore, sed universum quoque mundum innovare et ad pristinam pulchritudinem reducere valeat. Congruum enim atque consentaneum est istam rerum universitatem in priorem speciem quam amisit ab eodèm artifice redigi, per quem totus mundus initio creatus est valde pulcher iuxta Gen. 1, 31: *„Et vidit Deus cuncta, quae fecerat, et ecce pulchra valde“* (sec. LXX). Ille autem artifex quis est nisi Christus, Dei virtus et sapientia et Verbum, de quo S. Ioannes 1, 1—3 scribit: *„In principio erat Verbum. . . . Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est“*? Atque tam insignis tamque recepta in Ecclesia haec est doctrina, ut S. Augustinus De agone christ. c. 14 eos, qui hac negata Trinitatem quoque divinam aspernantur, audiendos non esse prudenter moneat. „Nesciunt enim“, inquit, „Principium, ex quo sunt omnia; et Imaginem eius, per quem formantur omnia; et Sanctitatem eius, in qua ordinantur omnia.“[1] At vero per peccatum hominis ista rerum universitas e priore statu incolumitatis, formositatis atque ordinis deiecta et in alterum perturbationis, foeditatis ac maledictionis misere deducta est. *„Maledicta terra in opere tuo . . . spinas et tribulos germinabit tibi“*, ait Deus Adae in peccatum lapso Gen. 3, 17s. Similiter Rom. 8, 20 apostolus scribit: *„Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.“* Haec autem spes creaturae atque exspectatio tunc tandem explebitur, quando Christus, Filius Dei, totum hunc mundum, quem formavit, denuo reformaverit atque reduxerit in pulchritudinem primaevam.

Et re quidem vera talis Messias, qui omnia facturus sit nova, praenuntiatus iam est in Vetere Testamento, ubi Dominus per Isaiam prophetam c. 43, 18—19 ait: *„Ne memineritis priorum et antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova.“* Quod dictum in primo adventu Christi ex parte impletum esse testatur S. Paulus, 2 Cor. 5, 17 ita scribens: *„Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.“*[2] Haec notissima verba a S. Cyrillo Alexandrino Expos. in Ioan. Evang. lib. 4, c. 4 hunc in modum explicantur: „Novum enim in Christo tempus apparuit, quod vetustate legalis cultus reiecta in novam nos vitam per doctrinam evangelicam reformat,

[1] *Migne*, Patr. lat. 40, 280.

[2] Graecus textus aliam interpunctionem praefert, nimirum: ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονεν καινὰ [τὰ πάντα]. Hoc est: *„Ergo si qua in Christo (est), nova creatura (est): vetera transierunt, ecce facta sunt nova.“*

sed et peccatis inveteratos ac interitui proximos ad iustitiae primordium renovat, et vetustatem quidem adventitiae corruptionis destruit, immortalitatis autem novitate fideles exhilarat ad vitam aeternam properantes; *si qua enim in Christo, nova creatura*." [1] Verum non solam naturam humanam, sed universam omnino creaturam Christus reducit ad vitae novitatem ac pulchritudinem primaevam, ut idem Cyrillus De ss. Trinit. dialog. 5 optime docet: „Quemadmodum enim", inquit, „quae producta sunt, ab eo producta sunt, per quem universa, neque alium habent opificem quam eum, per quem in lucem edita sunt; ita per ipsum servantur, quae prima illa felicitate exciderunt, et pristinum statum recipiunt et ad suae quaeque naturae primaevam pulchritudinem redeunt." [2] Confirmatur autem haec doctrina iterum a sacra Scriptura et Veteris et Novi Testamenti, ubi „novi caeli et nova terra" non semel nobis promittuntur, cum in illo quidem Testamento ipse Dominus per os Isaiae prophetae c. 65, 17 dicat: „***Ecce enim ego creo caelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora***", in hoc vero S. Petrus apostolus epist. 2, c. 3, 13 ad illa recurrens verba prophetica ita scribat: „***Novos caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat***" et cum iustitia etiam ordo atque unitas, pulchritudo atque decor, requies ac beatitudo sempiterna. Haec omnia autem ex visceribus *exspectamus*, nec nos tantum, sed vel irrationalis creatura quasi ingemiscit, valde desiderans statum gloriae et libertatis filiorum Dei, ut S. Paulus Rom. 8, 19—21 magno affectu animi scribit: „***Nam exspectatio creaturae***", inquit, „***revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.***"

Quando autem haec tandem fient? Quandonam Christus, Filius Dei, istam rerum universitatem in pristinam ac perfectam pulchritudinem reducet tamquam restitutor ille magnus et potens? Audi S. Petrum apostolum Act. 3, 19—21 dicentem ea in secundo Christi adventu fieri: postquam enim „***ad portam templi, quae dicitur speciosa***" [3], virum a nativitate claudum in nomine Iesu Christi sanavit.

[1] *Migne*, Patr. gr. 73, 618: Νέος γὰρ ἡμῖν ἀνεδείχθη καιρὸς ἐν Χριστῷ, τὴν μὲν ἀναῤῥυθμίζων παλαιότητα τῆς νομικῆς λατρείας ἐξωθούμενος, εἰς νέαν δὲ καὶ καινὴν ἀμαρτίας. ζωὴν διὰ τῶν εὐαγγελικῶν παιδευμάτων, ἀλλὰ καὶ τοὺς πεπαλαιωμένους ἐξ παλαιό- καὶ ἀφανισμοῦ γεγονότας· ἐγγὺς ἀνακαινίζων εἰς δικαιοσύνης ἀρχὴν καὶ τὴν μὲν καταφαιδρύνων τητα καταλύων τῆς ἐπεισάκτου φθορᾶς, τῇ δὲ τῆς ἀφθαρσίας καινότητι καινὴ τοὺς διὰ πίστεως εἰς ζωὴν ἀναδραμόντας τὴν αἰώνιον. „Εἴ τις γὰρ ἐν Χριστῷ, κτίσις."

[2] Ibid. 75, 987: Ὥσπερ γὰρ τὴν εἰς τὸ εἶναι πάροδον, δι' οὗ τὰ πάντα διεκληρώσατο, καὶ οὐχ ἕτερον ἔχει δημιουργὸν τὸν δι' οὗ παρήχθη πρὸς ὕπαρξιν τὰ κεκλημένα πρὸς γένεσιν· οὕτω δὴ σώζεται δι' αὐτοῦ τὰ τῆς ἐν ἀρχαῖς εὐταξίας ἀπολισθήσαντα, καὶ τὴν εἰς τὸ εὖ εἶναι πάλιν δέχεται διαμονήν, πρὸς τὸ ἀκριβὲς ἑκάστης φύσεως οἰκείως ἀναθέοντα κάλλος.

[3] Act. 3, 2. Graece: πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ τὴν λεγομένην ὡραίαν.

multitudinem Israelitarum concurrentem ac stupentem sic adhortatus est: „*Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra, ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Iesum Christum, quem oportet quidem caelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum.*“ Ultimus autem prophetarum, nempe S. Ioannes, iterum hanc restitutionem renovationemque commemorat, dum Apoc. 21, 5 scribit: „*Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.*“ Ergo, ut cum S. Ephraemo Syro (Mar[1] de defunct. et s. Trinit.) conclusionis summam faciamus, Christus, Filius Dei, est „illa dextera, qua (Pater) ab initio mundum creavit, et omnia renovat, ut redeant ad pristinam pulchritudinem.“[2] Unde „*bonus est psalmus: Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio*“ (Ps. 146, 1)[3]; „*et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum, et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat*“ (Ps. 71, 19).

---

[1] Syrum vocabulum *mar* videtur idem significare atque *carmen*.
[2] *Lamy*, S. Ephraem Syri hymni et sermones III (Mechliniae 1896), 242.
[3] In textu Hebr. Ps. 147, 1 secunda pars huius versiculi similiter sonat כִּי־נָעִים נָאוָה תְהִלָּה: — LXX autem habent: τῷ Θεῷ ἡμῶν ἡδυνθείη αἴνεσις.

Emendanda.

Pag. 9 lin. 4 qua, lege: quae.
„ 145 lin. 26 efficiens, supple: me.
„ 153 nota 1 haeres. 69, lege: haeres. 59.
„ 185 lin. 11 um, lege: cum.